




Pauli Cortesij sacrarum literarum, omniumque disciplinarum scientia summi uiri Lib. III. : in quibus diuinitus complectitur omnia tum quae sunt apud Diuos Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum & huius classis reliquos, tum quae D. Thomas, Magister Sententiarum & eius loci reliqui habent.

<https://hdl.handle.net/1874/432351>



Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. CORTESI Sent. August. etc
HIER. SAUVAGE Opera
L. ETU. ITUS de Jansur. Relig.
Judicium de N. BUCER.
Cathol. Relig. Propugnatio
GRÖPPER v. J. B. B. B. B.


F. fol.

175


25.


r.

correspond










altius
estruo
cessit
noalt
ne rei
femin
ge de
religio
et ut
fecit
inuc
iter of
at om
s uale
pauu
hae it
fluo r
u p p
ed fia
sa uie
com l
tem s
u red
ozuae
siqu
e urca
piter

Cum q
it ad
as su
abz
m r a
cetan
um
pu
pa rto

or simi
or iuu
t mii
Tex ab
qure a
f. de m
aha o
ngat
ur mi
atis d
uuiu.
m wa
saluac
sic u
uuiu.
tinca
tane
pub
uai p
it ut

dicos
p. de pmi
mp. s. fi.
v. ab
s. possit
erratal
r. censu.
i. l. l. l. q.
ostat.
b. fuit
mb. s.
and. r. q.
s. e. u. e.
n. s. h. s. f. i.
n. d. e. e. u.
z. ur
a. com.
. q. i. t.
. s. de e.
s. cu. fi.
ums. t.
entie. u. l.
de. u. d. i.
i. f. u. s. m.
a. r. q. u. e.
e. s. s. e.
n. o. m. a.
n. a. t. f. i.
f. i. d. r. i. g. e.
a. l. i. b. l. e.
e. c. n. o. a. l.
r. p. e. d. i. t.
o. r. e. s. p. r. e.
i. n. p. e. u. e.
a. l. t. o. f. o. r.
i. n. g. e. r. e.
s. t. u. a. i.
f. p. u. l. i. b.
o. p. u. t. o.
o. l. l. e. p. e.
t. o. m. i. t.
o. f. i. m. p.
v. i. r. t. u.
e. s. a. c. t.
e. m. i. t.
u. n. b. z. a.
u. d. m. i. n.
i. s. t. e. n. d. i.
n. a. q. u. o.
a. l. a. d. i. a.
t. r. e. f. i. a.
a. l. e. x. c. o. i.
q. o. r. u. p. l. i.
u. m. p. l. a.
n. s. e. g. e. s.
e. t. u. r. e. i.
c. i. t. a. t.
r. p. e. c. c.
i. s. c. i.
t. e. m. i.
c. a. u. p.
a. t. t. u.
l. i. t. a. t.
o. i. e. l.



N. 25. C.

N. 109. 3.

~~~~~

ge

775

# PAVLI CORTESII

SACRARVM LITERARVM, OMNIUMQVE  
disciplinarum scientia summi viri, Lib. II. in quibus diuinitus complecti-  
tur omnia tum quæ sunt apud Diuos Augustinum, Hieronymum,  
Chrysostomum & huius classis reliquos, tum quæ D.  
Thomas, Magister sententiarum &  
eius loci reliqui habent.

Hieronymi Sauonarolæ opera adiunximus, autorem eisdem peni-  
tus eruditionis & spiritus doctibus præditum.



*Ex donatione Burchardi*

Quicumq; igitur cupit recte iudicare de uero Christianæ religionis dogmate in mi-  
seranda huius temporis sententiarum & iudiciorum concertatione, hæc legat, &  
cognoscat breuibus, que sunt apud alios per plurima prolixè diffusa uolumina.  
Porro mirabili rerum scientiæ in his autoribus coniunctam habes  
linguæ puritatem & facundiam, ut res maxima, dictio-  
nis elegantia expolita, gratiores sint.

BASILEAE PER HENRICVM PETRVM,  
MENSE AVGVSTO, ANNO  
M. D. XL.





IOAN. ANDREAE CORTESII MUTI  
nensis ad lectorem ode monocelos.

Exacti Latio culmine Delius,  
Et pectus nitrea quæ tegit Aegide,  
Irati, resides uertice in arduo,  
Phocis, pegasidum cum grege languido,  
Nusquam bacciferam Daphnidos arborem  
Nutribant, fugiens quom sacer impetus  
Menti restituit Phœbada pristinae:  
Tunc cœtum sonitus Pallados impulit.  
Currunt continuo, pectore feruidi,  
Agnosunt sobolem, Pleiones nepos  
Hic gaudens aderat, cum Charitum globo,  
Inter quas, iuuenis comptior Arcade,  
Et quauis Charitum uirgine gratior.  
Purgabat uepribus compita Phocidos,  
Runcina, ut melius culmina peruia,  
Possent linigeri scandere flammines,  
Senta & Corycidos sumere pocula.  
Paulus Cortesius tunc erat artifex  
Recti, quæ deceant (O genus horridum  
Tandem uix hominum) qui male transfugæ.  
Formidant, referent. Quid tibi pontifex  
Adiunxit: Meritis forte superbiam  
Sumet, si renuit, mitis & integer,  
Nos ex Cortesia gente resumimus.

# BEATVS RHENA

NVS SELESTENSIS THEOLOGIAE SIN  
cerioris literaturæ studiosis. S. D. P.



Nalbo disciplinarum quæ humanū intellectum perficere natae sunt, Theologiam primas sibi uendicare, reliquarumq; scientiarum absolutricē coronidem existere, uel è triuijs ignorat nemo. Per quas ueluti gradus quosdam cum sit ad hanc in supremo fastigio sessitantē perueniendum, quotusquisq; dum ascendere parat, non statim auertitur, neutiquam ab ipsa Theologia genuino suo splendore micatissima, sed uestitus barbarie deterritus, qua uel Lucianicam illam *έρμογλυφικὴν* situ & squalore exuperet, cuius Insomnio suo Samosatenus rabula festiuissime meminit. Nec id ab re. Etenim in pulchrorum amorem ciente sic nos natura propensiores sumus, quæ minus speciei habent ualere sinentes. Atq; hinc mehercle proficiscitur ut pauciusculi Theologiæ studijs se mancipient, dum illi à quibus priusquam adyta subeant, uelut ab æditimis excipiuntur, tanta infantia balbutiunt, ut auditores statim nauseabundi fatiscant, crassas ipsorum dedoctiones aspernati. Quanquam nō negauerim eos qui cautim progressi fuerint, primordijs inuolutissimis extricatos quæ tamen clarius doceri & possent & deberēt, ueluti stagno quopiam transmissis, in amœnissimum florulentumq; Theologiæ pratium deduci. Complurium enim recentioris ætatis Theologorum copiosos commentarios, haud absone quis uix ita difficiliore comparauerit, eos sane qui *πρὸς τὰ ἀσπρόνοστα* ætatem terere non instituisent, ad arcem Christianæ eruditionis prouehenti. At cum per multos sciam mollibus adeo pedibus præditos, ut minima etiam asperitate offendantur, nec item desint, qui uel leuiculo dispendio magnum quātumuis compendium adsequi nolint, summopere mihi placent hij, qui plano calle & herbofo, studiosos eo ducunt, quo illi per salebras & crepidines trahunt. Proinde deum opt. max. obsecratus sæpe precatus sum, ut Sententiarum libros quos uocant, ob præstantiam & utilitatem semper in manibus habēdos, aliquis tandem è doctis supræmæ notæ, adiunctis neotericorum opinionibus, quo omnibus fieret satis, cultori stilo dolaret. Et ecce nuper, deo sit gratia, Chuonradus Peutinger inclytæ ciuitatis Augustæ archigrammateus, & Maximiliani Cæsaris à consilio Pauli Cortesij Theologumenon sententiarum opus ad me misit. In quo plane dubius sum quid primo admirer, stili ne exquisitissimam elegantiam, an potius diuinum hominis doctissimi ingenium, tam belle uarias ac dissidentes Theologorum opiniones tanque breuiter describentis, & id quidem sic aperte, ut ad aliud nihil præter cōmunem studiosorum utilitatem, dum hæc cōderet,


## E P I S T O L A.

Spectasse uideatur, ideoq; in eum illud quadrantissime conueniat dicere, quod  
 Lysis de Pythagora refert his uerbis, οὐ γὰρ λιθόδηλους ἐνεπαινεῖτο λόγους, οὐ δὲ  
 πάγας αἰεὶ πάλαι τ' σαφισάρι τὸς νέας ἐμπλέκοντι, ποτὶ οὐδὲρ ἐρηγυνοσχολάζαντες. ἀλλὰ  
 θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων ἢ ἐπισάμων. Non enim, inquit, adulterinis &  
 uanis negociabatur sermonibus, neq; tendiculis, quibus multi sophistæ adole-  
 scentes irretiunt, nunquam frugi rebus incumbentes, sed diuinarum humana-  
 rumq; rerum sciens erat. Porro strenuam operam dedit, ut Theologiam à sæ-  
 da barbarie adfereret, uiamq; ostenderet qua subsidua Theologicorū libro-  
 rum suppellex omnis expoliri possit, quod plurimi hæcenus impossibile rati,  
 illud iam falso opinari desinent, cū hoc opus uel semel intropexerint. Quare  
 in primis Parisiorum Academia Athenæ Christiani imperij, Paulum Cortesi-  
 sium Theologicæ rei uindicem, de se, si unquam alius, optime meritum, suæ  
 Sorbonæ non temporariū, sed perpetuū inquilinū asciscat. Suscipiāt quoq; obi-  
 uis uulnis Pictauienses, Andegauenses, Tholosani, Cadomenses. Legant His-  
 spani philosophiæ & sacris literis deditissimi. In Germania Colonienfes, Vieni-  
 nenses, Louanienfes, Treuerenses, Lipsicenses, Cracouienses, Erfordiani, Hei-  
 delbergenfes, Chrysopolitani, Friburgenses, Maguntini, Tubingenses, Basili-  
 enfes, Albiburgēses, & Francofordienfes, si Rom. agnoscut imperium ( quod  
 à Magni Caroli tēporibus penes Germanos semper fuit) Cortesium ut Roma-  
 num & latialem Theologum ubiq; ciuitate donent, fauore prosequantur, &  
 colant. Neq; uero non admonitos præterierim Britannos à Germanis origi-  
 nem ducētes, cultiorum literarū studiosissimos, quanquā illis adhortatione ni-  
 hil opus est, uis iam pridem optimo in literis præceptore Erasmo nostro Ro-  
 terodamo, cuius immaturum obitum & rei literariæ dispendiosum, dici non  
 potest quam feram acerbe. Sed hæc forsān fufius iusto. Vos itaq; melioris eru-  
 ditionis candidati, quod summe precamur, eloquentiam cum sacrorum scien-  
 tia copulate, id quod tum facile à uobis fiet, cum Cortesiū & huius similes fre-  
 quentissime euoluetis & decentibus approbatisq; loquendi formulis inter di-  
 sceptandum cottidie utemini. Multum enim potest in literarijs congressioni-  
 bus mutua ad benedicendum excitatio, multum creber usus. siquidem & pu-  
 teos aiunt hauriendo meliores fieri, ut ad Eustathium testatus est Magnus Ba-  
 silius sic græce scribens, καὶ γὰρ τὰ φρονήματα φασὶν ἀντλούμενα, βελτίω γίνεσθαι.

Et Beatum uelstrum amate, qui studiosis omnibus semper gratificari  
 cupit. Bene ualete Basileæ Rauricorum ad Eid. Augusti.

# INDEX EORVM

OMNIVM QVAE HVIC OPERI INSVNT.

|                                                                                           |       |                                    |     |                                    |     |
|-------------------------------------------------------------------------------------------|-------|------------------------------------|-----|------------------------------------|-----|
|  ccidens | 10    | astutia                            | 77  | christi diuinitatem utrum uisuri   |     |
| acolythi officium                                                                         |       | auaritia                           | 77  | sint damnati                       | 106 |
| pag. 92. & 93                                                                             |       | augustinus de doctrina christia    |     | christi potentia                   | 62  |
| acrasia                                                                                   | 76    | na                                 | 2   | christus quomodo adorandus         | 63  |
| aequinoctialis regio                                                                      | 44    | <b>B</b>                           |     | christi iudicantis forma           | 106 |
| ade corporis materia                                                                      | 43    | Bacalarij                          | 93  | christi passio                     | 67  |
| ade expulsio                                                                              | 50    | baptisma in aqua na                |     | christi resurrectio                | 71  |
| adoptio impedit matrimonium                                                               |       | turali Christus instituit          | 82  | christi incarnatio                 | 56  |
| pag.                                                                                      | 97    | baptisma                           | 81  | christi natiuitate ex uirgine nec  |     |
| ambitio                                                                                   | 77    | baptizare posse foeminas           | 84  | impossibilem nec irrationabi       |     |
| amor a uerbo procedit                                                                     | 25    | baptisma                           | 49  | lem: eius autem uitam conue-       |     |
| anatomie scientia                                                                         | 44    | beatitudo in dei uisione consistit |     | nientissimam fuisse                | 189 |
| angeli non habent corpora uni                                                             |       | pag.                               | 112 | christi fidem esse ueram ab admi   |     |
| ta, & possunt ingredi corpo                                                               |       | beatitudo                          | 109 | rands operibus eius & pri-         |     |
| ra, ac dantur custodes                                                                    | 34    | beati spem non habent              | 74  | num a potentia                     | 160 |
| angeli ministri                                                                           | 42    | beatorum passibilitas              | 104 | christi fidem esse ueram a sapi-   |     |
| angelici & humani intellectus                                                             |       | bellum                             | 75  | entia                              | 166 |
| differentia                                                                               | 112   | bestiae                            | 108 | christi fidem esse ueram a boni-   |     |
| angelorum numerus                                                                         | 33    | boni nu debeant purgari in pur     |     | tate                               | 171 |
| angelos non facere res natura                                                             |       | gatorio                            | 90  | christi fidem esse ueram a pote    |     |
| les                                                                                       | 43    | bona spiritualia                   | 89  | tia, sapientia, & bonitate si-     |     |
| angeli non extabescunt                                                                    | 108   | bonitas an in sacerdote requira    |     | mul                                | 175 |
| angeli                                                                                    | 32    | tur                                | 92  | christi corpus an sit ueru in eu-  |     |
| angelus differt ab anima                                                                  | 34    | <b>C</b>                           |     | charistia                          | 86  |
| animam hominis esse immorta-                                                              |       | Caeis lumen restituere             |     | christi corpus an desinat esse in  |     |
| lem                                                                                       | 135   | pag.                               | 42  | coelis, cum est in sacramento      |     |
| anime sanctoru patrum & pro                                                               |       | canonicum ius                      | 97  | pag.                               | 86  |
| phetarum                                                                                  | 90    | canonistae                         | 95  | christus utrum totus & totaliter   |     |
| anima intellectiua                                                                        | 41    | cautio                             | 76  | fit in sacramento                  | 86  |
| anime potentie                                                                            | 41    | castitas                           | 79  | christianam uitam nullam melio     |     |
| anima separata utrum habeat                                                               |       | cenodoxia                          | 77  | rem inueniri                       | 139 |
| receptacula                                                                               | 98    | cinerum collectio                  | 42  | christianae uita ultimo fine meli- |     |
| anima excessu uita an actus sen                                                           |       | ceremonias ecclesiae rationabi-    |     | orem nullam excogitari pos-        |     |
| files potetia refideant                                                                   | 98    | les esse                           | 219 | se                                 | 140 |
| appetitus sensitiuus & intelle-                                                           |       | character                          | 81  | christiana uita ad beatitudinem    |     |
| ctiuis                                                                                    | 45-41 | charitas potest augeri             | 74  | nullum medium melius inue-         |     |
| appetitus scientie                                                                        | 48    | christi ascensio                   | 71  | niri                               | 142 |
| aqua passibilis                                                                           | 43    | christus instituit baptisma in a-  |     | christianam religionem homi-       |     |
| arbores                                                                                   | 108   | qua naturali                       | 82  | nes certissime ad beatitudinē      |     |
| arrogantia                                                                                | 77    | christi passionem & reliqua hu     |     | perduci                            | 143 |
| articuli fidei                                                                            | 5     | manitatis eius mysteria om-        |     | christianam fidem esse uera uel    |     |
| astrologorum traditiones peni-                                                            |       | niaq; ecclesiae circa fidem de     |     | ex eo quod optime uite sit         |     |
| tus inutiles ac supersticiosas                                                            |       | creta rationabiliter poni          |     | causa                              | 144 |
| esse                                                                                      | 222   | pag.                               | 195 | christiana doctrinam, cui fides    |     |
| astrologi                                                                                 | 108   | christi perfectio                  | 60  | innititur, esse a deo              | 147 |
| astrologorum error                                                                        | 54    | christus instituit omnia sacramē   |     | christianorum fidem ab oratio      |     |
| astrologia                                                                                | 6     | ta                                 | 90  | ne & contemplatione esse           |     |
|                                                                                           |       |                                    |     | ueram                              |     |

I N D E X.

|                                     |     |                                 |                                   |     |
|-------------------------------------|-----|---------------------------------|-----------------------------------|-----|
| ueram                               | 150 | stallinum, olympiū, igneum,     | damnati carent uisione dei        | 116 |
| christianorum fidem à cultu ex-     |     | ætherium, aërium,               | damnatos an misericordia dei li-  |     |
| teriori esse ueram                  | 152 | cœli motus an cessaturus sit    | beratura sit                      | 116 |
| christianæ uitæ fidem ab intrin-    |     | pag.                            | 107                               |     |
| secis effectibus esse uerã          | 155 | cœlestium corporum utrum sit    | damnatis negatur cõmunio          | 87  |
| christianæ uitæ fidem ab extrin-    |     | augenda claritas                | damnati spem non habent           | 74  |
| secis affectibus esse uerã          | 158 | cœlestes aquæ                   | defectio solis & lune             | 100 |
| christiana religio quæ de origi-    |     | communio negatur damnatis &     | degradati                         | 94  |
| nali peccato asserit nec impos-     |     | saturatis                       | deus an cognoscat alia extra se   |     |
| sibilia esse nec ratione caren-     |     | coniunctio Solis & Martis       | pag.                              | 14  |
| tia                                 | 192 | constantia                      | deus mens & causa                 | 29  |
| christianam religionem duo cha-     |     | continentia                     | deus an intelligi possit ab homi- |     |
| ritatis præcepta totius uitæ        |     | consanguinitas                  | nibus in uita                     | 8   |
| morales fundamenta sapien-          |     | consensus                       | deus est immobilis                | 10  |
| tissime ponere                      | 198 | confessio quid                  | deus non est corpus, nec compo-   |     |
| christianam moralẽ ecclesiæ do-     |     | continuitas                     | situs, nec terrenus, neq; in po-  |     |
| ctrinã excellentissimã esse         | 199 | conirritio quid                 | tentia, nec materia, & nõ pati-   |     |
| christianam fidem de creatura       |     | corpus utrum idem numero re-    | tur accidẽtia, neq; forma cor-    |     |
| rationalis sanctificatione de       |     | surrecturum sit                 | poris est, sed est perfectus      | 11  |
| quæ eius gloria & resurrecti-       |     | corporis organa                 | deus quæ non uidentur posse fa-   |     |
| one nihil irrationabile atte-       |     | corporum creatio                | cere                              | 20  |
| stari                               | 185 | corporum creatio                | dei cultum duplicem esse          | 139 |
| christianam religionem pœnis        |     | corporis figura                 | dei scientia                      | 12  |
| damnatorũ conuenienter po-          |     | &                               | dei scientia an sit mutabilis     | 13  |
| nerere                              | 186 | corpus non debet totum ungi sa- | dei potentia                      | 19  |
| christianam religionem de Chri-     |     | cramento extremæ unctiõnis      | deum esse rationibus probari      |     |
| sti incarnatione nihil impossi-     |     | pag.                            | posse                             | 9   |
| bile, nihil indecens aut irrati-    |     | corporum formæ                  | deo inest amor                    | 21  |
| onabile sentire                     | 187 | corpus                          | deum intelligi non posse ratio-   |     |
| christianorum persecutio            | 54  | corpus utrum ex elementis       | probans                           | 9   |
| christianam religionem omnino       |     | correctio                       | deo quid cõueniat posse sciri     | 11  |
| ueram & stabilem esse               | 246 | creatio hominis                 | deus creat ex nihilo              | 29  |
| christiana à fide dei trinitate ni- |     | creatio                         | deo esse intellectũ perfectamq;   |     |
| hil impossibile, nihil irrationa-   |     | creatura                        | rerum cognitionem, cumq; nõ       |     |
| bile asseuerari                     | 179 | crines utrum resurrecturi sint  | necessitate nature agere, sed     |     |
| christianam fidem de creatione      |     | pag.                            | uoluntate                         | 129 |
| nihil impossibile, nihil irrati-    |     | crudelitas                      | deo non sunt fortitudo, magna     |     |
| onabile affirmare                   | 183 |                                 | nimitas, passiones                | 22  |
| christiana religio credit quæ su-   |     |                                 | dei uoluntas                      | 20  |
| pra hominis intellectum             | 178 |                                 | deo non est tristitia, nec dolor, |     |
| christianam præter religionem       |     |                                 | appetitus, spes, timor, pœnitẽ-   |     |
| nullam ueram esse                   | 217 |                                 | tia, inuidia, ira, odium gaudi-   |     |
| cineres humanorũ corporũ            | 105 |                                 | um, delectatio,                   | 21  |
| circumspectio                       | 76  |                                 | deum infinita facere posse quæ    |     |
| clementia                           | 79  |                                 | humani intellectus captum ex-     |     |
| coelum utrum sit unum               | 39  |                                 | cedant, in deoq; esse infinita    |     |
| coelum non est patibile             | 43  |                                 | pag.                              | 177 |
| cœli ortus                          | 38  |                                 | deum habere rerum omnium pro-     |     |
| coelum empyreum, aqueum, cry-       |     |                                 | uidentiam                         | 130 |
|                                     |     |                                 | dei prouidentia                   | 16  |
|                                     |     |                                 | dei mia                           |     |

D

|                                  |           |
|----------------------------------|-----------|
| Acmonum cognitio                 | 36        |
| damones                          | 34. & 108 |
| damonis tentatio                 | 50        |
| damones non licet uocare         | 36        |
| damones possunt ingredi corpo-   |           |
| ra uegetabilis, sensibilia rati- |           |
| onabilia                         | 37        |
| damnatorum uoluntas              | 115       |
| damnatorum pœnæ                  | 113       |
| damnatorũ acquisita sciẽtia      | 115       |
| damnati cogitant bona omissa     |           |
| pag.                             | 115       |

|                                                                                     |     |
|-------------------------------------------------------------------------------------|-----|
| dei misericordia an damnatos liberatura sit                                         | 116 |
| dei imago homo                                                                      | 45  |
| dei perfecta substantia                                                             | 56  |
| deum esse                                                                           | 125 |
| deum non esse corpus, nec corporis formam, nec aliquod compositum                   | 126 |
| deum esse unum                                                                      | 128 |
| deum esse perfectum & summū bonum, infinite potentie, ubi que immutabilem & æternum | 127 |
| deus est infinitus                                                                  | 12  |
| deus an cognoscat singularia pag.                                                   | 12  |
| deus utrum cognoscat mala                                                           | 13  |
| diaconus non potest conferre sacramentum                                            | 91  |
| diaconi officium &                                                                  | 92  |
| diatelia                                                                            | 93  |
| diatelia                                                                            | 78  |
| discordia                                                                           | 78  |
| discordia                                                                           | 75  |
| dispensatio non est post quarū gradum                                               | 97  |
| diuinum ius                                                                         | 97  |
| diuinitatis ordo                                                                    | 26  |
| diuine nature nomina imponimus                                                      | 25  |
| &                                                                                   | 26  |
| diuina nomina                                                                       | 12  |
| docilitas                                                                           | 76  |
| dolus                                                                               | 77  |

E

|                                                       |     |
|-------------------------------------------------------|-----|
| <b>E</b> rietas                                       | 79  |
| <b>E</b> lectos utrum ignis exustus sit               | 101 |
| elementorum omnium ignis utrum futurus sit cōsumptius | 101 |
| elementa utrum claritatem habitura sint               | 108 |
| elemosyna                                             | 75  |
| elemosyna quid                                        | 88  |
| episcopus reconciliatus an possit ordinare            | 94  |
| episcopus                                             | 92  |
| episcopus hereticus utrum possit ordinare             | 83  |

|                                                         |          |
|---------------------------------------------------------|----------|
| episcopo pertinet confirmatio pag.                      | 93       |
| epilogus operis totius                                  | 248      |
| eucharistie sacramenti effectus pag.                    | 87       |
| eucharistia                                             | 85       |
| eucharistie materia                                     | 85       |
| eucharistie panem nostri sine fermento, Græcum sermento | 85       |
| exorcistæ officium                                      | 92. & 93 |
| exuscitare mortuos                                      | 42       |

F

|                                               |     |
|-----------------------------------------------|-----|
| <b>F</b> elicitatem uoluntatis actū contineri | 111 |
| fides                                         | 73  |
| fidei argumenta unde eliciuntur pag.          | 119 |
| filius uerbum dicitur                         | 24  |
| firmamentum                                   | 39  |
| fœminas posse baptizare                       | 84  |
| fortitudo                                     | 77  |
| fraus                                         | 77  |

G

|                                     |        |
|-------------------------------------|--------|
| <b>G</b> eometria                   | 5. & 6 |
| genilium errores                    | 53     |
| gloria uana                         | 77     |
| gloria nihil est                    | 110    |
| gratia habitualis                   | 60     |
| gratia infinita                     | 60     |
| gratia utrum in matrimonio conferat | 95     |
| grammatica                          | 5      |
| gula                                | 79     |

H

|                                                       |     |
|-------------------------------------------------------|-----|
| <b>H</b> ereticorum errores                           | 52  |
| <b>H</b> ereticorum omne dogma falsum                 | 239 |
| heretici                                              | 73  |
| homo princeps animantium                              | 45  |
| homini cerebrum humidissimum pag.                     | 47  |
| hominis primi scientia                                | 47  |
| homo minime prescius futuri pag.                      | 45  |
| homines simul ac nati essent utrum statim ambulassent | 46  |
| hominis corpus immediate factū pag.                   | 43  |

|                                                    |          |
|----------------------------------------------------|----------|
| hominis finis ad quē diuina prouidentia dirigitur  | 13       |
| homo utrum immortalis                              | 45       |
| hominis finem ultimum in presententi uita non esse | 132      |
| homines utrum generare potuissent sine coitu       | 46       |
| homo dei imago                                     | 45       |
| hominis status ante peccatū                        | 45       |
| homini duo defectus                                | 45       |
| honor nihil est                                    | 109      |
| honestas                                           | 78       |
| hominis animam esse immortalem                     | 135      |
| hostiarum officium                                 | 92. & 93 |
| humani & angelici intellectus differentia          | 112      |

I

|                                                       |          |
|-------------------------------------------------------|----------|
| <b>I</b> actantia                                     | 78. & 77 |
| idearum genera                                        | 15       |
| idololatrarum sectam omnium uanissimam esse           | 228      |
| ieiunium quid                                         | 88. & 78 |
| ignis ille ultor an sit futurus æternus               | 114      |
| ignis utrum exustus sit electos pag.                  | 101      |
| ignis utrum futurus sit cōsumptius elementorum omnium | 101      |
| immunditia                                            | 79       |
| imprudencia                                           | 76       |
| impassibilitas beatorum                               | 104      |
| inconstantia                                          | 76       |
| indulgentie                                           | 89       |
| infernus locus ubi sit                                | 115      |
| inobedientia                                          | 77       |
| inquietudo                                            | 77       |
| ira                                                   | 79       |
| ironia                                                | 77       |
| insani non debent inungi sacramento extrema unctionis | 91       |
| instrumentum                                          | 10       |
| insensibilitas                                        | 78       |
| intellectus possibilis                                | 61       |
| intellectus agens                                     | 61       |
| intelligentia                                         | 76       |
| intellectus differentia inter angelicum & humanum     | 112      |
| intellectus agens                                     | 41       |



I N D E X.

purgatorij descriptio 90  
 purgatorij locus an sit determi-  
 natus 90  
 purgatorio num debeant boni  
 purgari 90  
 purgatio mundi 100  
 purgatio utrum ex igni 100  
 pusillanimitas 78

R

**R**atio per uiam motis 10  
 ratio 76  
 religionem aliquam ueram esse  
 pag. 138  
 & 143  
 religiones à philosophis tradi-  
 tas defectuum & errorū ple-  
 nas 218  
 repudiari quando non potest u-  
 xor, septem casus 97  
 resurrectio qua hora fit futura  
 pag. 107  
 resurrectio Christi 71  
 resurrecturi utrū in iuuetute 104  
 resurrectio 98  
 & 102  
 resurrectio an sit futura in fine  
 mundi 102

S

**S**acramentum matrimonij  
 pag. 94  
 sacramenti ordo 92  
 sacramentum extreme unctio-  
 nis pag. 90  
 sacramenta 81  
 sacramentum laicus non potest  
 conferre, nec diaconus 91  
 sacramenta omnia instituit Chri-  
 stus. 90  
 & 204  
 sacramentorum numerum ratio-  
 nabilem esse 205  
 sacramentorum ritus conuenien-  
 tes ac rationabiles esse 207  
 sacramentum circa Eucharistie  
 obiectorum solutiones 212  
 sacramentum poenitentiae 87  
 sacerdotis bonitas an requiratur  
 pag. 92  
 sacerdos 92

seuitia 79  
 sanctorum preces pro damnatis  
 pag. 116  
 sani non debent inungi sacra-  
 mento extreme unctio-  
 nis 91  
 satisfactio quid 88  
 saturis negatur communio 87  
 scelerati sunt amandi ex chari-  
 tate 74  
 scientia substantiarum separa-  
 tarum, & de rebus corpo-  
 reis, & de scientia animae  
 pag. 7  
 scientiae speculatiuae nihil sunt  
 pag. 110  
 scientia 61  
 scientia dei 12  
 scurrilitas 79  
 sensuum loca debent ungi cum  
 sacramento extreme unctio-  
 nis 91  
 sensuum interiorum cellae 44  
 serui 97  
 signa iudicij 99  
 simonia propter ignorantiam an  
 excusetur 94  
 sobrietas 79  
 solis & Martis coniunctio 108  
 solis defectio 100  
 solertia 76  
 spem non habent beati nec dam-  
 nati 74  
 spes 74  
 sphaera noua 39  
 spiritus sanctus an procedat ut  
 amor 24  
 spiritus sanctus à filio procedit  
 pag. 25  
 sponsalia 96  
 sponsionis absolutae quatuor ge-  
 nera 96  
 studaeosis 79  
 substantia sine materia 37  
 stellarum fixarum sphaera 39  
 stelle an sint animata 40  
 stoliditas 79  
 studiositas 79  
 subdiaconi officium 92  
 & 93

superbia 79

T

**T**empus 38  
 temperantia 78  
 terra passibilis 43  
 terrae forma 40  
 theologia quid 5  
 theologica uirtus 73  
 theologi 95  
 theologia an scientia ac sapien-  
 tia sit dignior reliquis 6  
 trinitatis falsae opiniones pro-  
 gressio 24  
 trinitas 179  
 triumphus domini 117  
 testificatio utrum uocalis coram  
 deo 105

V

**V**ana gloria 77  
 uenus 76  
 uerbum filius dicitur 24  
 ueritas 77  
 uerecundia 78  
 uiolentia 77  
 & 10  
 uirginis conceptio 65  
 uirginitas 79  
 uisione dei beatitudo consistit  
 pag. 112  
 uirtus Theologica 73  
 uirtutes morales 76  
 unctio sacramenti extrema qui-  
 bus danda quibusq; non &  
 quae loca ungenta 91  
 unctio-  
 nis extreme sacramentum  
 pag. 90  
 unguis utrum resurrecturi sint  
 pag. 103  
 uotum 97  
 uoluntas damnatorum 115  
 uoluntas dei 20  
 uoluntatis felicitatem actu con-  
 tineri 111  
 uoluntas nihil est 109  
 uox 5  
 uxor quando non potest repu-  
 diari 97

Finis.





Non satis aliquando admirari solebam Beate (qui ſingulari tua eruditione uere beatus es) homines plæroſq; ea inſolentia tumentes, uel ut dicam potius ignorantia ſqualore obtritros, ut etiam ſi diſciplinās maximas profiteantur, eloquentiam ipſam odio habent, hancq; ut ſucatam inſectari & deuouere nitantur. Adeo omnes qui propitia, ut aiunt, Minerua bene & latialiter, uel etiam græce dicere conſueuere, quaſi abiecto, indigno, ac etiam turpi nomine poëtæ, inſclamant, dilacerant, & boatu ſuo, à puerorum inſtitutione, ac etiam urbe pellendos putant. Sed pro ch inſcitie & facinoris iniuriam. Non omnes, etiam nō mediocris eruditionis poëtæ ſunt, nec etiam poëtæ (de caſtis loquor) mali ſunt, quibus mētem (ut alios Chriſtianæ religionis uiros cenſores obmittam) Magnus Baſilius adhibendam putat, cum uirorum excellentiū facta aut dicta cōmemorant, tunc enim tota mēte moueri atq; inflammari debemus, maxime q; conari, ut tales ipſi ſimus, quales illi fuerunt. Verum ad ignauos atq; perditos iſtos homines reditum facio, qui ueram ipſam eloquentiam, & quam (ruditate ſua exiccati) guſtauerunt nunquam, mordere, lacerare, atq; cōfodere ſtudent. Hæc tamen ab eruditis noſtris theologis, Chriſtianæ ſapientia ſemper cōiuncta fuit. Paulus enim Cortefius qui in ſententias ſcripſit, diuum Aurelium Auguſtinum & Hieronymum quaſi limatori dicendi genere uſos accerſit. Quare non iniuria etiam apud poſteriores theologos (de eruditis loquor) eloquentia ipſa in precio ſemper fuit, quæ rem exornando ſemper amplificat, & (ut Cicero ait) non ſolum ad augendum aliquid & tollendum altius dicendo, ſed & ad extenuandum atq; obijciendum, nobis potiſſimum accedit. Legant rogo iſti, qui uix nominādi ſunt, ſophiſtæ, Dionyſium Areopagitam, Florentem Tertullianū, duos Gregorios, Naziāzenum & Nyſſenum à tuo Conone Norimontana diligētia tua, latinitate donatum, reſtitutumq; Magnū ipſum Baſilium Nyſſeni fratrem, Origenem Adamantinum cuius homilias diuus Hieronymus, & contra Ceſſum Chriſto impudenter obſtrepētem, libros ſex, Chriſtophorus Perſona latinus fecerunt, Laſtantium item Firmianum, Cæciliū Cyprianum, & Auguſtinum ipſum & Hieronymum, Ambroſium, Ruſinum, Leonem quoque pont. max. & alios innumeros, hos ut perſuaſum habeo, iſti uidebunt minus barbara latinitate inquinatos, nec etiam ſordelcentes. Quocirca ætati noſtræ, tibi, & alijs eruditis, qui politiores & latinus & græcas colitis literas, plurimum eſt congratulandum, tum in primis Cortefio ipſi, quod ſacras literas ab inculata atq; temeraria lingua reſtituerit, hoſce audaces homines, politior  
ris liter

E P I S T O L A.

ris literaturę hostes adnotauerit, profligauerit, atq; uicerit, cui & nos & posse  
 ri plurimum debemus. Credo modo, & hoc adsero firmiter, literarum & do  
 ctinæ monumenta aliquantulum luci reddita, ac ad claritudinem pristinam  
 euocata esse. Breuiq; ætas nostra (deum Optim. Max. ita rogo) perficiat, ut à  
 caliginosa tempestate, ingenti ista socordia, putriq; barbarie aliquando & inte  
 gre liberemur. Quamobrem diuinum hoc Pauli Cortesij, maximaq; philoso  
 phia conditum opus, feliciter legito, atque castigatum diligentissime, denuo,  
 formis excusum emittito, ut etiam Germanis nobis, & utilitatis, & salutis, con  
 seruandæ uirtutis, rectam & immaculatam eloquentia ipsa, eius quoque ni  
 tor & decor uiam ostendat, quod actorum nostrorum gloriam, & post  
 fata immortalitatis memoriam consequamur. Vale.

Ex Augusta Vindelicorum, 13. Kalen. Iulias.

Anno salutis. M. D. XIII.

AVTORVM CATALOGVS, E' QVORVM  
monumentis hæc collecta sunt.

|                       |                         |
|-----------------------|-------------------------|
| Ambrosius             | Gerardus Oddonis        |
| Augustinus            | Gregorius de Arimino    |
| Anselmus              | Galenus                 |
| Albertus              | Hieronimus              |
| Aureolus              | Hylarius                |
| Alphonsius            | Heraclitus              |
| Antipater             | Henricus                |
| Alexander Aphrodiseus | Holcot                  |
| Aristoteles           | Hugo                    |
| Alexander de Ales     | Herueus                 |
| Anaximenes            | Iacobus de Viterbio     |
| Algazelius            | Iacobus de Apamis       |
| Auerrohis             | Iosephus                |
| Auicenna              | Isidorus                |
| Anaxagoras            | Ioannes Picus Mirandula |
| Adam                  | Ioannes de Neapolis     |
| Albertus Magnus       | Ioannes de Ripa         |
| Bonauentura           | Landulphus              |
| Basilius              | M. Tullius              |
| Beda                  | Moses                   |
| Bernardus de Gannaco  | Magister sententiarum   |
| Bernardus Oliuerius   | Macrobius               |
| Cassiodorus           | Origenes                |
| Chrysippus            | Plato                   |
| Chrysostomus          | Pythagoras              |
| Cleantes              | Parmenides              |
| Capreolus             | Posidonius              |
| Dionysius             | Panetius                |
| Democritus            | Petrus de Palude        |
| Damascenus            | Porreclanus             |
| Diogenes              | Platonici               |
| Durandus              | Richardus               |
| Eusebius              | Rabe Mose               |
| Aegidius Romanus      | Roddontus               |
| Empedocles            | Scotus                  |
| Epicurus              | Scotista                |
| Aegidius              | Thomas                  |
| Gregorius Nazianzenus | Thomas de Argentina     |
| Gregorius de Arimino  | Themistius              |
| Gerardus de Senis     | Thomista                |
| Garron                | Thaletes                |
| Godefredus            | Vgo de sancto Victore   |
| Guillermus Ochan      | Xenophon                |
| Garsia Hispanus       | Zenon                   |

# PAVLI CORTESII

PROTONOTARII APOSTOLICI PRO OE/  
MIVMIN LIBVM PRIMVM SENTEN-  
TIARVM AD IVLIVM II.  
PONT. MAX.



**D**iv Pont. Max. summa est hominum contentione certatum, Philosophorum ne esset studijs latini sermonis adhibendus nitor. Sunt enim multi philosophi, qui cum facultatem uerborum faciendorum uoluntariam esse opinentur, nihiloq; minus eis in pariendo licere quã priscis illis licitum fuerit arbitrentur, negant quicquam esse causæ, cur uerborum pariendorum licentiam, priscorum angustijs præfiniri uelint. Nonnulli autem cum philosophiam, quasi marmoream quandam ædem constituant, nullo modo ei tectorium induci debere censent, nec fas esse putant, pulcherrimi uultus candori illiniri fucum. Quibusdam etiam seuerioribus, philosophiam squallidiorẽ, & horridiorẽ esse placet, quæ nec aspectu inuitet ad eũtes, nec opes uulgo largiendo effundat. In quo quidem cum per magna res agatur utilitatis hominum, causa est contra eos arma capiendi. Siquidem si uerborum faciendorum licentiam sibi non negatam dicant, concessuros arbitror, idem perinde posteris, ut illis licere, & rursus æque cæteris ac cæteris liberum futurum, ex quo in infinitum cursus dimanaret, quo sanè nihil dici potest in omni philosophia inscitius. Atq; etiã ab his, qui philosophiæ omnia ornamenta adimunt, in tantula causa sciscitandum puto, num philosophiæ speciem naturalem an artificiosam uelint: Nam si naturalem eam esse affirmant, perquirendum quidem est, utrum significetur nutu, an in mente & cogitatione uersetur. propterea quod si eam in mente insidere dicant, nihil abest quin ab hac disceptatione recedant, cum de specie literata disputetur. Si autem naturæ pulchritudinẽ nutu significari opinentur, per facile etiam fateri poterunt, frustra sermonem hominum generi à natura datum, quo uno belluis maxime præstamus. Siquidem cæterorum animantium natura, inscitia loquendi usq; eo peruenit, ut uicissim inter se hilaritatem & tristitiam significant uoce naturæ, ut præclare in rugitu leonũ, uel in canum latratu, siue equorum hinnitu apparet, at homo qui rationis est compos, sermone bonorum & malorum genera declarat. Ex quo erit cõfiteri necesse, eiusmodi philosophiæ speciem literatam & artificiosam uideri, quæ ad naturæ pulchritudinem statuatur. Quod si artificiosa dicatur, ne mini dubium esse debet, eam speciem philosophiæ studijs esse aptiorẽ, quæ suauis quã quæ absona feratur, propterea quod suauitas cum in intelligendi sensum irrepit, philosophiæ studia amplificat, Nam qui in aliquo doctrina

**A** rum genere

rum genere cum oblectatione uersantur, subtilius quicquam in eo genere diiudicant, ut qui citharæ artificio delectantur, per facile citharædi boni fiunt. Ob eamque causam affirmamus in orationis ornatu, uerborum salubritatem non consecretandum esse fucum, quandoquidem elegantia philosophiam, tamquam pulchritudo habitum corporis sequatur. Itaque his qui eloquentiam cinnis & fucis contineri credunt, iure negemus, eos nunquam Rhetorum præcepta attigisse, cum uirtutum & uiciorum uicinitate non inter noscant, quantum intersit inter orationem fucatam & sanam, ut lippi quibus omnia alba apparent, marmor à topheo non secernunt, quod congruere in candore uideantur. Nec multo quidem secus his intempestiue seueris dicendum erit, qui dum orationem ut nummum tantidem ubique ualere credunt, & horridiorem laudant amictum, ac soli propè philosophari uolunt, non intelligunt causam esse eis, à philosophia desciscendi, cum usus sordidioris amictus ab ostentatione oriatur, ut scite Aristoteles obsoletiorum Laconum amictum uituperat, quandoquidem ostentatio nimium & parum nanciscatur. Atque ego non uideo cur publicam philosophiæ hæreditatem soli adire uelint, nec ad æquilibrium assem dispertiant. Aut enim sunt inuidiæ, aut auaritiæ postulandi. Sed nimirum hoc loco oppugnanda est eorum theologorum arx, qui disserendi elegantiam à theologia seiungunt, propterea quod à prisco Poëtarum Oratorumque genere manarit, quodque ostentatrix sit & in gloriam doleuis, & quanquam multos affirmant ex diuorum cœtu ualuisse dicendo, ab his tamen dicunt oratorium dissimulatum florem. Ego autem non intelligo si explodendam esse eloquentiam dicant, quod sit ex priscorum fundo decerpta, cur non philosophiam quoque pellendam putent, quod ex uberrimo priscorum fonte defluerit, cum tamen notum sit, multum sæpe eam contra transfugarum repugnantiumque inficiationem profuisse. At cum affirmant in istiusmodi sermone, gloriæ oriri uentum, quo homines tanquam utres & folles inflentur, causa non est, quin dicatur, uerius eam gloriam in scientiarum quam in uerborum genere uersari, cum huiusce gloriæ limes sit præstantiæ ostentatio. Quod si ita esset, intelligi etiam liceret, diuos qui in omni genere doctrinæ præstiterunt, eiusmodi gloriæ uento turgidiores extitisse, quod tamen per absurdum uideri debet. Atque etiam dicendum est ob eam causam ab his oratorium florem in disserendo cælatum, propterea quod artis intimæ sit, artificium uelare dicendo. Quid enim erat causæ cur dissimulare uellent, quod consecretari uiderentur, nam si uitiosus in dicendo putabatur splendor, cur erat liberum dissimulare, quod esset turpe consecretari? Ego uero nullo profus modo intelligo, quomodo diuis dissimulare licuisse opinentur, nisi eos mendaces fuisse fateantur. Sed nihil est quod diutius repugnent, si diuum Augustinum uadem accersam, qui non modo non sit limatius dicendi aspernatus genus, sed etiam, D. Pauli orationem ad Cæs. Hieronimi que methodicem

methodicen ad troporum genera retulerit. Ac meo quidem iudicio Pont. Max. natura semper pulchritudinem cum utilitate suo pte quodam fœdere coniungit, ut præclare in solis ac syderum genere ostenditur, quibus difficile est iudicare, utrum quicquam pulchrius aut utilius sit commenta natura. In animantium quoq; ac arborum genere utilitas à specie non seiungitur, quid est enim in hominis figura fabricatum, quod ad usum nō æque aptum ac uenustum uideatur: quid pulchrum ceterorum animantium utilibus partibus abest: iam arborum generi quæ pertinax florum germinatio, quæ fructuum procreatio deest: Eodem accedit quod multa frustra penè à natura data uiderentur, nisi ad ornatū dicerentur naturæ auctoramēto parta. Cur enim uel macula pardo, aut pauoni cauda, siue leoni esset adiecta iuba, nisi ad ornatū naturæ pingentis ingenio inuenta dicerentur: Equidē eloquentiā in doctrinarum genere tanquam in celsissimo corpore pulchritudinem putarim, quæ ab his uelut decora sanitate seiungi non possit. Quod sanè maxime coniungere uoluit, totum illud priscum philosophorum genus, quis enim uel amplitudinem Platonis, uel suauitatem Xenophontis, aut Theophrasti candorem, siue aureum Aristotelis flumen non agnoscit: Ex quo mihi quidem libet hos philosophorum greges sciscitando urgere, qui sanè etius Aristotelem quam Ægyptij ibim, aut crocodilum colunt, cur in eo splendidiorem uerborum usum & eloquentiam non reprehendūt, & si non uituperant, cur in hoc ab eo desciscunt: Prorsus si non consecretantur, damna re sanè uideri possunt, quando quidem eum in cæteris ut nautæ elicem aut cynosuram sequantur. Atqui cum supra octodecies centum nihil in eo reuoluptum esse dicant, quod iure obiurgari possit, inuolutius pugnātia efferūt, cum in eo nullum errorem uelint, & tamen aliquid ei inesse appareat, quod cōsectari nolint, cum in ceteris eum studiosissime sequantur. Sed ego Pont. Max. multos arbitror hoc scribendi genus, non tam iudicio quam perficiendi inscitia, aut naturæ quodam morbo refugisse, ut nonnulli sæpe ea contemnere uideri uolunt, quæ se assequi posse diffidant, ac icterici mel tanquā absynthium & rutam aspernantur. Quare cum uiderem philosophiam, ut euanescentem sine colore picturam explodi, & humaniores ut uerborum tympana contemni, permagni æstimauit quoquomodo possem quod utrisque deerat adijcere. Itaq; quanquam separatim à nobis de principe tres scripti sint libri, multaq; præclara in philosophia sint quæ illustrioribus literis potuissent explicari, mea sum tamen magis interesse ratus, Theologiam Christianam ex intima sententiarum aurifodina ad expolitiones reuocare. Nam cum finis bonorum, principis ueritatis contemplatio sit, facile intelligi potest, eam cæteris præstantiorem uideri, quando quidē eius hypothesis princeps ueritas dicatur, quæ sit deus supra naturæ cōplexum notus. Itaq; ut elegantiorum nostratum canora studia ad Theologiam reuocarem, quæ

4  
 est uelox ingeniorum excitatrix, Theologumenon omnium sententiarum  
 typum, quatuor complexus sum libris, nam de deo, de mundi ortu, de instau-  
 ratione, ac de sacris separatim disputatio explicatur. In quibus sanè philo-  
 sophi fateri cogentur cutem à carne seiungere, qui elegantiam à philosophia  
 secernunt. Et politiores solum in pinacidijs nostris intelligere poterunt, quan-  
 tum eorum artifex sedulitas à rerum diuinarum altitudine distet. In quo mul-  
 ta diuina poterunt diiudicare esse uera, quæ eorum rationi repugnare uide-  
 bantur, ut multi solem maiorem esse quam terram suspicari nullo modo possunt,  
 nisi Mathematicorum circinum & decempedam attigerint. Quos quidem  
 libros tibi Pont. Max. dicare decreui, nam præterquam quod iam diu erat,  
 à nobis hoc tibi æris dissoluendum, per commode etiam accidit, quod pon-  
 tificis his proximis comitijs senatus consulto factus, cuius potissimum po-  
 testati hæc theologica genera creduntur. Contigit enim tibi post hominum  
 memoriam uni, ut pontifex putarere antequam fieres, eodemque constanti  
 consensu fieres, quo putabare. Siquidem ex candidatorum genere, multi pon-  
 tifices sunt in interregno iudicati, qui puncto temporis repulsa ceciderunt,  
 at in his comitijs difficile fuit iudicare, utrum quicumque interesset inter pon-  
 tificem factum & futurum, adeoque pariter consulta & festinata senatoria suf-  
 fragia fuerunt, ut si quem pontificatus tui pœniteret, necesse esset eum con-  
 scientiæ suæ pœniteret. Magna hæc quidem laus, sed tamen sunt alia maior-  
 ra, propterea quod minus est negocij sacerdotium maximum consequi, quam  
 adeptum tueri, siquidem multis ad pontificatum uia obrepenti patuit, in pau-  
 cis laus bene gerendi fuit. At præclarum est omnium sermone celebrari, te  
 nullos subscribere libellos, nulla diplomata conficere, quibus aut quisquam  
 de iure suo decædat, aut sacrorum autoritas minuatur, te pontifice nullum  
 fieri muneralem ambitum, nullos licitatores reperiri, prouideri à te, ut cum  
 cetera Re. pu. Christiana fiant, quo nihil est hominum generi ad temporum se-  
 curitatem optandum maius. Quod si hos libros autoritate tui potissimum  
 nominis celebrari uolui, cogitare debebis, me id licentius fecisse, non tam  
 spe patefaciendi mihi aditum ad amorem tuum, cum in tuis iam diu sim,  
 quam magnanimitate commotum, siquidem magnanimi est ingentem ho-  
 norem, tanquam uirtutis testem expetere. Atque in cuiuspiam rei emissionem,  
 quo quippiam ad distantius genus emittitur, eo uehementius fertur, ut præ-  
 clare patet in his, quæ longo interuallo iactantur. In quo si hoc quantula cum  
 que est metiare, facile iudicare poteris, an id primus, aut cum pau-  
 cis susceperim, uel si hoc idem multi factitarint. Quod si  
 me laudare uolueris, eorumque cõparatione lau-  
 dare poteris, qui nondum sint hanc  
 scribendi laudem assecuti.

Itaque quoniam tota est de Theologia futura disputatio, primum de materia quaerendum arbitror. In quo cum uariae sint Theologorum doctissimorum sententiae, explicandum erit, quid hij de hoc quaestionis genere senserint, qui tributim descriptis ordinibus, inter se Theologorum sunt aciem partiti. Siquidem largo haustu diuinitatis compos diuus Thomas, cum omnia quae in Theologia uersantur ad autorem deum tanquam ad initium, aut finem referat, effici uult, ut deus theologiae materia dicatur. Contra quem homo doctus & argutus Aureolus, armatus prodit, qui unus ex caeterorum familia magis uidetur conari uelle secundas arripere, quam primas aspirare, eumque subsequitur alterius familiae Alphonsus Tulletanus, cui non est satis laudari, nisi cum summis theologorum comparetur. Sed est repente exortus Landolphus, qui fabricatorem mundi deum, quatenus deus dicatur, theologiae materiam esse opinatur. Post homo acutus, & diligens, Iacobus Viterbiensis deum huiusce scientiae materiam, amabilissimi ueri ratione esse censet, in eandemque serè sententiam remigrat faciendorum argumentorum artifex praeclearus Garro. Nec ab his quidem longè abest Thomae Argentinae sententia, ab Augustini disciplina manantis. Nos uero materiam in scientiarum genere, tripertito metimur, nam in aliquo scientiae genere, materiam esse dicimus, ad quam omnia tanquam ad initium & fontem reuocentur, alteram uero esse, quam cuncta tanquam integrum totum contuentur, tertiam autem eam esse dicimus, ad quam omnia tanquam ad uniuersitatem totam referantur, quod quidem praecclare in Grammatica, & Geometria ostenditur. In quarum altera quemadmodum materia, tripertito, in litera, oratione, & uoce seiungitur, in altera punctus, corpus, continuitasque secernitur, ita in hoc genere materia tripertita describitur, quarum una ad parentem rerum deum, altera ad Christum, tertia ad sacrorum genera refertur. Itaque ob eam causam nostrorum contentione certatur, an fidei membra, theologiae initia dicantur. Aureolus enim aculeatorum argumentorum rapax, arcum totum contendit, ut ea Theologiae principia esse neget, & in quodam quasi conclusionum genere uersari putet, quod in Theologia patefaciendum & tuendum sit. Nam nullum genus scientiae dicit ad initia sua concludenda progredi, sed potius ex his concludendi rationem nancisci, at cum diuum Thomam omnemque prope Theologorum coetum de his, quaestionum genera construere confirmet, ad eaque explicanda, patefacienda, concludendaque progredi dicat, ut cum quaeritur, terminus ne deus dicatur, fieri uel possit ut cutis humanae amictu uestiatur deus, & quae eius generis sunt, fatendum esse censet, ea nullo modo Theologiae initia debere dici, sed in quodam potius concludendi genere uersari. Quo quidem loco flos & robur Theologorum uaria armorum genera ad dimicandum

A 3 dum assert,



dum affert, maximèque Bernardus, Oliuerius, Gerardus Senensis, & Thomas etiam Argentina, argumentorum genera, quocunque torquent inflectunt. Nos cum Aureoli rationes deducimus, non multum ei prorsus, etiam subducta summa, concedimus, nam quanquam nullum scientiæ genus dicamus ad initia sua probanda progredi, nullo tamen modo interdictum esse uolumus, quin aliquod scientiæ genus initia sua, aliquo similitudinum genere ostendat, eaque à labefactantium ratione tueatur, aut doceat argumentorum genera contraria, euertere, & labefactari posse. Ex quo perspicuum uideri debet, ea non in concludendi, sed quasi in principiorum quodam genere uersari, quæ à differentium aduersariorum argumentatione defendantur, ut Aristoteles contra eos sibi faciendum putat, qui initia in differendo negarint. Sed quæri maxime hoc loco potest, an Theologia in aliquo scientiarum genere uersetur. Nobis uero duplex placet scientiæ esse genus, nam & unum esse intelligimus, quod ab initijs naturali intelligentiæ luce notis eruitur, quo in genere Arithmetica, & Geometria numerantur. Alterum uero id esse dicimus, quod ex antegredientis disciplinæ principijs dimanat ut Musice & Spectatrix, quæ Græce *ὀργανική* nominatur, quarum altera ab Arithmetice, altera à Geometriæ principijs depromitur. Quo in genere intelligi debet, Theologiam esse constitutam, cum ab initijs celsioris scientiæ luce notis oriatur, quæ ab autoris dei, diuorumque patefactione dimanat. Quare non sine causa id scientiæ genus, cæteris præstantius uideri potest, si quidem omnis scientiæ præstantia, aut materiæ dignitate, aut ostendendi modo ostenditur, ut perspicuum est Astrologiam à Geometria, certa ostendendi ratione superari, eamque materiæ dignitate excellere. Cum autem id scientiæ genus, quod sit progrediente hominum solertia repertum, duplex omnino dicatur, unum quod genere, alterum quod specie continetur, nemini dubium esse potest, Theologiam omnibus scientiarum generibus, quæ specie continentur, antecellere, cum planè bene notum sit, nullum genus earum deum materiam nancisci. Atque etiam in illud gurgustium, philosophorum sunt compingendi greges, ut eam multo Metaphysice excelsiorem esse fateri cogantur inuiti, propterea quod non rationis modo, sed consignata patefactionis forma, sit opificis rerum dei cõtemplatrix. Itaque multæ æthereo haustu arripit, quæ assequi ratio nullo modo potest, siquidè Metaphysice cum rato rationis ordine circumscripam nanciscatur ad indagandum uiam, calcem euolandi habet, minúsque se ad dei naturam pernoscentiam effert. Ex quo illud etiam contendimus, cæteris eam sapientiorem uideri, cum sapientia sit rerum diuinarum cognitio, nam ea rite sapientia dici potest, quæ eius rei indagatrix sit à qua rerum causæ nascantur, siquidè quem admodum autore Aristotele ignem omnium calorum causam esse uolumus, ita esse necesse confiteri nobis, princeps uerum, omnium uerorum esse causam

causam, at cum Theologia maxime sit principis ueri contemplatrix, per facile sciri potest eam id maxime metiri, à quo rerum causæ oriuntur. Atque etiam eam sui causam esse dicimus, nam id liberum, & sui causa esse placet, quod ad quippiam externum, nullo modo constituitur. Ex quo efficitur, ut omnia scientiarum quoque genera, ad eam statuuntur, siquidem perinde ea cæteris, ac medicina aromaticæ arti comparatur, quæ sit dominatrix, & reatrix earum, non à cæteris instruat. Similiq; prope modo (ut Mathematicis bilem moueamus) eam probamus in quodam certissimo genere uersari, nam res certè collatione dicuntur, quam ad perceptionem, aut ad mentis lucem nanciscantur, etenim ea quæ magis propria uideri possunt, propinquius in mentis lucem irrepunt, cuius offusu rerum genus, quod mentis obtutu percipi & comprehendere potest, actu sub cernendi aciem illabitur, magisq; illud lucis genus arripit, ac altius mentis obtutu penetrari potest. Ex quo intelligi debet id rerum genus certius omnino uideri, certissimamque eam esse scientiam, quæ illud rerum genus persequatur. Itaque ob eam causam, eam scientiam quæ cœlitum naturam seiunctam complectitur, his certiolem esse dicimus, quibus earum rerum natura ostenditur, quæ ab omni materiæ concretione secreta, corpori annectuntur, & tum rursus eam certiolem quam illam, quæ in rerum corporearum natura indaganda uersatur, ut præclare Aristoteles animæ scientiam his certiolem esse probat quæ corpora natura mobilia persequantur. Nec tamen ob id minus est Mathematicorum eruendus clauus, quod rarius sit eorum decempeda metatrixq; ratio fallax, nec item minus est eorum puluere obruendus Ptolemeus, quod Mathematicarum rationum certissimam scientiam uel eamque certiolem, quam Metaphysicæ disciplinam esse opinetur, quandoquidem rerum diuinarum genera, disiecta phantasmatum caligine, magis in integram mentis aciem influere dicantur. Quemadmodum res corporeæ, quæ sunt splendidissimæ natura, per se solisq; splendore collustrantur, magis sub integrum oculorum sensum cadunt. At hebetiore mentis acie, qualis est eorum qui sunt aliquo corporis morbo affecti, magis res phantasmatis obductæ cernuntur, quemadmodum magis sub ægri hebetiorisq; oculi sensum, atra aut caliginosa, quam alba, aut sole collustrata cadunt. Quocirca ab hominum intelligentia, qualis est modo in nobis, certissima Mathematicarum rationum genera euocantur, ad eorumque perceptionem opinabilia phantasmata opitulantur, quæ in cernendi sensum irrepunt. At intelligentia quæ in expleto absolutoque statu constituitur, certissima rerum diuinarum genera euocat, quandoquidem quo res puriores subtilioresq; suapte natura sunt, eo certiores dicantur. Ex quo per facile iudiciū est Theologiam unam ex omnibus, in quodam certissimo genere uersari, eamq; ex uerissima quadam supra progredientem naturam luce manare, intelligiq;

A 4 posse quantum

posse quantum ipse Aristoteles, hoc obtutu adempto lippiret, qui dum lae gallinae se putat inuenire posse; negauit quicquā sciri posse, præterquam quod ab hominum intelligentia eruitur. Sed permagni refert, num theologia contemplatrix sit, an in actione, quam Græci *πραξις* uocant, uersari dicatur, nam diuus quidē Thomas, cum eam in utraq; poni posse opinetur, magis tamen eam contemplationem, quam praxin nominādam censet. In quo magna est ei cum Aureolo contētio, nec minus ei negotij contrahit Gregorius Ariminensis flagranti doctrina, & illustri gratia Theologus. Scotus uero mentis æstu è conspectu euolans, ita minutatim hoc descriptionis genus concidit, ut acrioribus blandiatur acumine, & ex interuallo regustatus adhærescat, multumq; etiam Alexander Ales, Thomas Argentina, Roddometon, Godofredus, Henricus, & Garro, magni & nobiles Theologi, in hoc quæstionis genere uersantur. Sed præter ceteros sapientissimus quiritium Egidius, cum utrunq; genus excludat, eam patheticam esse arbitratur, propterea quod charitas, qui sit Theologiæ cōstitutus limes, pathetica maxime existat. Nos uero quanquam Theologiam uideamus unum esse scientiæ genus, id tamen expletum, & absolutum esse dicimus, uimq; ad hominum absolutionem, ex diuinitatis luce nancisci, hominemq; maxime absoluere, cum ad munia recta, tum ad facultatem contemplandi ueri, ex quo eam partim praxin, partim contemplationem esse uolumus. At cum omne scientiæ genus, finis mentione expendamus, extremumque huius scientiæ finem, in æthereis sedibus principis ueri contemplationem esse dicamus, consistere debere inter sanos uolumus, eam in primis in contemplandi quodam genere uersari.

*An Deus intelligi possit ab hominibus in uita.*

*Distinctio I I.*

**S**ED cum uniuersa Theologiæ contentio eo deducatur, ut parentis rerum dei agnitio eruatur, perquirendum quidem est, an ab hominum genere in uita intelligi possit deus. Prisci enim illi philosophi quasi deus esset quiddam semiconspicuum, & opinabile, dum coniecturis uaria imaginum genera effingebant, satis se exploratam cognitionem adeptos opinabantur, si quod simulacrum figulina creta conficerent, quod ad ueritatis similitudinem accederet. Siquidem Anaximenes deum ab unguibus pingere exorsus, aërem putauit. Parmenides uero ad circuli similitudinem lima & torno perpoliuit. At Pythagoræ, anima commeans uidetur nature uniuersæ fusa. Xenophon autem & Plato philosophorum tympana tonant deum, affirmantes ex his quæ sub cernendi sensum cadant, nullum esse dei simulacrum sole similis. Stoicis uero autore Zenone deus Aether est uisus, quanquam ex his Cleantes solem, Chrysippus mundum dominari

minari putet. At in omni natura uaferrimus autor Aristoteles, cum ad dei præhensionem consequendam claudicaret, conscientiæ latibulo, dum non potest ingredi recta, flexu declinat, nihilo sanè longius pusillis & argutis oculis prospiciens, quam humani obtutus natura pateretur. Epicurus autem quem ego Paridem philosophorum uoco, deum atomorum nexu, quasi ha renarum coagmētatione constituit, idq̄ ex Democriti pixide deprompsit. Reliquos autē philosophorum anteaambulones, qui tanquam statuam membratim funderent, mundum corpus, & deum mundi esse animam dixerunt, aut eos qui homines partes esse dei opinati sunt, nihil attinet uocare hostiatim, cum satis notum sit eos omnes in dei natura pernoscenda excubare somniantes. Nos uero negamus interminatam magnitudinem, circumscrip̄ta intelligentia percipi posse, cum circumscrip̄ti ad interminatum, nulla esse possit decempedatrix collatio. Atq̄ etiā nihil quod est definitum, circūscribentis finibus exit. Si igitur hominum intelligētia dei naturam perciperet, tum dei natura, intelligentiæ fines transilire non posset, quod fieri nullo modo potest, ergo intelligi etiam potest, dei naturā ab intelligētia percipi non posse. Præterea omne specierum genus natura cognobile, quo alicuius rei natura pernoscitur, eam repræsentando percipit, at cum fieri nullo modo possit, ut à quapiam genita similitudine referatur deus, cum omne genitarū similitudinum genus, aliquo præfinito genere circumscribatur, cōsitendum quidem est, fieri nō posse, ut quapiam similitudine genita pernoscat deus. Etenim mens humana, naturæ notione, phantasmata tanquam obiecta conuertetur, ex quibus, ut ait Aristoteles, cognobilium simulacrorū genera euocat. Ex quo quidem intelligi necesse est quodcunq̄ in uitæ curriculo percipitur, id specie à phātasmatum genere seuocata percipi. At cum nullum eiusmodi specierum genus, uim ad dei naturam referendam nanciscatur, cum natura sensilium rerum longissime à dei natura absit, perspicuum esse debet, naturæ notione nullo modo in uita ab hominum genere intelligi posse deum. Siquidem quod est superioris naturæ proprium, nunquam assequitur natura inferior, nisi superioris actio consequatur, quemadmodum aqua nisi ignis actione non feruescit. Præterea quodcunq̄ ad id effertur, quod terminis naturæ suæ egreditur, necesse est, ut illius habitu informetur, quod fines naturæ suæ transit. Quando enim dei abdita abstrusaq̄ natura, ab hominum intelligentia percipitur, tum sit ipsa natura intelligentiæ forma cognobilis. Ex quo præclare intelligi potest informationem, supra intelligentiæ complexum esse necessariam, qua tanquam quodam æstu, supra mortalitatem intelligentia tollatur, quæ quidem, gratia, non natuta paratur. Sed deum esse, rationibus probari posse dicimus. Nam cum oculorū approbatione rerum motum fateamur, rectissimis possumus motuum rationibus indagare deum. Siquidem cum confirmemus quodcunq̄ agatur, alieno impulsu moueri

su moueri, id ipsum quod primum mouet, quoniam alterius non agitur  
 motu (neque enim princeps motus esset, si ab alio impelli uideretur) fateri cogimur, ut consistere, aut se ipsum agitare dicatur, nam si alieno impulsu moueretur, necesse esse dicimus, id quoque a quo impellitur, ab alio antegrediente moueri, & rursum aliud ab alio impelli, ex quo effici, ut in infinitum sit progressura excursio. Neque enim unquam orsum primum inueniri posse affirmamus, si id quod putatur primum, aliud semper antecedere dicatur. Preterea scientius, exquisitiusque rationes colligimus, quicquid agitur, alieno concitum impulsu moueri, & in impellentibus & pulsis in interminatum excursu nullo modo posse, quod quidem hoc modo connectimus: Si quicquam suapte ui agitur, necesse est aut habeat motionis suae orsum, aut alio impellente agitetur, necesse est etiam ut suapte ui, non nutu partis impellatur, quemadmodum animantia pedum ingressu mouentur, quod si ita esset, facile sequi posset, non integritatem suapte ui, sed partem aliquam moueri, quod etiam confitendum est sectile esse & diuiduum, partibusque contineri, cum sectile sit, quodcumque mouetur. Quod constituto illud arripimus, quicquid ex se agitari dicatur, id intelligi debere primo esse motum, itaque ut pars una feriat consistat, totius quies & otium insequitur, nam si una torpescere agitaretur altera, tum minime putandum uideretur, totum primum esse impulsu, sed partem eius fuisse agitatam, quae altera consistente, moueretur, nihil autem consistens deside & torpescere altero, suoapte nutu agitur, ex quo connecti potest, ab alio impelli quodcumque mouetur. Deinde etiam adiungimus, quod in impellentibus & pulsis, in infinitum nullo modo indagatio decurrat, nam si in infinitum cursus manaret, necesse esset ut impellentia & pulsa, innumerabilia corpora putarentur, quandoquidem quodcumque mouetur, sectile sit, & corpus, omne autem corpus impellens, pariter dum mouet agitur, igitur omnia infinita impulso uno mouerentur, at cum unum eorum sit circumscriptione definitum, praclare patet id circumscripto tempore moueri, ex quo sciri potest, caetera etiam tempore definito impelli, quod fieri nullo modo potest, ergo fieri etiam non potest ut in impellentibus & pulsis, in infinitum progressio dimanet. Eodemque modo rationes inducimus de his quae aut aduenticio, aut ui, aut instrumento mouentur, infinitaque argumentationum genera colligimus, quibus rectissime probatur, aliena impulsione moueri, quaecumque mouentur, cum autem sub cernendi sensum cadat, sidera moueri, fatendum esse dicimus ea alieno impulsu moueri. Si uero motor & auctor motus non mouetur, necessario probamus, aliquem constituendum esse agitatore immobilis, si mouetur, aliquo impellente moueri, aut in infinitum emanaturam indagacionem putamus, aut aliquem statorem impulsorem exquirendum. Sed quoniam perabsurda est in infinitum inquisitio necessario affirmamus aliquem agitatore immobilis, initium & fontem esse motus, quem  
 deum

deum esse homines coacti fateantur. Eodemque modo cum fieri non posse uideamus ut quicquam ex se omnino gignatur, multaque cernamus eodem concurrere, & alia ab alijs superari, necessario nobis existimandum dicimus, ut aut in infinitum emanaturam progressionem, aut aliquam principem causam exquirendam arbitremur, quæ sit uniuersitatis generatrix. Quinetiam cum agnoscamus ratione uacantia, constantissimo, & certo quodam ordine progredi, quod quidem casu fieri non posse scimus, cum continuata, eademque semper fere constantia progrediantur, ad ultimum statuere cogimur, id ab aliqua mente oriri, quæ sit moderatrix, & rectoris rati ordinis nature, quam deum esse concedendum sit. Itaque quanquam sensilium rerum notione nullo modo percipi dei natura possit, eo tamen effectuum ab eo manantium agnitione progredimur, ut illa nature ratione pernoscamus, quæ ei congruere necessario uideantur. Siquidem per facile negemus parentem rerum deum corporea natura consistere, nam omne corpus, nullo modo mouetur, nisi externo agitato impellatur, cum autem deum statorem, esse impulsorem supra sit probatum à nobis, in promptu uideri debet a somaton esse eum ut Græci dicunt, & corporea natura uacare. Nec item eum ulla coagmentatione concretum esse dicimus, cum quodcumque connectitur, necesse sit aliquo omnino coagmentatore egere, atque etiam quicquid est coagmentatum & structum, eueri & labefactari potest, deus autem labefactari nullo modo potest. Nam quicquid gignitur, naturam habet patibilem, commutationis & motus, cum autem deus nullo modo moueatur, intelligi maxime potest, eum esse eternum, orsu & fine uacantem. Ex quo etiam ratione certa colligitur, deum nullo potentiae nexu deuinciri, cum quodcumque potentia continetur, alicui sit herili nature subiectum, at cum deus princeps causa dicatur, nullum nancisci potest presidentem herum, igitur nec ulla potentia continetur, sed simplex est, & puritate pollens actus. Nec est item eius nature ullum materiae genus admixtum, quandoquidem materia initium agendi nullo modo dicatur. Rectissime quoque probatur minime eum aduenticia pati, siquidem sui pollens, & existens natura per se, nullius est particeps, quod non sit suapte nature proprium, quæ sui par, suique similis existit. Quod cum ita sit, necesse est nullius quoque corporis esse formam, propterea quod nullius esse nature potest, quæ non eius esse nature dicatur. Ergo nec fieri ullo modo potest, ut alterius corporis forma uideatur, nam omnis existens natura per se, omnino ea præstantior uideri debet, cuius natura in altero consistit, at cum omnis alterius corporis forma in altero nitatur, præclare sciri potest principem causam alterius corporis esse formam nullo modo posse. In quo quidem facile superiorum Philosophorum ueternum agnoscitur, qui dum princeps initium materia præditum uolunt, non intelligunt se deo absolute solutionem expletam adimere, cum princeps initium materia præditum, longissime ab absolute solutione absit. Sed nos cum deum maxime in actu uersari dicamus,

dicamus, intelligi etiam uolumus, cum uoluta eum absolute expleri. Nec minus est eorum philosophorum minuendus adeptus, qui quanquam quod esset interminatum, deum esse censerent, non tamen uidebant, æque se in infinitate, ac in principis initij natura labi. Nam cum id materia præditum efficerent, ei infinitatem quoque materiae compotem annecti uolebant, asfirmantes aliquod omnino corporis interminati genus initium & fontem esse rerum. At nos cum dei naturam in altero nullo modo niti, sed existentem per se, suiq; pollentem uideamus, facile intellectu esse dicimus, eum interminatum debere credi.

De scientia Dei.

Distinctio

III.

**V**erum quoniam in dei pernoscenda natura, libatum est à nobis quodcumq; frugiferum uidebatur, & quasi flos Theologiae deceptus, nunc sequitur ut structis pontibus ad diuinam scientiam transmittatur, quaeraturq; in primis, an aliqua omnino sit dei nominanda scientia. Nam multi qui uolunt laudem sibi argute differendi dari, nullam dei scientiam esse censent, quando quidem scientiam absolute rei additam afferre dicant. At cum maxime deum simplicitate pollere confirmant, nec quicumquam eius naturae additum arbitrentur, obtinere se putant, ut nullo modo quæpiam dei scientia esse dicatur. Plato autem negat scientem esse deum, sed supra scientiam efferi opinatur, in quo philosophorum pedissequa phalagem habet, qui quasi id sibi per Platonem liceat, ratum ordinem deorum constituunt. Quorum quidem sententiam satis à diuo Dionysio reiecta esse uideo. Sed accessit callidissimus autor Auerrois, qui dei maxime propriam scientiam & uitam esse putat. Nobis uero certius probatur cumulate scientem esse deum. Nam cum formae angustiae ex materiae concretione oriuntur, intelligi potest formarum genera quo magis materia uacant, eo magis ad immensitatem quandam interminatam accedere. Ex quo sciri debet quipiam materia uacans, maxime nancisci pernoscendi uim, seiunctaeq; naturae modo, noscendi ac percipiendi oriri modum. Itaq; præclare Aristoteles ait stirpium generi ob materiae cōcretionem, pernoscendi ademptum esse sensum. At cum maxime deus sit ab omni materia seiunctus & liber, nemini dubium esse potest, eum scientem debere maxime uideri. Sed interest nostra scire, an à satore mundi deo singularum rerum genera pernoscantur. Multi enim quasi magnam uideantur Aristoteli operam dedisse, singularum rerum scientiam esse negant. At cum ea quae scientiarum genere non continentur, à quoquam percipi nullo modo possint, satis cōclusum esse putant, nec ea quidem à deo intelligi posse. In eiusmodi enim controuersia diuo Thomae ualde in ore est à deo singularum rerum genera pernosci, cōtra quem ex caesia disciplina Aureolus multa Scoteco genere conscripsit, affirmans eum flacculentium ratiuncularum genera afferre, quibus singula à deo percipi probare con-

bare conetur, nec ita ab eo Auerroim feriri dicit, ut cadendi necessitate in-  
 ducat. Tantundemq; aculeorum affert argutus inficiator Garro. Sed preter  
 ceteros ingenij gloria abundans Gregorius Ariminensis, articulatum argu-  
 mentorum genera retexit, qui quidem multa eius deturbandi causa conari  
 uideretur, si diligentior Aquinateorū uerborum aestimator putaretur. At  
 uero ex philosophorum genere Auerrois, maxime talum intorsit, cū à deo  
 singularum rerum genera percipi posse negauit, nam cum ea interminata  
 esse opinaretur, facile se probare sperauit, interminata nullo scientiarum ge-  
 nere præfiniri posse. In quo non uidit deum in agnoscendo secernere, nec  
 sensit si concedendum sit, absurdum esse interminata aliquo circumscrip-  
 to scientiarum genere contineri, haud tamen concedi oportere absurdum ui-  
 deri, ab eo interminata percipi, cuius sapientiæ nullis sit finibus circumscri-  
 ptus numerus. Ex eadem quoq; Arabum disciplina Algazellus & Auicēna,  
 nobile recentiu philosophorum par, quanquam minime à deo singula per-  
 cipi posse negēt, eum tamen catholice singula rerum genera agnoscere uo-  
 lunt, non quidem quatenus per se singula existant. In quo sanè non intelligūt  
 se deo inscitiam internoscendi dare. At mihi quidem uidetur, cum singula-  
 rum rerum agnitio, ad hominum expletam absolutionē pertineat, necesse  
 esse ut eadem à deo pernoscatur. Neq; enim, ut ait Aristoteles, consentaneū  
 uideri debet quicquam ab hominum genere sciri posse, quod dei notionem  
 effugiat. Itaq; dum Empedoclem uelut crassioris opimæq; ceruicis illudit, ac-  
 cidere putat ut deus inscius omnino putetur, si antipathiam ignorare dica-  
 tur. Etenim absolutionum genera quæ in inferiorum rerum generibus ob-  
 stringuntur, simplicia in deo & iugata existunt. Et quanquam alia ui ab ho-  
 minum genere catholica & materia seiuncta, rursusq; alia ui, singula mate-  
 riaq; concreta internoscantur, fatendum tamen esse uolumus, ut utraq; sub  
 dei simplicem intelligentiam cadant. Nec multo quidem secus eum malor-  
 rum genera agnoscere dicimus. Nam quemadmodum in musicis claudica-  
 tionem falsarum uocum exaudimus, quatenus à musico artificio dissideant,  
 sic deum uolumus catholice cuncta malorum genera percipere, quatenus  
 ab eius disciplina discrepent, & rursus specie secernere, quatenus non eo-  
 dem modo ab eo dissideant. Quāquam hoc loco est nata disceptatio, an dei  
 scientia mutari ullo modo possit. Pleriq; enim qui ad ingenia capiēda, maliti-  
 arum euerricula iactant, quo concinnius argumentum cadat, deum dicunt  
 quæcunq; agat, scire omnino posse, at cum plura deum moliri posse, quam  
 moliat, arbitrentur, sequi uolunt, plura eum scire quam sciat, quod si ita  
 est, satis notum esse dei scientiam ademptione & auctu mutari posse. Contra  
 quos diuus Thomas rotundius rude argumentum tornat. Nam deum dicit  
 ea etiam scire, quæ moliri possit, nec ullo modo moliat, nec tamē ob eam  
 causam quod plura moliri possit, quā moliat, sequi uult, plura eum scire

B posse



posse quam sciat, nec item ob id quod sciat quippiam futurū esse posse, quod nullo modo sit, concludi putat ut dei scientia mutari ullo modo possit, sed ab eo uarietatem rerum percipi posse confirmat. Nos uero quanquam deum statuamus uarietates, cōuersionesq; rerum perno scere, eum tamē uolumus sine conuersione percipere, cum sub eius intelligentiam, nec transitionem, nec receptionem, aut obliuionem cadere posse dicamus. Ex quo quidē effici, ut quanquam res mutari uideantur, in promptu tamen sit, eius scientiam nullo modo in rerum uarietate agnoscēda mutari. Idq; eiusmodi simulacro ostendi potest. Siquidem quemadmodum oculus uitreum tectorium contuens, suapte natura transgredientium corpora quacunq; moueantur sine receptione cernit, nec ullo tamē modo eius agnitio, aut natura mutatur, quamquam res mutari uideantur, ita hoc idem in dei scientia accidere posse arbitramur. Quare non sine causa intelligendum est, an idem procreator mūdi deus extra se cætera rerum genera percipiat. Nonnulli qui Auerroim tanquam elephantem funambulū mirātur, deum quicquam extra se percipere posse negant, inuidiosissimeq; Themistio obtrectare conantur, qui deum cuncta perno scere confirmet, cum intelligat se causam & initium esse rerū, idq; etiam Aristoteleo conchylio tingunt, qui intelligentiam mentemq; diuinam uilem fieri opinetur, si quicquam extra se percipere posse dicatur, quandoquidem cognobile intelligentiæ absolutionem esse uelit, cæteraq; rerum genera, eius collatione sordescere arbitretur. Ex nostris autem Iacobus Appa solers & affluens Theologus, cum dei agnitionē ad genita præfiniri censeat, eum quippiam extra se circumscribendo percipere putat. Itaq; eiusmodi structum, & nexum argumentum affert, nam si deus, inquit, negatur quicquam extra se circumscribendo perno scere, erit cōfiteri necesse ob scelera nullam facinorosis hominibus, multam esse cōstitutam, quod est senatus consulto reiectum, propterea quod hoc assumpto concessio, dubitari non potest, quin concedendum sit aliqua deum in se, uel extra se scelerū genera percipere. Nam si aliquod criminum genus præno scere posse dicatur, apertum esse debet, quod quæratu obtineri, si autem affirmetur in se quæpiam scelerum genera perno scere, fatēdum erit hoc fieri nullo modo posse, quandoquidem in deo, nulla criminum genera inesse dicantur. Atqui sequitur minime deum flagitiorum genera percipere, igitur nec ob scelera ullam perditis hominibus pœnam esse cōstitutam, quandoquidem ea illi omnino ignota esse dicantur, quæ quidem tota ratio multorum suorum sodaliū gustum excitaret, nisi ei quædam inesset, tanquam in melle Corsico asperitas. Nos autem deum uolumus omnia scelerum genera præsentia, antea cta, & futura percipere, quandoquidem nihil extra se ex æternitate, sed in se omnia futurorum genera nouisse dicamus. At quando in deo minime esse scelera confirmatur, planè bene concedendum erit, nullo modo flagitiosum esse

deum

deum, nec tamen ob eam causam sequi uolumus, quin in semet aliorum scelerata pernoscat. Itaque tutissimi itineris celebritatem persequemur, si ab opifice & genitore rerum deo percipi cuncta dicamus.

De Ideis. Distinctio III.



Quibus quidem expositis quæri maxime hoc loco potest, an Idearum genera in deo esse dicantur, multi enim quibus non est sine aliqua diuorum syngrapha credendum, in hoc quæstionis genere, deum in semet cuncta percipere dicunt, at cum se ex Idea pernoscere negent, sequi putant, nec item eum alia percipere. Quidam etiam quasi hoc argumentationis genus Dionysieo colore pingere uideantur, deum, causarum, non Idearum ratione pernoscere uolunt, quibus cum satis sit à diuo Bonauentura responsum, nihil attinet ut ostendatur modo, argumenti corruptela quo serpat. Nos autem si Ideas rationes nominemus, scire etiam poterimus, facile nos in Cacozelorum genere uersari, quandoquidem rationum genera à Græcis logos, non Ideas nominari uideamus. Si autem uertendi uerbi uis nequa deperitura sit, eas potius formas & species uocemus, quod idem multo ante à M. Tullio, & diuo Augustino usurpatum scimus. Itaque cum rectissime Ideæ formæ nominentur, fatendum est Idearum genera in intelligentia diuina uersari. Siquidem in omni rerum genere, quæ nullo modo casu gignuntur, necessitas fateri cogit, formam sine esse ortus, nec enim agens ob formam moliretur, nisi quatenus in eo formæ similitudo existeret. Idque bipertito secernitur, nam in quodam agentium genere, forma ex natura rerum efficiendarum genera præcurrit, ut in ijs quæ natura moliuntur, quæ admodum hominem ab homine gigni uidemus, in quodam uero genere ex intelligentia forma antegreditur, ut in ijs quæ intelligentia moliuntur, quæ admodum ædis simulacrum in architecti opificisq; mente insidet, quod quidem ædis Idea rite dici potest, quandoquidem architectus ædem ad excogitatam speciẽ referre conetur. Cum autem constet nullo modo casu, sed à deo per intelligentiam agentem, constitutum esse mundum, perfacile intelligi potest, in intelligentia diuina esse formam, ad cuius simulacrum mundi machinam construxerit. Sed quærendum uidetur, an plura Idearum genera dicantur. Plato enim qui primus est hoc nouo nomine Idearum genera commētus, in quocunq; genere multa participatu, & unum natura, multaq; materia concreta, & unum seiugatum esse uoluit. Itaque seiugatas sensilium rerum naturas esse opinabatur, ac quatenus eiusmodi sensilium rerum naturæ sentitissim conglutinantur, ordinemq; certum nanciscerentur, Ideas uicissim inter se ordine structas esse censebat. In quo quidem non agnouit minus discernere, quam qui de suo lumine uident, ut qui funalia præferunt, minus uident, quam qui sequuntur. Nam primum Ideas statuit sensilium naturas esse rerum, cunq; inter se natura differre arbitraretur, eas deos esse uoluit,

B 2 multitudinemq;

multitudinemq; deorum afferens, unum summum constituit. Nos uero negamus hæc Idearum genera sensiliū rerum esse naturas, cum necesse esse uideamus quatenus ueritas efflagitet, statuere rerum naturam ab eorum genere seiugari, quorū naturæ existunt, quod est ( ut præclare ait Aristoteles ) bonū quippiā inducere, boni natura uacans, quod quale sit à quouis intelligi pufione potest. Nec tamen ob eam causam in deo negamus plura Idearū genera uersari, sed plura genera, ut ab eo percepta, esse uolumus.

*De Prouidentia dei. Distinctio V.*

**V**erum nostri negotij est prouidentiam hoc loco perquirere, propterea quod prouidentiam in deo esse uolumus, quandoquidem necesse sit, ut ratio ordinis in ultimum menti diuinæ insit, ratioq; statendarum rerum in ultimum prouidentia dicatur. Ob eamq; causam iure de Democriti & Epicuri manibus est extortus mucro, qui dum mundum corporum concursione fortuita effectum esse censebant, prouidentiam rerum excluderunt. Nihilōq; benignius audiendi sunt, quibus ea tantum, quæ nullo modo extabescunt, prouidentia subiecta esse placet, cum satis perspicuum sit, cuncta perinde diuinæ mensioni, ut artificiosa ratio artis ordini subesse. Ex quo quidem libet multorum philosophorum insaniam accusare, qui ut à cæterorum inuentis discreparent, pugnantia & incredibilia multa induxerunt, quasi laus esset gignentis ingenij transilire præscripta, etiam si deprauata genuissent, quod ego non tam fastidio quam ignoracione accidisse puto, ut qui præclare hominem nudum pingere nequeunt, lenocinio amictus, artis ignoracionem obtendunt. Qui enim cuiquam sano in mentem uenire potest, ut rerum uniuersarum prouidentiam excludat, aut mundum dei procuracione administrari neget. At multi tamē fuerunt, qui cuncta, nulla mente diuina, nulla ratione gubernari opinati sunt, sed omnia casu fieri uolebāt, quod si hi in philosophorum genere inuenti sunt, num mirabile uideri debet, quasdam prægnantes scæminas reperiri, quæ carbonum cementorumq; esu delectentur. Itaq; multi ut argutius sapere uideantur, nullo modo prouidentiam diuinam negauerunt, sed eam ministris uti uoluerunt, affirmantes eam regis quam simillimam uideri, qui administrandarum rerum suarum munia dispertiat. Ob eamq; causam Plato tripartito prouidentiam distribuit, nam unam autoris rerum dei esse dixit, quæ spirituum in primis naturæ, rerumq; uniuersitati consuleret, alteram aiebat esse eam, quæ singulis rebus quæ extabescerent & gignerentur prouideret, quam his cœlitibus tribuendam statuit, qui circum cœlum meantes cœlestia corpora impellerent, tertiam uero putauit, quæ rerum humanarū procuracionem susciperet, eamq; dæmonum generi ascripsit, quos inter homines & cœlites interiectos esse censuit, quam quidem sententiam multi tanquam statuam admirando prætereunt. Nos autem cuncta uolumus prouidentia sine ministris gubernari, sed tamen

sed tamen quædam intermedia esse dicimus, quibus non carentia uirtutis, sed affluentia probitatis inferiora regat, quare si quicquam cuiquam bene fortunatè euenturum sit, ei deum, cœlites, & cœlum, suffragari oportere dicimus, nam sæpe alicui præter propositum bene euenire scimus, ut si quis arando auri urnam excutiat, quam nullo prorsus modo erat illi in animo perquirere. Etenim sæpe accidere solet, quempiam molientem præter propositum moliri, non tamen præter heri propositum moliri, cui sit iure subiectus, quæadmodum si M. Tullius, T. Tironi aliquo proficisci iubeat, quo eo imprudēte Alexionem præmiserat, intelligi debet Tironis propositum, præter Alexionis, non præter M. Tullij propositum uideri. Eodemq; modo quanquam homini quippiam fortuitu & casu accidat, id tamen quippiam statutum dicitur, nam cum homines corporis natura cœlo, intelligentia cœlitibus, uoluntate parenti rerum deo subiecti sint, aliquid præter propositum homini accidere posse dicimus, quod tamen rato cœli ordine, uel cœlitum uel dei constitutione cadat. Eodemq; modo de selectione & fato disputatur.

De Prædestinatione.

Distinctio VI.

**I**Taq; permagni refert an parens ille deus homines per præsignationem seligat. In quo quidem intelligendum est, cuncta prouidentia diuinæ esse subiecta, prouidentiaq; interesse res in ultimum statuere. At finis ad quem genita à deo statuuntur, duplex omnino dicitur. Vnus qui supra genitarum rerum progredientem naturam constituitur, qui quidem cum æternitas nominetur, in fabricatore rerum deo contuendo consistit. Alter uero est ad naturam progredientem aptus, quem genita consequi possunt suapte ui & naturæ suæ modo. At ad eum finem, ad quem quippiam suapte ui peruenire nullo modo potest, necesse est ut ea perinde ab altero, ut tela à iaculante transferantur. Ex quo quidem iure natura rationis compos, quæ immortalitytis est capax, ad æternitatem tanquam à deo sublata subuolat. Ob eamq; causam affirmatur præsignationem certissimos effectus cōsequi, cum tamen nullam necessitatem afferat. Nam quanquam præsignatio pars prouidentia nominetur, haud tamen cuncta, quæ prouidentia subsunt, necessaria dici ullo modo debent. At quædam fortuitu cadunt proximarum causarum modo, quæ sunt ad id, à prouidentia constitutæ, cum tamen ratus prouidentia ordo nullo modo fallat. Eodemq; modo dicimus ratum præsignationis ordinem esse certum, nec tamen hominis mentem, libera potestate orbari. Sed illud forsitan perquirendum est, num certus selectorum numerus dicatur. Aureolus enim quasi auri stipe differendi fundamenta inchoarit, ei dicit, qui conseruare uniuersos felicitatisq; compotes fieri uelit, haud quaquam esse consentaneum, ut selectorum numerum circumscribat, cum magis sua referat uniuersos sine exceptione conseruari uelle. At cum id deum maxime decere putet, facile intelligi debere dicit, ab eo selectorum

numerum nullo modo circumscribi. Idque etiam arctius astringit, nam si deus inquit, selectorum numerum circumscriberet, necessario quosdam seligeret, quosdam rejiceret ad necem, at cum periniquum sit fateri quosdam, à deo ad mortem præsignando detrudi, periniquum etiam uideri debet, uoluntario motu ab eo circumscribi numerum, & quosdam cooptari, & quosdam explodi, cum magis ad ueritatis similitudinem accedat, ab eo uniuersos ad uitam designari. Atque etiam multi certam numeri summam non deducunt, ut si dicatur, certum esse, centum aut mille hominum, non Fabium aut Curtium conseruatum iri, quod quidem nulli sanè Theologorum placeat. Ex quo erit confiteri necesse, autori deo præsignatorum numerum esse certum, sed intelligendum est deo non modo cognitione, qua scilicet perinde præsignatos, ut harenarum numerum internoscat, sed etiam selectione certum esse numerum. Quare ut Architector præfinitum modulum in ædificandi descriptione metitur, præfinitaque mèbrorum genera describit, nec circumscriptum lapidum numerum secernit, sed tantum arripit, quantum sit ad cumulandam parietum mensiõnem satis, sic deum uolumus in rerum uniuersitate metiri. Etenim autor ille rerum deus mundum efficere uolens, statuit qua mensiõne, quo numero, rerum uniuersitas contineretur, ut scilicet quot essent astrorum, sphærarum, uel primordiorum genere futura, at tabescibilium indiuiduorum genera, haud quaquam in primis sed tãquam minoris gentium in uniuersitate constituit. Itaque quanquam horum generum numerum ei notum esse affirmamus, haud tamen pecudum, formicarum aut culicum numerum ante constitutum esse dicimus, sed tantum eiusmodi generis ab eo fuisse eductum, quantum esset ad speciem coleruandam satis. At cum in omni creatarum rerum genere, natura rationis compos, in primisque ea quæ sit felicitatis capax, ad uniuersitatis probitatem statuatur, consentaneum uideri debet, generatori deo præsignatorum notum esse numerum. Sed interim causa indagandi datur, num molitoris dei uoluntate quidam improbentur, & quorundam selectus habeatur. In eiusmodi enim quæstione Aureolus d. Thomæ ambitiosius obtrectans, hoc modo concludit. Omnis qui uoluntario motu in alterum animaduertit, eumque in tabifica scelerum genera incurrere sinit, quo puniendi aut plectendi occasionem nanciscatur, sæuus omnino & immanis uideri debet, cum tormentis & pœna pascatur, at si deus uoluntario motu quosdam improbare diceretur, necesse esset etiam fateri eum sæuiendi uoluptate delectari, ac crudelem immanemque uideri, quo nihil dici potest in tota dei natura absurdius. Atque etiam inquit, quamquam sine iniuria figulus ex eadem creta quædam escaria uasa, quædam latrinaria tornet, & uitriarius cyathum & matulam sine iniuria conflet, haud tamen idem his accidere potest, qui bonorum & malorum, honorum & contumeliarum genera secernunt, nec enim homines sine iniuria, debita absolutione

fraudentur

fraudentur, aut in tetro sempiternoque erumnarum angore uersantur, igitur nec deus uoluntate ex eodem genere quosdam seligere, quosdam improbare dicitur. Contra quem agmine composito cohors Aquinatea concurrat. Nos uero si dicamus, à deo quosdam uoluntario motu improbari, minime tamen eum uolumus delectari pœnis, aut tormentorum uoluptate pasci, sed id ex iustitię mentione nasci affirmamus, in qua culpa ad pœnam statuitur.

De potentia Dei.

Distinctio

VII.

**A**Tque huic quęstioni finitima est de dei potentia disceptatio. Sūt enim multi qui eam interminatā esse negent, in eaque sententia probanda, dum struē argumētorum cumulant, & modo laxius Aristotelē quā aurum dilatant, modo tanquam in uisco inhæserit, explicant, in id genus ludicri deducunt, quod pueri foris & intus uocant. Nos uero cum ex rerum ortu, quandoquidē nulla circumscripta uis, quippiam ex nihilo gignat, tum ex motus eternitate interminatā dei potentiam indagamus. Eodem accedit quod hominum intelligentia ab omni materię concretionē seiuncta, in infinitum, in immensumque progreditur, quod ex eo scire licet, quod omni circumscriptę magnitudini, intelligentię capacitas, aliquid maius adijcere cogitando potest, nullamque ultimi oram metitur. Etenim frustra intelligentię acies in immensum fieri uideretur, ni quippiam interminatū existeret, quod intelligi cogitatione posset. Ex quo notū esse debet, aliquid immensum quod intelligi possit, existere, quod deum esse fateri cogamur. Ergo perspicuū etiam esse potest, deum immensum, interminatamque eius potentiā existere. Atque etiam nullo modo effectus causę suę finibus exit, at cum intelligentia, à parte deo dimanet, quę est cūctarum rerū causa, generatrix & princeps, igitur nihil intelligentia deo maius cogitando percipit, quod si terminatę magnitudini aliquid semper ingētius addere meditando potest, facile est etiam intelligi, nec deum terminatū, nec uim eius esse circumscriptā. Itaque cum perspicuum sit, minime uim eius ad quępiam effectum præfiniri, sed puritate nature cuncta moliri posse, dubitationē non habet, quin omnipotens sit dicendus. Etenim uis seminis humani nunquā lupum aut pirū gignere ullo modo potest, nec item uis corporea, gignēdorum cœlitum facultatē nanciscitur, eodemque modo nec sutor terebram, nec figulus sertam conficere potest. At fabricatori deo nullius eiusmodi conficiendi generis facultas adimit, nec dissimilitudine aut præstantia, nec ademptione materię. Quandoquidē nullam in moliendo materiā efflagitet, cum nullo antecedente moliatur. Itaque quamquā omnes fateantur omnipotentē esse deū, multis tamē solet difficilis uideri eius rei explicandę ratio, siquidē D. Thomę perspicua synceritas est, liberrime omnipotentē esse deum. At plerique cum setinū & phalernū habeant, malūt haurire de fece, & cum probabiliora dicant, incredibiliora indagare uolunt. Ex quo magna autoritate Theologus Aureolus, quacunque summam d.

Thomæ cutem ledere conatur, affirmans posse deum ex nihilo quippiam moliri, cinestaq; hominum corpora ex læti tenebris ad intuendam lucem reuocare, præditisq; gloria corporibus tabescibilem adimere luem, ac multa generis eiusdem moliri posse confirmat, at cum hæc ab hominum genere sine repugnatione percipi posse neget, ob eam causam id inanius dici arbitrat, nec fas esse censet, negare, quedam à deo cõfici nequire, propterea quod homines ea fieri nullo modo posse opinentur. Ex quo est illa Aquinatum cõtradicientium nata ratio, qua ita eius argumenta retorquent, ut ostendant ab his deo, contumeliæ nebulam offundi, nihilq; ineptius esse putant quam tam nobilem & probatum Theologum, ad omnes argumetorum angustias, ad omnesq; uerborum angulos reuocare, inducereq; eum sepe à se dissentientem, sepe discrepantem, cum à se dissideat nemo in Theologia minus. Sed in hac disceptatione nonnulli opinantur, multa facere nequire deum, nam nec eum esse corpus, nec mutari, nec augeri, nec decrescere quidem ullo modo posse dicunt, nec item eum lassitudinem aut senectutem sentire posse, nec obliuisci, nec pati, nec rursus nancisci in antea cõta uim. Eodemq; modo nequire esse nisi probum, nec aliqua malorum genera uelle, nec delinquere quidem posse. Ex quo multi quasi tortuosior uulpis aditus pateret, deum dixerunt præstantiora quam molitur moliri nequire, nam nec recentatorem Christum, nec deam matrem præstantiores esse posse affirmarunt. Nobis uero placet quocunq; genito, quod circumscriptum sit, aliquid fieri posse præstantius, at eo, quod nec genitum, nec terminatum sit, satis est argumeti nihil fieri posse absolutius. Sed cum duplex sit rerum genitarum probitas, una quæ per se, altera quæ collatione expenditur, nemini dubium esse debet, si quippiam per se ponderetur, quin fatendum sit, aliquid eo fieri posse præstantius, si autem ad autorem deum quippiam collatione referatur, quin concedendum sit, id ab immenso, cui cõfertur, interminatam magnitudinem nancisci. Atq; etiam ordo earum rerum quæ deo ascribuntur, tripertito describitur, nam quedam nec libere quidem eius potestati cõceduntur, ut si dicat efficere nequire deum, ut pugnãtia simul in eodem ueri curriculo uersent, quedam etiã ab eius probitate dissident, quæ minime eum moliri posse negamus, quedam quæ inter se nullo modo pugnant, sed dissidere spectatu apparent, in quo genere libere cõficiundi potestas non adimitur.

*De uoluntate Dei.*

*Distinctio VIII.*

**D**Einceps est de dei uoluntate dicendum. Hoc autem loco sciri debet, in quocunq; intelligentiæ cõpote inesse uoluntatem. Quæadmodum in quocunq; sensu prædito, animalis appetitio inest. Atq; illud quoq; intelligendum est, dei uoluntatem causam esse rerum, eumq; uoluntate non naturæ necessitate agere, ut inscite quidam cõpitalitij philosophi putarunt. Cuius causa catholica rerum uniuersarum sit, intelligi debet, fieri non posse, quin semper eius uoluntas expleatur, ob eamq; causam notum est eam mutari nullo modo posse.

quo sit ut

quo fit ut nec dolor nec tristitia in dei naturam cadat, cum nullis perturbati-  
onibus quas Græci *πάθη* uocāt, quatiatur deus. Ex quo eorum stolidissima  
leuitas exploditur, qui mœrentes & lamentantes deos induxerunt, traduxe-  
runtq; eos ad humanæ naturæ mœrentis luctum, quo nihil esse potest à dei  
natura disiunctius, quando quidem omnis turbida affectio, corporeæ muta-  
tionis modo fiat, quod minime in dei naturam cadit, qui a somatos esse dica-  
tur, etenim licet statum uidere mœrentium, aut eorum qui dolore cōficiantur,  
quorum tacita ora pallefcunt, flaccida mēbra trahūtur, languescūt ocu-  
li, lingua singultit. Et quanquam in eum uoluntas cadat, ab eo tamen appeti-  
tionis ægritudo depellitur, cum appetitio in rerū futurarū cupiditate uerse-  
tur, & deus in semet omnia bonorū genera contineat. Quod si sua nō refert  
appetitio, nec spes quidē referre potest, quando quidē spes non dum bonum  
obtineat, sed futuri expectatione lætetur, quod lōgissime à dei absolute  
abest, quæ nullū auctū extrinsecus suscipere potest. Atq; ut spes futurū bo-  
nū, ita metus impēdens malū cōtuetur, sed in quē nec cadit spes, nec metus  
in eundem cadit, qui enim timere potest, qui nihil habet impēdens, quod ti-  
mendum sit. Eodemq; modo pœnitentia & inuidia uacat, quarū altera est cō-  
mutatio uolūtatis, altera alieno bono angitur, alienumq; malū suū opinat.  
Et quoniā ita est appetitio alieni mali cum libidine ulciscēdi, minime suaptæ  
speciei modo in dei naturā cadit. Ex quo fas est scire eum quoq; odio uacare,  
nam cum nulla sit eius uolūtatis procliuitas ad malū, per absurdū est opina-  
ri, quippiā odiosum esse deo, si quidē cū omnia ab eo, tanquā ab autore dima-  
nēt, si quippiā illi odiosum esse dicere, necesse esset confiteri, eū id haud esse  
uelle, quo nihil dici potest in omni theologia indoctius. At nos interdū me-  
taphoricos quædā illi odiosa esse dicimus, nā illi & malorū genera esse odio-  
sa, & aliquod ingētius boni genus uelle affirmamus, quod haud fieri sine mi-  
noris boni ademptione potest, quemadmodum quatenus iusticiæ tuendæ  
bonum uelle affirmatur, quod fieri sine animaduersione nequit, quomodo  
em̄ generis humani societas iurisq; descriptio seruaretur, nisi tot fures, tot  
grassatores, tot homicide, tot depeculatores, tot hostes publici plecterent?  
nū cēsemus seruari hominū incolumitatē posse, si tot flagitiorū, uexationū,  
cædiū, direptionū, rapinarū impunita scelera ferantur? Atq; etiā gaudiū &  
delectatio, quatenus patheticæ sint, à dei natura absunt, non suaptæ speciei  
modo ab eo repugnant. Siquidem gaudium est placida quædam uolunta-  
tis quies, delectatio autem quædam muneris absolutio, quæ, ut ait Aristot-  
eles, munus ut adolescentia pulchritudinem absoluit, at cum deus absolu-  
tissimum munus intelligendo nanciscatur, in promptu est iucundissima  
eum delectatione intelligendo perfrui, proprium est enim dei in semet gau-  
dendo delectari. Ex quo intelligi debet amorem in dei naturam cadere,  
quod cum ita sit, fateri necesse est etiam, ut cūcta quæ extant amare dicatur.

Sed peri



Sed perspicuū tamen uideri potest, plus ab eo præstantiora amari, nam cum deus causa sit præstantiæ rerum, nullo modo in rerum genere quicquam alterum altero præstantius diceretur, ni quædam pluris in amore faceret. Nec tamen ob id fortitudinem, temperatiam & id genus in eo esse dicimus, nam cum à deo omnis turbida affectio absit, satis est argumenti, ab eo etiam hæc uirtutū genera abesse, cum in sensili animi parte uersentur, in qua, ut ait Aristoteles, *ἡρώδης* esse dicantur, quāquam interdum metaphoricos effectuum similitudine, hæc genera in deo uersari affirmamus. Sed cum quædam sint, quæ appetitionis procliuitate in aliquod corporeū bonum rapiūtur, quod sensuum uoluptate cietur, quales epulares, & uenereæ uoluptates nominantur, quibus tanquā antidota, Sobrietas, Castitas, & Temperantia, adhibentur, facillime tanquam corporeæ, à dei natura depelluntur, cum nec metaphoricos quidem deo congruant, & patheticæ suapte natura dicantur. Ex quo iure est data eorum illudendi causa, qui ientantes & potantes flagitiosæq; libidine ardentis induxerunt deos.

De Trinitate.

Distinctio IX.

**H**Actenus de dei natura conscripsimus, nūc sequitur ut ea diuina genera persequamur, quibus deum unum & trinum esse ostēditur, de qua quidem re, magna hominum certatione pugnatur. Nam literatores multi, qui tanquam tubera sine radice uiuunt, id ob eam causam negant, propterea quod minime esse posse arbitrentur. Nonnulli uero dū habent ratum, quod probarint, & falsum quod opinatione suspicantur, scēdissimi in dei natura labuntur. Quibusdam etiam qui ne ignem quidē calere putant, nisi eum manu contrectarint, nihil credendum esse placet quod supra progredientem naturam uideatur. Multorum quoq; studia tardātur, quod id credere nolint, quod minus sub eorum cognitionē cadat, quæ quidē errorū prauitas ex ingeniorū imbecillitate defluxit, siquidē cū sensuū angustia, ex quibus hominū agnitio eruit, in externorū sensiliū genere uersentur, satis notum esse debet, his, tanquā cōpedibus, intelligentiæ cursum retardari, diuina capessere nequire. At mihi quidē nullo modo consentaneū uideri solet, quoniā multa interdū incredibilia uideātur, ea fieri posse negare, nam eodē modo nec credendū esset, aut ab electro paleā, aut ferrum, à magnete trahi, cum illi lapideo rigori nulla inesse appareat rapiendi uis, nec ferrū ductile suapte natura uideatur, nec item cēsendum esset ab iaspide defluentem silti sanguinē, quæ enim esse potest lapidi cum sanguine cognatio? Atq; etiam quis credere deberet, à struthocamelo concoqui & molliri ferrū, à leone cōcoqui nequire: cū multo sit leonis quā struthocameli natura feruidior: nihilōq; facilius existimandū esset, cyathū cinere fartū, tantundem aquæ referum quam exhaustū capere: Eodemq; modo nec putandū ab Echinæide pisciculo uolantia nauigia silti, quæ enim uis tantillo pisciculo inesse potest  
contra

contra tantum impellentium remigū conatum, cōtra tam uarios ruentium  
 uentorū impetus, cōtra tantas procellas æstuantis maris: quis putaret quæ  
 nec ancorarum iactu, nec funium catenarū nexu continent, unius pisciculi  
 adhæsu cōtineri: Quod si hæc fieri uidemus naturæ progredientis uia, quo  
 rum nulla afferri ratio potest, num existimandū est nobis, quædā incredibili  
 ora in dei natura existere, quæ nullo modo sub hominis notionem cadant:  
 Neque enim ego fas esse puto, cum tam uariæ inter se uolūtates, tanquā dissi  
 dentes intelligendi dissimilitudines sint, quod cuiquā tanquā rarum inhæse  
 rit, id ab eo debere pugnacissime defendi, etenim id quod sæpe facile in alte  
 rius sensum irrepit, ab altero percipi nullo modo potest. An censedū est so  
 lis aut lunæ naturā, perinde in opilionis ut in eruditi intelligentiā influere:  
 & rursus eandē æque erudito ac philosopho liquere: Num igitur, quoniā  
 multa interdum à philosopho dicantur quæ alterius intelligentiam fugiāt,  
 dicendum erit, ea credi non debere: Ac rursus si qua interdū inducat, quæ  
 supra naturæ complexum uideantur, ob eam causam neganda putabimus,  
 propterea quod ratione indagari nequeant: An non usu cernimus intelligē  
 tiam in ueri iudicio pernoscendo, caligine offundi: an non uidemus multa  
 in lapidum, aquarum uel herbarum genere ignorari: Atqui haud tamen se  
 qui dicimus, si ea minus sub aciē intelligētiæ cadāt, quin ea esse dici debeāt,  
 cum nec sequi uideatur, si multa abdita naturæ minus percipi ab hominum  
 genere possint, quin esse dicantur. Ex quo intelligi potest per absurdum uide  
 ri, id falsum esse affirmare, quod quæri minus ratione possit. An putandum  
 est multa non emanatura, si rationis tantum complexu perquireretur deus:  
 Quis non uidet quosdam crassiore ingenio & habitu naturæ hebetes, ut  
 nullius subtilioris disputationis compotes fieri possint, quosdam desidia in  
 genij naturæq; socordia testudinibus esse tardiores, qui cum noctu in uitam  
 tanquam in urbem ueniant, noctuq; discedant, nihil aliud inde referunt quā  
 adumbratum simulacrum urbis: Quid dicam de his qui uitæ procuratione  
 occupantur: quorum alij in artificiorum, alij in bellorum genere, alij in Re.  
 Pu. uersantur. Iam quantum operæ in alea, in conuiujs, in erudito luxu con  
 sumitur: Quantum studij eorum ambitio conterit, qui ad fortunæ altitudi  
 nem obrepere uolunt, cum tamen, ut pusiones, nihilo celsiores fiant, etiam  
 si in Hadrianæ molis fastigio locentur, quos quidem omnes fatendum est,  
 à dei agnitione auocari, cum ab his nullum tempus ad eius perquirendam  
 naturam seponatur, & cum cæterarū rerum auari sint, in temporis iactura  
 prodigi reperiuntur. Num igitur quoniam hi se in tenebrarū gurgustū cō  
 iecerunt, oculosq; sibi eruerunt, credere nullo modo debēt: & cū minus ipsi  
 stadia accliuiora currāt, opinari ceteros currere nequire: Atq; etiā nōne per  
 spiciū est, quantū tēporis in Grāmaticorū enarratione, quantū in syllogis  
 mis & lemmatibus Dialecticorum, quātum in Mathematicorum puluere,  
 quantum

quantum in physiologia consumitur: nonne notum est sine harum doctrinarum comitatu ad metaphysicam perueniri nullo modo posse, quæ extrema est diuinæ naturæ indagatrix: At quis tamen his doctrinarum præsidijs se obrepere posse in dei agnitionem sperat, quotus enim quisque est qui non fateatur multa in his nondum sibi esse explorata, multa etiam sibi opinanda restare: quis ignorat in omni doctrinarum explicatione, multa sæpe falsa tanquam in malis punicis rancidiora grana misceri, & aliquem in his semper relinqui dubitandi nodum: Aut quis non uidet id quod Platoni placet, uehementer Aristoteli displicere: et quod à Stoicis probetur, à Peripateticorum familia refelli: & quod ab altero connectatur, ab alio euolutum retexi: Adde etiam si placet quod nonnulli omnia philosophorum dogmata exagitat, quod ex his multi, nihil certi esse affirmant, quodque etiam sæpe falsum aliquo uendibili sophistarum latibulo occultitur: Ex quo sciri maxime potest, homines in magna rerum obscuritate uersari, ac ea quæ rationum adiumentis indagari nequeunt, instructu libatuque diuino oportere credi. Etenim hominum absolutio in dei natura agnoscenda uersatur, siquidem frustra intelligi liceret naturam esse hominem, nisi esset illi propius attingendus limes, ob eamque causam patefactum est illi dei liberalitate iter, quo ad eius notionem sine prolapsione contenderet. Itaque in eiusmodi quæstione quærendum est primum, num in diuina natura progressio esse uideatur. Arrius enim hæreticorum fax, à quo Sabellij adiutus est error, qui æque eam progressionem expendit, ac causa progredi in effectum dicitur, quatenus scilicet aut eum impellit, aut in eo similitudinem suam insculpit, quorum neuter progressionem in dei natura statuit. Siquidem nullo modo eiusmodi progressionem definimus, quatenus in rerum corporearum natura uersatur, sed dimanatione quæ intelligi potest, metimur, ut uerbum à loquente, quod intelligi potest, in eoque insidet. Ex quo sciri debet uerbi progressum, generationem in dei natura uocari. uerbumque dimanans nominari filium. Quare non sine causa magno certamine disceptari solet, an spiritus ut amor & uoluntas dimanet. Diuus enim Thomas maturus & sanus theologus personam aliquam quam Greci *ἠγάπη* uocant amoris modo, in dei natura progredi arbitratur. At acerrimus bellator Scotus, qui uelut ferrum usu splendescit, spiritum tanquam amoris actum dimanare censet, affirmans in his, quæ in rerum diuinarum notione uersantur, diuorum cœtum sequendum esse ducem, qui in omni methodice Christiana spiritum amorem nominent. Henricus autem qui peruenire ad triumuiratum cupit, ex his rebus affirmat, quæ usu experimur, nos debere ad naturæ diuinæ notionem permeare, quandoquidem in nobis tergemine diuinitatis simulacrum insidere dicatur. At cum ait nos duplex amoris experiri genus, quorum unus blandissimus ex rei obiectæ inuitamento oriatur, alter igneus & exardescens sit, quo uoluntas ad rem obiectam impellatur, utrunque

utrumque analogica collatione in deo esse opinatur. Nos uero cum dicamus quippiam *ἑστὴς* amoris diuinitatisque actu in diuinitate progredi, facile sequi uolumus, proferri aliquam esse, amoris & uoluntatis progressionem manentem, sed cum perspicuum sit nullam quam spiritus proferri uideri, in promptu esse dicimus, spiritum amoris uoluntatisque progressu dimanare. Sed causa Scoto exoritur, cur nolit, à parente & filio spiritum natura educi, cui ita est Gregorius Ariminensis assensus, ut nec eum libere dimanare opinetur. At uero cum affirmamus filium intelligentiæ modo ut uerbum, ac spiritum uoluntatis modo, ut amorem progredi, necesse erit confiteri nobis, amorem, à uerbo dimanare, idque maxime rerum ordine probatur. Siquidem nunquam cernere licet, ab uno plura sine ordine progredi, nisi in eorum genere, quæ inter se materia differant, ut figulus ollas materia inter se distinctas tornat, quæ inter se nullum certum ordinem nanciscuntur, at in his generibus in quibus nulla est materiæ distincta descriptio, semper ordinem reperiri dicimus. Quod si ab una parentis persona, *πρῶτα* duas dimanare affirmabimus, fatendum erit etiam à nobis, in his ordinem quempiam uersari. At cum nullum his præter naturæ ordinem ascribi posse uideamus, quo unus ab altero existit, fieri non posse scimus, ut filius & spiritus ita à parente progrediantur, ut eorum nemo ab altero dimanet, nisi in his materiæ distincta descriptio statuatur, quod fieri ullo modo in dei natura nequit. Ex quo fas erit confiteri, spiritum à filio dimanare. Itaque ob eam causam diuinitati proserua ascribimus, inquirimusque primo an hæc inter se æquales esse dicantur. In quo non desino eorum hæreticorum lætalem stolidissimamque superbiam illudere, qui opinionum prauitate lacerarunt deum, quod enim dolium tam pertusum quam Macedonius Pontifex inueniri potest, cui spiritus non uideatur deus: aut quid Donato Numida crassius, qui Africam totam hoc tetro latice resperxit, ut parente filius, & spiritus filio minor uideretur: nam quid de Eunomio moroso sophista dicam, à quo est diuinitati dissimilitudo adiecta: quid Priscillianum commemorem, qui ut bigener quondam monstrum conflaret, Gnostica & Manichea uenena permiscuit: iam quid Arrium nominem ardentium hæreticorum follem, qui in diuinitate multitudinem tanquam gradus minoris gentium adiunxit: nonne satius fuisset nullum eis tributum esse ingenium, quam tanta cum lue datum, quâquam intelligi potest eos cum nocere uellent profuisse, prouisumque, à deo, ut eorum adumbratis præstigijs, ueritatis lumen eluceret. At quanto melius ex nostris D. Thomas æqualitatem in diuinitate statui oportere putat, cum maius & minus in dei natura uersari posse negat. Nobis uero si diuinitati æqualitatem adimendam esse placeret, confitendum etiam esset nullo modo *ἑστὴς* unam in teri gemina diuinitate existere, nec *πρῶτα* tres, unum existere deum, quod fieri nullo modo potest, ergo necesse uideri debet, ut æqualitas in diuinitate

C statuatur.

statuatur. Sed quærendum hoc loco uidetur an *ωρὸς ωπρω* dimanans, principio suo sit in æternitate par. Arrius enim duodecim generandi genera inducit quæ affectis suis tanquam chrias ediscendas præbuit, ex quibus multitudo illa appendix, uaria est mōstrorum genera commenta. At diuus Thomas detrahendarum controuersiarum causa, filium affirmat parenti in æternitate esse parem, cum præclare notum sit, filium à parēte, non uolūtate sed natura generari. Itaq; parentis naturam, ab æternitate absolutam esse dicit, ac ut filium parenti, ita spiritum utriq; æternum esse parem. Sed cum parens is sit, à quo alius dimanet, facile intelligi posse putat, parentem principium debere dici. In quo affirmat, à Græcis principij & causæ nomen ἀρχή, *αρχή* miserè, rectiusq; nostros principij nomine uti, cum nomen quo latius uideat, eo aptius diuinitati cōgruat, quare diuinæ naturæ nomina imponimus, quatenus eius absolutio in rerum creaturarum absolute splendescit, multaq; etiam interdum metaphoricis inducimus. Et quo fatendum erit naturæ ordinem in diuinitate statui, cum semper ordo ad quodpiam principium collatione referatur, sed intelligendum est origine ordinem sine antegressione statui, qui D. Augustino autore, naturæ ordo dicatur.

*Primi Sententiarum libri finis.*

## PAVLI CORTESII

PROTONOTARII APOSTOLICI IN SE

cundum librum Sententiarum Proœmiū ad

Iulium II, Pont. Max.



**N**ULLA remagis Pont. Max. quam rerum creaturarum notitia, dei est intellecta natura. Si quidem homines cum naturæ aspectu cœlum syderibus tanquam oculis distinctum cernerent, & tum tellurem altricem aëre circumfusam, in media mundi sede locatam librari uiderent, tum circa eam tam exiguo horarum curriculo flagrātem circumferri solem, cuius quotidiana circumuectione annuoq; inflexu nō modo noctis dieiq; sed etiam æstatis atq; hyemis uicissitudo efficeretur, infraq; æmulam ambire lunā, quæ menstruis eum spatijs cōsequeretur, mutuataq; in terras lucem effunderet, tum circumfluum mare nulla fluminū accessione crescens, tum fulminum iactus, uel telluris labentis motum, ac uentorū imbriumq; tempestiuitatem aspicerent, quorum alij ad æstus caloresq; sedandos & nauigandi facultatem, alij ad serendi oportunitatem darentur, tum animantiū uel gradientium uel uolucrum, uel nantium naturā, hominemq; deniq; ut principem metirentur, confirmare cogebantur, tam constantem solertemq;

solertemq; molitionem rerum, ab aliquo diuino architectore oriri, qui autor & parens & educator deus diceretur. In quibus quidem rebus contemplandis multum philosophi, à Theologorum genere abfuerunt. Siquidem philosophi parum nubilo cœlo cernentes, res genitas sunt in suapte natura metiti, propriaq; causarum genera indagarunt, nec earum finem attigerunt, ut qui etatem in itinere conterunt, nec unquam domum suam capessunt. At uero Theologi quibus cœlum depulsa caligine patet, earum rerum genera expendunt, quatenus à principe autore deo defluerint, in eumq; statuunt, qui sit rerum creatarum limes. Ex quo intelligi maxime potest, Theologiã perinde philosophiã, ac disciplinam militarem, armorum faciendorum artificio fabrilis cõparari, quã à philosophia tanquam à pedissequa & ancilla porrigente sumat. Est enim certa quedã omniũ scientiarũ seruitus Theologiã famulantiũ. In quo quidem Pont. Max. si nostrorum Theologorũ ingenia repetemus iure uidebimur affirmare posse, plures in omni doctrinarum genere Theologos quã philosophos prestantes extitisse. Nam ut omittam totum illum priscum Theologorũ cœtum, quis erit ex omni grege philosophorum Alberto cõparandus? Num Xenocrates aut Theophrastus adducetur par? Ego enim utrunq; ut solertem nature interpretem probo, sed neutrum tamen hac enucleata Alberti disciplina tolerabilem puto. Nam Empedoclem, Democritũ, aureas philosophorũ pecudes, non equidem audeam cum Alexandro aut Egidio Romano cõferre. Nec enim dubitari debet si de principijs aut atomis in disceptationẽ ueniant, quin statim sint nostrorũ contrario ictu casuri. Nec item uerendum est, si modo uel Zeno Elæates, oculos hominibus eruens, nihil usquam esse affirmet, uel Herillus ad scientiam omnia reuocet, siue Academici quasi desperati, nihil certi esse probet, quin statim de sententia deturbati cadant, cum facillime modo eorum precaria fundamenta conuellantur. Nihilõq; plus esset Aristippo & Epicuro inter Theologos eruditos loci, quorum alter uoluptatem dulcedine sensum cientem probat, alter uoluptati atomos adijciẽs, ita Democriti obsoletam chlamydem tingendo exurit, ut ambusto pilo extantia fila appareant. At Pythagoras, Anaximenes, Xenophanes, Parmenides, qui nascentem philosophiam tanquã galli aduentantem solem cecinerunt, ut grandes & antesignani laudantur. Sed si modo alius animam cõmeantem, alius aërem deum, alius infinitatem, alius coronam afferret, quam effuse Henricum, Herueum, Godofredum, & Gregorium Ariminensem cachinnaturos credimus? Quid de Zenone, Cleante, Perseo, Chrysippo, & de tota illa spinosa Stoicorum turba putandum esset, si Aureolo, Durando, Petro Paludensi, aut Alphonso persuadere uellent, sapientis esse neq; exorari neq; leniri, nec à capitalibus ignoscibilia crimina secernere, sed omnium peccatorum genera esse paria, nec minus sceleris patrare qui formicam aut culicem sine causa, quam qui

hominē occideret, an dubitamus quin essent à nostris eorum capita sine cy-  
 molia abluēda: At uero quis in omni philosophia Platone abundātor, quis  
 Aristotele ueracior: Ego enim sic censeo Platonis uelut solis interuentu ex-  
 hilaratum esse mundū, disciplinam eius ut uariam & uberem, & quasi Chri-  
 stiano quodā suctu tinctam laudo, sed uideo ex eius tentorio Aristarchum  
 philosophorū prodire Aristotelē, qui eam disciplinam tanquā adamas ada-  
 mantem scalpit. Ipsum autem Aristotelē quasi lapidem lydium philosopho-  
 rum probo. Quis enim uel rerum cōpressionē crebrior, uel partitione luci-  
 dior, siue robore neruosiior, aut in ueri iudicio sanior reperiri potest: Natu-  
 ra profecto haud perinde se interius introspicit, ut ipse eā manu prope exte-  
 rebrando contrectat. Sed quid dicendū est, si cum hoc naturæ prodigio, no-  
 strorū legionaria cohors aduersa concurrat: quid si bellator acer Scotus in  
 coelitū notitia, eum rationū nexu tāquam elephantē draco astringat: quid  
 si lychnus Theologorum d. Thomas, perinde eius endelechiam illudat, ac  
 qui ex auripigmento aurum conficere uolunt, irridentur: An ego aut subti-  
 litate disputandi, aut partiendi luce, aut altitudine rerum d. Thomam Plato-  
 ni, aut Aristoteli Scotum opponere non audeam, uel alterutrum utriq: Ego  
 uero neutrum, si reuiuisceret, negaturū putarem, se à nostris in omni scien-  
 tiarum genere, uel æquatum, uel superatum iri. At uero modo serotini na-  
 turæ fœtus, Themistius, Porphyrius & Aphrodiseus Alexander iure cele-  
 bratur: Quid si ex eadem Aristotelicorū armorum officina, Auerroim &  
 Auicennam duo philosophorum fulmina eduxero, omnia Arabum mapa-  
 lia uestigaro, eumq: cœtum, Parisius theatrum & domum doctrinæ deduxe-  
 ro: num putandum est, non obuiam omne Theologorū uenturū robur, non  
 equitum turmas, non phalanges occursum, quæ enim patefacto armamen-  
 tario, uel hyltrice spinosior. G. Ochan, uel ex Scoti sinu. F. Maro, siue Tragi-  
 cus Theologus Riccardus Villa, iaculorum genera arriperent, si illis esset  
 cum hac gralatorum philosophorum manu confligendū: iam uero qua op-  
 pugnatione, copia Landulphi, Argentini acumen, audacia Capreoli, tela  
 Garronis, Pauli astus, affluentia Gannaci, uel literatior solertia Pici, siue cæ-  
 terorum recentium Theologorum arma urgerēt: qui non modo omnia do-  
 ctrinarum genera tanquā per cribrum farinariū secreuerunt, sed etiam usq:  
 eo dilatarunt, ut longius mens humana progredi nullo modo possit. Quare  
 Pontifex Maxime cum uiderē proprium esse seminis Christiani, omniū gen-  
 tium hominibus antecellere, dolebā nos in aliquo genere superari, nā cum  
 quodcunq: esset ubiq: præclarum, à nostris haustum & ereptum uideretur,  
 non poteram non turpe iudicare, pati nos à quibusdam in doctrinarum ge-  
 nere eloquentia uinci, cum præsertim multa præstantia ob eloquentiæ ino-  
 piam in Bibliothecis obsolescere cernerem, quemadmodum multa sæpe au-  
 ri aut gemmarum genera, artificum egestate obteguntur, siquidem huma-  
 niorum

niorum teretes & superbæ aures, ad omnem sermonis asperitatē, tanquam ad labentis Nili fragorem obsurdescunt, contra uero philosophi, qui dum uerborum splendorem ut amictum metiuntur, nec multum curant cuiusce/modi panno uestiantur, modo ita amicti prodeant, ut penulatos & uestitos se esse intelligant, omnia uerborum ornamenta tanquam putamina aduenti/cia aspernantur. Itaq; Pont. Max. hoc ingressu patefacto, perge cunctantes excitare promerendo, ut absolutius hoc copulandi cumuletur munus, nam quod est tibi natura insitum, ut semper ingeniorum sedulitati faueas, id nūc tibi imperij magnitudo concedit, ut affluentius suffragari possis.

*Mundum esse creatum contra Aristotelem. Distinctio I.*



**Q**uibus expositis perspicuum est, dei etiam procreandi propriū esse munus, eumq; res ex nihilo, nulla antecedente materia construere. Nam si quid à deo manat, necesse est, ut aut aliquid antecedat, aut nihil adsit, si nihil adest, notum esse debet, ab eo aliquid nullo antecedente manare, si autem quicquam antegreditur, aut est in infinitum emanatura excursio, quod in naturæ ratione fieri nullo modo potest, aut aliquid erit primum exquirendum, quod nihil antecedat, quod quidem deus esse non potest, cum nulla sit materiæ coagmentatione cōcretus, ex quo maxime intelligi potest architectorem & ædificatorem deum, res ex nulla antegrediente materia moliri. Hinc eorum est repulsa & reiecta opinio, qui de nihilo nihil gigni arbitrantur, atq; inde etiam magna est nata de mundo dissensio, cum alij eum ex æternitate & immortalī natura præditum, alij à deo ex ædificatum & constructum putarent, in quo præclarus autor Galenus negat sine sensuum testimonio sciri posse utrum æternus sit mundus, an natiuus, quasi rationi nihil sit sensuum fide testatius, ex quo quidem arriperetur, sensu semper eandem cœli & syderum æqualitatem percipi, & quod semper esset æquale, nullam unquam sui tabem pati, quod autē nunquam extabesceret, nec id quidem unquam esse generatum. Sed præter cæteros Arabs Auerrois qui Aristotelis disciplina tanquam cotis attritu acuitur, cum uisco adest & sibilo, & quo illustrius Aristotelis opinionem de sensitaret, omnes philosophorum sententias de mundo in quatuor genera partitur, nam unam esse ait Anaxagoræ qui mundum natiuum & tabescibilem opinatur, eamq; dicit autoribus Iudæis, à Maumethistis, & Christianis esse retentam, secundam adhibet eorum quibus nunquam generatus, & labefactabilis mundus uideretur, proximam esse dicit sententiam Platonis, cui natiuum quidem mūdum, sed nulla temporum æternitate tabescibilem esse placet, quartam affert Aristotelis, qui nec genitum mundum, nec interitum esse censet. Plato autem duo initia rerum deum & materiam esse uoluit, quibus omnia constarent, deum mentē, & causam rerum nominat, materiam uero formæ expertem, & infinitam, in ordinem à deo adductam pu-  
C 3 tat, ex eaq;



tat, ex eaq; mundum immortali natura factum arbitratur. Stoicis uero placet natium & tabescibilem esse mundum, nam Zeno, Chrysippus, Possidonius, Cleantes, Antipater, & Panætius, probant cuius partes labefactatiles sint, tabescibilem esse integritatem, cum autem mūdi partes labefactabiles sint, quandoquidem uicissim mutantur, fateri cogunt, tabescibile esse mundum. At præstans omnibus astu, & doctrina Aristoteles, tanquam habuerit id operis ut omnium superiorum philosophorum adipem extenuaret, negat mundum esse generatū, maximeq; in eo qui est primus de cælo & mundo liber, auerso pollice Platonem ostendit. In quo natiui & tabescibilis definitione probat, quod fieri non possit, ut quod generatum sit, nō extabelcat, cumq; firmissimis argumentationibus probare conetur, nunquam ortum esse mundum, concedi sibi uult, ut æternus esse dicatur, & quod fieri nullo modo possit, ut quod æternum sit, labefactari possit, & quod ortu careat, id non esse æternum. In qua quidem sententia omnem Peripateticorum gregem tanquam suber in aqua retis plumbum suspensum continet, siquidem Themistius & Auerois pertinaces Aristotelis asselæ, tantillum nodum exquirentes, pugnacissime hanc sententiam tueri uolunt, & si sarcina in alteram clitelæ partem propendet, alteri adiciunt lapides. Verecundius autem ex eadem familia Alexander Aphrodiseus, dicit se non aliam ob causam hanc potissimum sententiam secutum, nisi quod ea sibi minus ambigua, & a reprobatione semotior uideretur, quasi nondum certam, & ueram esse censeret. Ex quo quidem intelligitur homines nandi peritos, uoraginibus tamen obrui. Nam quæ sunt ab Aristotele exquisitus argumenta collecta, probabiliora sunt, magisq; ad contradicendum parata, quam uera, idq; perspicui potest, quod semper in hoc quæstionis genere Anaxagoram, Empedoclem, & Platonem exagitat, quod magis uideri debet persuasibiliter probatis, quam necessaria ratione concludentis. Ipseq; sibi repugnat, cum confirmet in topicis quædam esse dialectica problemata, quorum certa ratio afferri non possit, ut si quærat utrum sit ex æternitate mundus. Itaq; ab eo hoc loco sciscitor, si mundus æternus fuisse dicatur, num semper homines extitisse uelit, nam si semper fuisse neget, concedi oportere puto, id perabsurdū uideri, cum negari non possit, hominum causa mundum esse constitutum, si autem homines semper fuisse confirmet, rursus ab eo sciscitandum arbitror, cur sit illorum hominum memoria deleta, aut cur non sint nobis per manus, scientiarum genera tradita, quæ quidem suo ingenio perfecta esse uideri cupit, dum omne superiorum philosophorum genus, ut hebetius exagitat. nam si memoriam rerum eluione, aut exustione, intercidisse dicat, per facile erit secum ob signatis syngraphis agendum, quandoquidem in meteoris catholicum fieri cataclysmum neget. Eodemq; modo erit de exustione dicendum, cum satis physicis placere uideamus, calorem humore ali, &

quanquam

quanquam uicissim sæpe alterum altero superari opinetur, neutrum tamen  
 ita opprimi posse uolunt, ut uim instauratitiam amittat, ex quo facile intel-  
 lectu est, exustionem catholicam esse non posse. Quod si neutra catholica esse  
 potest, perspicuum etiam uideri debet, memoriam rerum propagari potu-  
 isse, id si ita est, dubitationem non habet, quin ad nos quoque dimanare potu-  
 isset, quod si ad hanc ætatem propagari potuisse diceretur, nihil prorsus es-  
 set, quod ei scientiarum primæ ferrentur, cum per absurdum esset negare,  
 æternis annorum curriculis innumerabiles Aristoteles aut Platones non fu-  
 isse. Atque etiam si mundus æternum omni specierum genere absolutus dice-  
 retur, causa non esset quin multa incredibilia sequerentur, nam & necesse  
 esset confiteri, non modo innumerabiles animas actu existere, sed etiam in-  
 terminatas conuersiones fuisse. Ex quo perspicuum uideri posset, tot solis,  
 quot lunæ conuersiones extitisse. Cum autem fatendum esset utrorumque in-  
 numerabiles conuersiones fuisse satis esset argumenti, partem toto omnino  
 esse æquatam, quo quidem nihil insulsius dici posset. Atque etiam fateri licet,  
 æque leonem à deo ex materia, ac ex nihilo gigni potuisse, propterea quod  
 quodcumque à deo materia gigni potuisse dicatur, necesse est etiam fateri  
 ab eodem coagmentatum educi potuisse, alioqui materia sine forma gigne-  
 retur. Atqui cum notum sit haud ex materia leonem à deo æternum potuisse  
 se gigni, apertum esse debet, nec etiam ex nihilo, aut ullo modo potuisse gi-  
 gni. Præterea quodcumque æternum esse potuit, id omnino æternum fuit,  
 at nihil præter parentem deum, æternum esse potuisse concedendum est.  
 igitur nihil præter deum æternum esse potuit. Deinceps etiam quodcumque  
 est effectum ortu, diuturnitatis exordium nanciscitur, sed cum inter philoso-  
 phos sanos constare uideamus, deum causam effectricem esse mundi, facile  
 colligi potest, originem rerum & molitionem esse nouam. Nec minus eti-  
 am intelligi potest, excellentium omnium philosophorum generi placere,  
 nihil omnino, auctori & parenti rerum deo æquari posse, at si mundus æteri-  
 nus fuisse diceretur, in promptu esse deberet, molitori mundi deo æquari  
 posse, quo quid dici potest inscitius. Postremo si æternus fuisse diceretur, pu-  
 tandum esset, etiam æternum fuisse rerum ortum, igitur fatendum quoque  
 esset, unum hominem ab alio in immensum etiam generatum, atqui cum il-  
 le ipse Aristoteles parentem filij causam effectricem esse uelit, per facile iudi-  
 cium esset, in effectricium causarum genere, in immensum excurrere  
 re indagationem posse, quod fieri nullo modo posse cen-  
 set. Ex quo quidem sciri licet innumerabilia colligi  
 posse, quibus probetur & generatum  
 esse mundum, & generatorum  
 fuisse deum.

**S**ed cum non obscura sit significatio exposita, generatum esse mundū, quærendum modo uidetur, utrum sit ortu, corporea, an cœlitum natura antiquior. De quo quidem inter nostros est orta dissensio, nam Gregorius Nazianzenus Græcię Theologorum princeps, parentem, & generatorem putat, prius mente cœlitum naturam fuisse complexum, eamq; meditationem opus fuisse arbitratur, quem subsequitur eius auditor, præclarus autor, Hieronymus, eiq; sententię non defuit homo doctus Damascenus. Nonnullis autem uisum est corpoream naturam genitam esse à deo, ministris primigenis cœlitibus. Græcorum uero pertinax credulitas est, ortu antiquiores esse cœlites. Sed Basilio principe, Ambrosius, Cassiodorus, Dionysius, & Beda, cuncta simul generata esse uoluerunt, quæ quidē sanorum est hominum opinio. Apud superiores autem philosophos tanquā disiecto ponte amnis transmitti nequiret, nemo quicquam à natura seiunctū esse censuit, nam Thales Milesius, qui primus inter sapientes fustem quatit, humerotenus lacertos nudās, aquam dixit initium esse rerum. Heraclito initium ignis, Diogeni aër est uisus, quasi nihil uacans corpore, sub sensuum notionem cadere posse uideretur. Anaxagoras autem quanquam ut cæteri corporea initia esse uellet, primus tamen decidenti sarcinæ succurrit, dum Hylæ mentem adiecit, intelligentiã materiæ expertem initium cōmentus. Post Plato haustos luto sustulit, & semiamictos philosophos uestiuit, nā cum uideret ueri iudicium ignorari, tum meatu, & perennitate rerum concretarum, tum sensuū fallacibus indicatijs quibus corpora internoscuntur, naturas quasdā à rebus meatibus semotas esse uoluit, è quibus nuda ueri integritas eliceretur, easq; Mathematicas, & Ideas nominat. In Ideis aut ordinē esse opinatur, nam quo quicquā esset in intelligentia purius, eo id dicebat esse ordine prius, idq; unum principatu præstans, immēsum & infinitum deum statuit, subq; eius dominatu & nutu, uarios ordines cœlitum naturæ seiunctæ cōstituit. At multo melius nostri probāt, à deo generatos esse cœlites, eosq; diuinę animationis immortalī natura præditos, uigere & sapere. Maximeq; hoc loco perquirunt, an cœlites materia & forma constare dicantur. In quo quidem pleriq; qui multū opere in methodice Auerroëa consumunt, æque intelligentē naturā, ac sensilē materia & forma constare uolunt. Nos uero id Auerroim ad intelligentiã possibilem (faciamus enim hoc uerbum tractando tritius) nō ad cœlitum intelligentiã referri uoluisse dicimus, etenim fieri nullo modo potest, ut cœlitum generi ullum sit materiæ genus admixtum, siquidem qualiscunq; rei munus, naturæ suæ modo constituitur, cum autem percipere, munus sit ab omni materia secretum, intelligi potest omnem intelligentem naturā, materiæ concretione uacare. Ex quo eorum licet insulsi tatem & inscitia accusare, qui Aristoteli uisum esse uolunt, spiritus naturam

materia

materia & forma constare. Itaq; ob eā causam dicemus cœlites, corporibus  
 suapte natura uacare, quanquā non negemus ab his quandoq; uaria esse cor-  
 pora suscepta, ut est uatum elogijs & memorię mandatum. Sed plus negotij  
 hoc loco exoritur, an cœlites in loco uersari dicātur. Nonnulli enim quibus  
 magnæ curæ est, affirmare intelligentiam naturam esse quandam ab omni  
 materiæ concrectione seiunctam, & liberam, nullum eam ad locum, aut ad  
 corpus appulsum, nancisci uolunt, quandoquidē eam circa id sine interme-  
 dio moliri negent, ex quo sanè magnum hæreseos carcinoma obreperet,  
 cum præclare notum sit, cœlites circa hominum genus, sine intermedio mo-  
 liri. At diuūs quidem Thomas in hoc quæstionis genere sic agit, ut cœlites  
 in loco nisi cōtactu, aut uirtutis appulso, uersari neget, cui oblistere cupiens  
 grauis interpellator Scotus, dum eum postulat ex syngrapha, pugnancia in-  
 ducere confirmat, quod idem ei cum Gregorio conuenit, qui diuī Thomæ  
 sententiam in Parisiense execratū membrum incidisse opinatur, in quo qui-  
 dem quæstionis genere, mauult ostētare quod habet, quam peruenire quo-  
 potest. Sed exoritur repēte magnus autor Godofredus, qui ea male tornata  
 membra, incudi reddere iubet, diuūq; Thomam telluris sal merum esse  
 arbitratur, idemq; prope Henrico, & Egidio uideri scimus. Itaq; hoc consti-  
 tuto, cum intelligamus cœlites intelligentiæ complexu rationem bonorum  
 uniuersam percipere, fateri etiam cogimur in eorum genere esse uolunta-  
 tem, & quemadmodum in his præstantior intelligentia, quam in hominum  
 genere sit, ita excellentiorem esse optionem, & præstantiorem liberum uo-  
 luntatis motum, cunq; in his nihil præter intelligentiæ appetitionem esse di-  
 camus, satis notum esse debet, nullo modo eorum appetitionē iracundia, &  
 cupiditate secerni. Atq; etiam cum in eorū genere uoluntate naturalis pro-  
 cliuitas dicatur, dubitari non potest, quin omnis eorum uoluntas naturalis,  
 sit dicēdus amor. Quo sanè loco minutatim de cœlitū numero quæri solet.  
 Aristoteles enim in eiusmodi quæstione Platonē ex formula postulat, quod  
 in tota illa philosophiæ sylua inanius sit cœlitum numerum persequutus. At  
 Auerrois, qui in societatem gloriæ uenire conatur, ad orbium numerū, cœ-  
 litum summam deduxit, affirmans minus absolutos cœlites uideri, si feriat  
 naturæ torpore consistere dicerentur. Auicenna uero ambitiose egens, ne  
 usquam à sensuum notione discederet, cœlitum numerū, sphaerarū numero  
 alligauit. Nonnullis autē qui in Neapolitana crypta inambulāt, cōtractior  
 numerus est uisus, alijs unigenū tantū cœlitē esse placet, multi ea que non  
 extabescūt, plura debere esse negant, quasi multitudo, à præstātia dissideat,  
 ut præclare in sole & luna patet. In quo sanè minime mirū uideri debet hallu-  
 cinari hos, quandoquidē perinde mens humana in cœlitū natura ac noctuæ  
 oculus in solis splendore hebescit. Itaq; intelligēdū est à cœlitibus res corpore  
 as nō multitudine numeri, sed multitudine specierū sine collatiōe superari,  
 nec enim

nec enim cœlitū numerum ut atomorū aut harenarum multitudinē descri-  
bimus, sed plures cœlitū affirmamus quam corporearū rerum species inue-  
niri. Ob eamq; causam sciri potest, eos ab animarū genere discrepare, pro-  
pterea quod anima suapte est natura iugabilis, resq; ratiocinando percipit,  
minusq; intelligētię lucis haurit. Sed quoniā extima felicitas in deo contuen-  
do uersat, in prōptu esse debet, dissimillimū esse eiusmodi obtutus genus, si-  
quidē perinde se deus, ut oculus micantem in pupilla lucem cōtuetur, homi-  
num uero genus haud secus dominatorē rerum deum aspicit, ac si quispiam  
hominē, speculū contuendo cernat, ex quo regeſtū hominis simulacrum ex-  
citetur, at cœlitum grex æque deum uidet, ac si quispiam hominem similitu-  
dine sine intermedio ab eo suscepta cernat, in quo quidem felicitatis genere  
cœlites generatos esse dicimus. Eodemq; modo affirmamus eos nullo cor-  
poris amictu suapte natura uestiri, sed quēdā interdū corpora arripere, quę  
hominum generi spectabilia ipsa sint per se, eaq; ex concreti aëris materia  
effici, quod aër maxime sit ad conuersionem & transformationem aptus,  
itaq; & in hominum hospitalia corpora obrepere, & imaginationem flecte-  
re possunt, eorumq; munia ex aduentitio ad intelligentiam redundant, pro-  
pterea quod ei imaginatio tanquam color oculis obijcitur, atq; hoc quidem  
usq; ad uoluntatis optionē permeat, cum uolūtas ab omni sit corporeorum,  
instrumentorū appulsu seiugata. Ex quo intelligi licet hominibus quasi pere-  
grinantibus cœlites speculatores & custodes, nature ortu dari, qui non mo-  
do genus humanum in ultimum tutiore itinere deducant, sed etiam nocitu-  
ra depellant, nec ita unquam ab excubandi munere discedunt, ut funditus  
tuendi conseruandiq; procurationē deserant, sed tantisper interdū excubias  
iuuandi causa intermittunt, quemadmodū haud quanquam interdū, obest,  
ut homines in criminum, aut ærumnarū genera incurrant. Nec multo qui-  
dem secus perquirimus, num eorum sit dissimillima cōditio nature, num sit  
informata præſensio rerum futurarum. Deinceps etiam centuriatim descri-  
ptos ordines persequimur, ac utrum utatur deus ad obeunda officia turma-  
tim, an singulatim bonis. Quę quidem ab omni philosophorū genere sunt  
tractata ieiunius, à nobis uerò non tam sunt rationis complexu, quam cœli-  
tus hausta, & patefactione percepta.

*De demonibus.*

*Distinctio III.*

**I**demq; prope à nobis de dæmonum genere exquiritur. In quo quidē  
affirmatur, nihil aliud esse delinquere, quam ab amissi delinare actus  
sui, nam si uel ex rerum natura, uel ex moralium, aut ex artificiorum ra-  
tione peccatum elicitur, id solum à recto non torquetur, cuius est formula i-  
psa agentis uirtus. Diuinæ autem mentis uoluntas sola est amissis actus sui,  
nullisq; superioribus finibus circumscribitur, at cæterorum, quorumcunq;  
uoluntas, nullam actus sui formulam assequitur, nisi quatenus in rectum ab  
uniuersitatis

uniuersitatis parente dirigatur. Ex quo quidem assumitur, deum delinquere non posse, cætera autem delinquere posse, cōditionis nature suæ modo, quo constituto probatur cœlitum genus peccare potuisse. Itaq; ob eam causam quæri solet, quodnam eorum fuerit princeps peccati genus. Diuo quidem Thomæ id à superbiæ malo manasse placet, quod contra Scoto maxime displicet. Rationes enim inducit, quibus cum crimen dæmonis maximum fuisse probet, propterea quod esset irreparabile malum, concludi putat, superbiam nullo modo maximum uideri crimen, quandoquidem ei obiecta humilitas è regione respondeat, quæ nullo modo uirtutū maxima dicatur, atq; etiam probabilius uideri dicit, inferius dæmonum genus, id imperium nullo modo concupisse, quod minus eorum nature congrueret, cum perspicuum uideri debeat, maluisse eos auctoris dei, quam Lucigeri dominatū pati, ex quo satis liquere, haud quaquam id crimen, à furentis superbiæ malo manasse. In quo quidem multum ei à cæsiōrum genere plauditur, cui tamen responderi potest, minime necesse fuisse, id dæmonis maximum extitisse crimen, cum post etiam ab eo diriora sint scelerū genera patrata, diciq; etiam nimirum posset, superbia tumentē, eodem hostiumēto malle superioris, quā inferioris generis imperia pati, at si quicquam præstantius in inferiori genere nanciscatur, quod in superiori consequi nullo modo posset, malle eū affirmamus, inferiori generi subesse. Quo quidē modo dicendū esset haud quāquā contra stolidissimorū dæmonū superbiam uideri, eos inferioris generis dominatū pati uoluisse, ut suapte scilicet natura extremū bonorum assequerentur, cum tum etiam cœlitū principi essent subiecti lege nature. Sed à doctissimis quæsitū & disputatum est, an nequam dæmon continuo in ortu delinquit, multis enim dæmones in ipso statim ortu non natura, sed uoluntate malos fuisse placet. Aureolus autē qui Aquinateam sententiam delumbat, eum cōtinuo in ortu delinquere potuisse cēset, nec minus item telorū affert Gregorius Ariminēsis, qui cum in huiusce rei disceptatione Christū anima cōtinuo in ortu meruisse uelit, cōcedi sibi uult ut cœlites etiam in ipso statim ortu merere, ac eque delinquere potuisse dicātur. Cui etiam ne mora quidē ad spirandū datur, si quidē quemadmodū dæmonem continuo in ortu nullo modo deliquisse concedendū est, ita concedi debet cœlites in ipso statim ortu, felicitatē nullo modo cōsecutos, atq; ita minus illis necesse fuisse putandū est, māsuros prælagisse, quēadmodū nec dæmones se casuros diuinasse, ante quā è cœli theatro deturbarētur. At cum imprimis cœlitū felicitas à deo dimanet cunq; crimen à libero uoluntatis motu oriatur, erit confiteri necesse, ut autor mūdi deus cœlites felicitate afficere potuisse dicat, eos in id impellens, quod sit supra progredientē naturā sitim. At uero nullo modo cōfitemdum est cœlites nisi post princeps illud momentum per se peruerse in id impelli posse, quod sit supra progredientem naturam cōstitutum, quo posito, tanquam

tanquam in integro res sit, affirmatur dæmonē inuidiæ felle & superbia cæ-  
 cum, diuinum honorem, ut felicitatis finem cōcupisse, ac alios appetitionis  
 contagione inquinasse, pluresq; in fontes remansisse, quā cecidisse reos. Itaq;  
 affirmamus eos apud orcum, igni ultore mulctari, nec usquam nisi irritan-  
 dorum oppugnandorumq; hominum causa ex Ditis antro discedere, quanti-  
 quam principi sententiarum placet, eos in hoc terræ proximo crasso & con-  
 creto aëre uersari, quo propinquius irritandi fallendiq; retia iactent. Atque  
 etiam fatendum est eos scelere occalluisse, nec sanabiles esse ætate, nec item  
 his spacium reuocandi dari, cum ab ea peccati tabe auelli nolint, qua cœlitū  
 princeps, ut fex, in imum superba auiditate corruit. Ex quo nihil esse potest  
 Origeni straboni loci, qui dæmonum ærumnas in tempus circumscribi pur-  
 tauit, soleo enim hominis omnium doctissimi hallucinatione angi, quod ab  
 eo sit tanto melli, tam dirum aconitum satum. Atq; etiam intelligēdum est,  
 eos ex quibusdam indicijs, occultarum rerum noticiam elicere, absentium  
 uero distantiumq; rerum in se cognitionem percipere, cum haud quaquam  
 propinquitas, aut longinquitas intelligentiæ aciem perstringat, at futurarū  
 rerum præfensionem in se nullo modo percipiunt, sed quodam causarum si-  
 gnificationumq; genere res futuras præsentiant, quod idem hominum ge-  
 neri accidere posse dicitur, siquidem multi Astrologum causis, Geomanti-  
 cum signis, futurarum rerum præfensionem cōsequi posse uolunt, nam cum  
 Astrologos æquato cœlo, syderum cognitionem elicere opinentur, quibus  
 ceteriora regantur, multa eos affirmant de uentis, de imbribus, de tempesta-  
 te præsentire posse, eodemq; modo Geomanticos celeri manuū motu, pun-  
 ctorum multitudinem describere, qui ad orbium figuras referatur, nec mul-  
 to quidem secus medicos ex lotio, ægritudinis naturā præfagire, multosq;  
 item ex auium gannitu, multos ex pilcium natatu tempestatem præsentire,  
 idq; ex cœli motu accidere, à quo tempestates aut commutationes futuræ  
 gignantur. In quibus quidem cunctis pernoscenti generibus, dæmones ho-  
 minibus maxime præstant, nam & absolutius uim astrorum percipiunt, sub-  
 tiliusq; eorum copulationes dijudicant, deinceps etiam ex patefactione in-  
 fontium cœlitum cognitionem elicere dicimus, quorum sint non uolūtatis  
 congruentia, sed germanissima intelligētiæ similitudine cognati, postremo  
 multa eosdem longinquo tēporis usu, & consuetudine percipere uolumus.  
 Itaq; iure ob eam causam senatus promulgatione cauetur, nequa dæmonum  
 ad percontandum euocatio fiat, neue quis eorum nomenclator sit, neue e-  
 tiam malum carmen incantetur, quo dæmones, tanquam serpentes Psyllo-  
 rum cantu, leniantur. Si quidem homines cum crassius intelligentiæ obtutu  
 hebescāt, facile è uestigio conuulsi, artificii uipereo, nexu obligantur. Est em̄  
 dæmonum genus natura noxium, inuidiæ felle luridum, in fallendo uafrum,  
 ac insidiosum uerriculum generis humani. Ideoq; in hominum corpora ob-  
 repere,

reperere, ac ultro citroque uexando concurrere suapte natura possunt, nec eorum quidem appulsus animantium genus ullum expers uideri potest, nisi sit cœlesti sera aditus præclusus. Eodem accedit, quod haud quâquam eorum est naturæ negatum, quin possint corporum integumenta arripere, in uariâque figurarum genera transferri, quo callidius improvida hominum ingenia laceffant, ut sepe in diuorum pugilatu contigisse legimus, qui olfactu, aduentantium præstigijs agnouerunt.

De creatione corporum.

Distinctio IIII.

**M**odo autem sequitur, ut de corporum ortu dicatur, quo loco primo uidendum est, quod nec sunt à cœlitibus tanquam à secundis dijs corpora effecta, nec ad multam fontium demonum generata, ut Origeni est uisum. In qua quidem sententia tantus uir, sal omne consumpsit, nec ita sunt gradatim constructa, ut alterum ab altero eatenus gigneretur, quoad ad corpoream naturam perueniretur. Nec etiam illud probatur, quod Platoni placet, ut formæ scilicet corporum, ex formis à materia seiunctis defluerint. Quemadmodum si constituantur canis per se existens, nulla materiæ admixtione cretus, qui sit causa omnium gignendorum canum, & suum, & bos bouum, idemque de omnigenum animantium natura intelligatur. Quæ quidem doctorum hominum sententiæ ab uno fonte manarunt, nam cum formarum causas exquirerent, dum apros, ac urfos persequi non poterant, muscas & culices uenabatur. Quo sanè loco intelligendum est quod omne coagmentatum, ex formis naturam arripit, cum autem omne simile ab aliquo sui simillimo gignatur, perspicuum esse debet, formarum corporearum non esse aliam indagandam causam ex formis à materia secretis. Sed sciendum potius corporeas formas non tanquam defluentes ex forma à materia seiuncta, sed tanquam materia deducta ex potentia in actum ab aliquo coagmentato agente oriri. Cum autem omne coagmentatum agens ut corpus, spiritus natura moueatur, præclare sequitur corporum formas à spiritus natura manare, eamque non tanquam fusionem esse formarum, sed tanquam motionem ad formas uideri debere, quæ in autorem deum, tanquam in principem causam conuersa feratur. Illudque etiam annectitur, in institutione rerum, ex potentia in actum, transgressionem non intelligi, cum à fabricatore mundi deo, nullo intermedio rerum sit facta molitio, & propterea præclarus uaticinator Moses, in omni primigenum dierum exordio, deum inducit ortum rerum iubentem, ex quo intelligi potest uerbo imperatis dei, non calce & coctilibus lateribus, exædificatum esse mundum. Inde inter nostros magna est nata luctatio, utrum materies incondita rerum, sit tempore informationem antegressa. In quo præclarus cœlestium arcanorum præco ditius Augustinus non putat primigenam corporum materiem informatione priorem extitisse. Basilio autem, Ambrosio, & Cassiodoro placet, tempore materiam esse antegressam.

D Augustinus



Augustinus materiam inconditam esse uult, quacumq; forma carentem, ex quo fieri nullo modo posset, ut materies incondita, tempore esset formatio- nem antegressa, alijs enim incondita materies uideri solet, non quæ quali- cunq; forma careat, sed quæ formā excludat, qua pulchritudo & formatio corporum ambitur. Salubriorum autem opinio est à molitore deo cuncta in aeternitate ex nihilo esse generata. Quidam uero unam corporearum rerum mate- riam opinati sunt, siquidem ante Aristotelem, incredulum philosophorum genus, omnia corpora ex rerum primordijs oriri putauit, nam cum quatuor illorum principiorum, una esset in eadem materia communitas, ut præ- clare in mutuo rerum ortu, & tabe patet, concedi sibi uolebant, ut omnium corporū materies una diceretur. Cum autē quædam corporū genera haud extabescere posse uiderent, essetq; absurdū ut quippiā & tabescibile, & æter- num, ex eodem materie fermento manaret, Plato uerens ne sibi pedicam et plagam texeret, id uoluntati ædificatoris dei, non materiae naturæ tribuit, quod quidem ab Aristotele, motuum naturalium ratione refellitur. Nos au- tem unitate ordinis, materiam inconditam unam arbitramur, quemadmo- dum ordine corporeæ naturæ, omne genus corporū, est unum genus. Atq; cum institutionem & molitionem rerum contemplamur, indice deo minu- tatim singula describimus, siquidem tempus ante per se inconditum fuisse uolumus, idq; postea à deo spacij cōuersione circumscriptum, ineunteq; æuo noctis & diei uicissitudinem effectam. In quo confirmatur tempus numerū esse motus syderei cœli, & principio aliquē fuisse motū, sed motū sine tēpore intelligi non posse. Inde etiam rationes afferunt, quibus probatur incondi- tarum tenebrarum remedio generatam esse lucem, eamq; primigeno die ei- ductam, cum dies sine luce esse non possit, quam quidem primitus inconditi solis fuisse confirmatur, quæ initio haberet illuminādi uim, deinde nacta es- set circumscriptā uim, circumscriptos effectus cientem, eaq; negatur esse cor- pus, nam si lux corpus dici posset, quando digressu solis adumbratur tellus, tum necesse esse affirmatur, ut lucis corpus extabescat, eiusq; materies for- mam aliam arripiat, quorum neutrum fieri certa ratione probatur. Quibus expositis de cœli ortu in ipso distinctionis primigenumq; dierū ordine per- quiritur. Apud philosophos enim Empedocles cœlum ex primordijs rerū constare censet, idq; indissolubile esse opinatur, propterea quod principio- rum conciliatu, non dissidio eius, sit absoluta natura. Platonicorum quoque canora familia, cœlum ex rerum principijs cōstitutum fuisse uoluit, non tan- quam primordiorum fœdere coagmentatum, sed tanquam per se simplex principium, eiusq; corpus ex ignei primordij natura esse constructum. Ari- stoteles autem cœlum etiam quatuor principiorum natura contineri arbi- tratur, sed extra primordia quintam excogitat naturam. Si enim Platoni ad- hærescendum est, minime absurdum uideri debet, cœlum secundo ordine recentius

recentius effectum, nam, ut illi placet, cōstruere cœlū, est ignis primordiū e-  
 ducere, primordia em̄ educere, ad molientis, & generātis p̄sum pertinet,  
 sed distinguētis & ornātis est munus, aliqd ex primordijs antecedētibus cō-  
 struere. Ex nostris autē diuus August. cœlum quod sit primigeno die con-  
 structū spiritus incōdita natura esse uoluit, cœlū aut quod uno die recentius  
 æditum dicatur, corporeum fuisse censet. At religiosissimus testis Beda em-  
 pyreum cœlum primigeni diei principatu, antiquius, & sydereum secundo  
 ordine constituit. Damasceno uero primo ordine eductum cœlum sphæri-  
 cum esse placet, quod à philosophis princeps mobile, & nonus orbis uoce-  
 tur. Eodemq; modo quæritur, utrum aquæ supra sydera, excellissima cœli  
 parte collocentur. Origenes qui Platonis dorsuali nota agnoscitur, eas spi-  
 ritus natura esse opinatur. Basilius autem ab his cœli flagrantiam temperari  
 putat. Vnde exorta est causa cur Mathematici nullam ob aliam coniectur-  
 ram, summum Saturni sydus gelidioris esse naturæ arbitrantur, nisi quod  
 aquarum propinquitate rigescere credunt, iisdemq; placet eas aquas, non  
 perennes manare, sed quali solida quadam glacie condensari, & propterea  
 à multis id cœlum adamantinum, & crystallinum uocari dicunt. Diuus autē  
 Thomas qui philosophiam cum Theologia cōiunxit, eas aquas corporeas  
 esse statuit, eorum fundamenta conuellens, qui aquas anhelitu, & uapore so-  
 lutas, supra sydereum cœlum ferri uolunt, affirmans hoc fieri nullo modo  
 posse, tum propter cœli crassissimam soliditatem, quæ à uapore inter rumpi  
 & penetrari nequeat, tum propter mediam ignis naturā, quæ sit cōfectrix,  
 & consumptrix uaporum, tum etiam, quod sensuum testimonio confirmat,  
 uapores uix ad montium cacumina ferri. Nec item multo secus indagatur,  
 utrum unigenum sit cœlum, an plures, nonnullis sanè est uisum unigenum  
 esse cœlum, confirmare conantibus quicquid ex tota materiæ suæ natura  
 constat, id unigenum esse probari, cœlum autem eiusmodi esse naturæ, uni-  
 genum igitur esse cœlum. Nostri uero, quāquam uariæ sint eorum dissiden-  
 tesq; sententiæ, in hoc tamen congruunt, quod cœli descriptionem triparti-  
 ta ratione persequuntur, nam primum cœlum empyreum nominari uolūt,  
 alterum aqueum & crystallinum uocant, tertium utriusq; particeps, partim  
 crystallinum, partim translucidum esse dicunt, quod quidem sydereum sit,  
 quodq; in octo astra diuidatur, in sphæram stellarum inhærentium, & se-  
 ptem sydera errantia. Scotus autem Ptolomæum, & Auicennā sequens, no-  
 uem cœlos esse confirmat. Post etiam inde quæstio dimanat, num tertio sit  
 ordine aqua à tellure secreta. In quo quidem diuus Augustinus inconditam  
 corpoream naturam, aquæ & telluris nomine intelligi uoluit, non quia in-  
 condita natura sit informationem antegressa, sed quia origine antecesserit,  
 nec sanè opinatur informationem aliam alia esse priorem, sed naturæ tan-  
 tum ordine antegressam, quo quidem ordine necessario confitendum esse,

informationem, spiritus natura antiquiorem fuisse, & quemadmodum spiritus corpoream naturam antecedit, ita supera corpora inferioribus esse antiquiora. Quo loco confirmat, secundo ordine cœlestium corporum informationem esse factam, & tertio aquarum corporeæ naturæ datam formam. Ex quo quidem plerique arbitrantur fabricatorem mundi deum, cum in ipso creationis meditullio, à telluris gremio aquam arcuisset, tertio quoque ordine stirpium, omnigenumque arborum genera ædidisse, ut telluris incondita figura remoueretur, quæ aquarum diuortio nudata, & euelata, squalleret. Præterea in disputationem uocant, num primigeno operis die, an quarto generata sint astra. Multi enim in theologia populares inuēti sunt, qui cum dicerent sydera uasa esse lucis, lucemque operis principatu æditam affirmarent, probare conabantur, sydera quoque principe die, non quarto educta fuisse. Contra quos à locupletioribus, ualentioribusque differitur, affirmantibus lucem die principe æditam, spiritus, non corporeæ fuisse naturæ. Ex quo cœlestis operis gnarus Dionysius, præclare ait lumen solis ante inconditum fuisse, & quarto ordine forma insignitum, censetque ortus principatu, lucem æditam communis lucis naturæ modo, sed quarto operis die, astra nacta esse uim circumscriptos effectus cientem, ut uidere licet in tanta effectuum dissimilium uarietate, quæ à sole & luna manare scimus. Et propterea inde questum est, utrum animantia astra dicantur. Platone principe multi sydera animantia esse uoluerunt, Stoicis autem placet astris uim & mentem inesse diuinam. At Anaxagoræ ab Atheniensibus est negotium exhibitum, quoniam solem, flagrantem lapidem, nec deum, nec animantem esse dixisset. Apud nostros uero Origenes à Platone non discedens, animantia sydera putauit, quem pedetentim & dubitanter subsequi uidetur Hieronymus, diuus autem Augustinus tanquam arbiter in re ambigua, dum medium persequi non potest, neutri sententiæ assentitur. At Apollo Christianorum diuus Thomas, scientius genus hoc totum ratione astringit, probat enim diuisione operum animæ, nullam corporum cœlestium animæ consentaneum esse operam, præter intelligentiam & motum, dicitque animam corporibus cœlestibus, non ut formam annecti, sed uirtutis appulsu, ut mobili agitatore applicari, quemadmodum si lagena in prono, uel pedum impulsu moueatur. Atque hic etiam inquiritur, num quinto sit ordine piscium & uolucrum ædita natura. Nonnulli id genus actu absolutum censent. Augustinus uero potentia inchoatum putat. Hoc idem sexto ordine de animantium terrestrium ortu disputatur, in quo ab Augustino eadem ferè dicuntur. Sed incidit contentio, utrum sexto ordine, rerum sit absoluta molitio, multi enim confirmare conantur, quod quicumque opus absoluit, aliquid omnino molitur, cum autem non sit literis mandatum, quicquam septimo die deum fuisse machinatum, concludere uolunt, absolutionem operis, septimo ordini nullo modo congruere.

congruere. Diuus autem Thomas deum dicit septimo die aliquid fuisse molitum, non quo quicquam recentius genuerit, sed quo genita ad priuata munia obeunda induxerit, quod quidem secundæ cuiusdam absolutionis exordio consentaneum uideatur. Theologorum autem omnium opinio est, in gignendis rebus, septimo die cessationem esse datam, eodemq; die effectorem & parētem deum, sic ad genita fatum. *Macti auctu, ac fœtura estote, & propagate genus.*

*De creatione hominis.*

*Distinctio V.*

**S**ed quoniam spiritus & corporum satis est explicata natura, restat ut hominem utriusq; naturæ compotem persequamur. Cum autem de homine dicendum sit, ab anima tanquam ab imperante & duce ordiendum erit, nec enim hoc loco Aristotelem syllogismorum Dædalum imitabimur, qui ut Endechiā tanquam chimæram ostentaret, superiorum philosophorum omnes de anima sententias explosit, nugiuendos singulos fuisse ostendens, & uix dignos qui sibi in Peripatum eunti, logísticos libellos ferrent. Nec item hic locus flagitare uidetur, ut accuratius indagetur animæ explicata cognitio, aut probandum sit, animam materiæ & funeris expertem, non esse corpus, uel disputandum quod intelligens principium ut forma annectitur, quodq; homini nulla forma præter intelligētem animam insit. Neq; etiam seorsum sunt animæ diuidendæ potentia, uel separatim partiendæ in sensus, nec quidem modo attinet aut agentem intelligentiam attingere, aut eorum opinionem refellere, qui in omnibus unam esse censerent. Ex quo etiam nihil est, cur memoriā partem animæ intelligentis esse probemus, aut appetitum sensilem & intelligentem, omnesq; animi affectiones, & tum uoluntatem, tum liberum animi motum persequamur, interius enim hæc, non in cortice exterebranda sunt. Eodemq; modo disputationes omittentur, quemadmodum anima corpori annexa intelligat, si à speciebus naturaliter insitis, rerum eliciat notitiā, ut nonnullis est uisum, an à rebus sensibilibus intelligentem cognitionem eruat, uel si intelligens iudicium, sensus nodo, uinculoq; astringatur, ac ne illud quidem in contentionem uocetur, ab intelligentia, interminata ignorari, ab eaq; rerum cōcretarum notitia, naturæ materiæ expertis cognitionē non elici. Nec multo secus in his quæ ad Theologiam pertinent, agendum erit, quæ quidem à nostris ita sunt enodata subtiliter, ut iure ab his non modo minuti sapientes, sed etiam philosophorum antesignani, ut monogrammi & bardī ludantur. Hoc enim loco (ut diximus) principis hominis exquirendus est ortus, ac in primis anime procreatio, genitālisq; origo indaganda, si quidem multi animam minime factam, sed ex diuinitate decerptam esse putauerunt, idq; à Mose molitionem rerum describente manasse uoluerunt, cum confirmet à fabricatore deo ex homo constructum esse hominem, eiq; animam in uitalem spiritum

D 3 insinuatam

insinuatam & insitam afflatu, cum autem qui afflat, aliquid ex se omnino effundat concludi opinabantur, ut anima quippiam ex diuinitatis natura diceretur, quod quidem à sanioribus arctius urgetur, nam cum afflatum corporeum esse negent, nihil aliud dicunt dei esse afflatum, quam originem, & causam spiritus gignendi, quemadmodum quanquam homo corpore afflat, non tamen quicquam omnino ex se, sed ex natura externa effundit, quæ quidem opinionis prauitas, à superiorum philosophorum errore defluit, pingue enim & elixum philosophorum genus, cum imaginationem tanquam atram caliginem percurrere nequiret, nihil omnino uacans corpore esse censuit, ob eamque causam deum corporeum esse statuit, qui omnium corporum genitale primordium diceretur, cum autem animam (ut ait Aristoteles) arbitrarentur illius principis corporis natura constare, confirmare nitentur animam esse ex diuinitatis natura decerptam. Nos autem animam rationis participem sine procreatione fieri posse negamus, eamque ab autore rerum deo, nullo intermedio eductam dicimus. Quanquam oritur questio, utrum sit corpore anima antiquior. Origenes enim qui unus è multis piensissimus fuisse Christianorum, nisi inter Platonicos uepres abollam, & sandalia discidisset, ortu cœlitum, non modo hominis primigeni, sed etiam cæterorum hominū animas generatas esse uoluit. Augustinus ortu quoque cœlitum animam principis hominis, generationis ordine antiquiorē putat, eamque postea uoluntario motu corporis, tanquam naturalis domus imperium expectisse censet, quanquam ne hoc quidem satis constanter affirmare uideatur, homo enim purissimus Christianorum, in felicitatis discrimine, non uult pugnacissime ratum habere, quod opinari posset. Vnde exorta est causa diuo Thomæ, cur à cæteris discreparet, nam cum animam corporis formam esse probet, eam dicit non seorsum, sed in corpore creari debere, in quo non est Scoto cum illo dissensio. Quibus expositis, confirmatur primigeni hominis corpus, nullo intermedio à deo fuisse concretum, quanquam multi Theologorum exercitus calones, & lixæ, dicunt res corporeas à deo ministris cœlitibus gubernari, cunq; corpus humanum corporea materia cretum esse affirmant, satis persuasum esse uolunt, deum ad humani corporis coagmentationem & fabricam cœlitum opera esse usum. Contra quos triarij nostri differentes probant aliquid deum ministris cœlitibus moliri, sed quædam tamen in corporea natura fabricare deū, quæ à cœlitibus effici nullo modo possunt, quæ admodum cadauera lethi postliminio in uitam reuocare, aut orbatis lumina inferere, quod architecti, & effectoris dei propriū est munus, quo quidē nutu primigeni hominis corpus effectū & constructū uolunt. Nec negant fieri posse ut in ipso corporis humani opere, cœlites ministri adessent, quæ admodum in mundi deflagratione, & extima corporū suscitatione colligendorum cinerum ministros affuturos dicimus, sed negant fieri posse, ut ab his sine uifemini

feminis in aliam formā corpora mutantur, cum autē nunquam antea ullum  
 fuisse ortu humanū procreatum corpus, cuius ui, & gignendi ordine, aliud  
 specie simillimū gigneretur, necessario confitendū esse dicunt, principis ho-  
 minis corpus, ab opifice deo nullo intermedio cretū. Itaq; affirmamus cor-  
 porearū rerum, quoddā esse seminariū, quod si tēpestiuitatē nactū sit, ad spe-  
 ciei decentiā perueniat, cui ab agricolis idoneorū temporū opportunitatē,  
 & nascēdi causas præberi, & quod ab agricolis palām fiat, id etiam fieri à cœ-  
 litibus, nihilq; inter eos interesse, nisi id quod à colonis satū & tēporis p̄gressū  
 su fiat, id à cœlitibus etiam & repente fieri. Ex quo intelligi uolumus ex cœli-  
 tum opera, multa quandoq; incredibilia oriri, quę tamen causarū ordine, na-  
 turalia sunt ipsa per se. Eisdemq; rationibus probamus pleraq; cœlites mira-  
 biliter supra progredientē naturam posse moliri, sed illis non inesse uim na-  
 turaliū faciendarum rerum. Post autem de primigeni hominis materia per-  
 quiritur. Nonnullis em̄ qui plebiscito, non senatus consulto Theologi sunt,  
 mirum uideri solet, cur potius ex humo, quam ex cœlesti materia humanū  
 sit effectum corpus, nam cum cœleste corpus absolutius terreno putarent,  
 cumq; humanum corpus excellenti rationis forma, insignitum uiderent, ue-  
 rissimile putandum esse dicebant, humanū corpus ex cœlesti magis quam ex  
 telluris materia confici debere, quod quidem genus argumenti integriori-  
 bus crassius est uisum. Siquidē quanquā cœleste corpus, sit terreno nobilius,  
 dubitari tamen non potest, minus actui animæ rationis cōpotis congruere,  
 cum anima quodammodo ex aduocatis sensibus noticiam eliciat, quorum  
 quidem instrumēta ex cœlesti materia effici non possint, cum cœlum naturā  
 patibilem non habeat. Eademq; ratione indagatur, utrū primigeni humani  
 corporis fabrica, ex quatuor sit primordiorū natura cōstructa. Physici em̄  
 cōcretioni mixtionis absolutæ, plus telluris inesse uolunt, quod plus forme,  
 & minus materiæ nanciscatur. Augustino autē Theologorū deo, duo pla-  
 cet esse primordia rerum, quę patiendi necessitatem habeant, tellurem scili-  
 cet, & aquam, & duo quę sint ad agendum educta, aërem, & ignem. Et quo-  
 niam ex his patiendi ratio efficitur, tellusq; ex omnibus patibilem magis na-  
 turā nanciscatur, facile intellectu esse ait primigenū humanum corpus tellu-  
 ris esse materia concretum, quam quidem sententiā omnis salubriorum cœ-  
 tus, tanquam Theologiæ pontem tuetur. Atq; inde est ad totam hominis fi-  
 guram, fabricamq; transitio, nā cum multa in homine mirabiliter effecta mi-  
 remur, tū maxime artificiosi operis descriptionē contēplamur, rationesq;  
 physicas inducimus, quibus probat̄ tantā dissimiliū instrumentorū uarietate,  
 animæ gratia esse perfectam, siquidē cum anima sit multarū rerū effectrix,  
 quas sine corpore tanquā instrumēto persequi nequiret, necesse esse affirma-  
 mus, ut toto corpore, instrumētorū summa sit intexta uarietas, quo dissimili-  
 tudini potētis, & numerū animę, instrumentorū dissimilitudo cōgruat, sitq;

cognatio inter mobile corpus & animam motricem. Quod quidem præclare patet, ex earum rerum motu, quæ extra animã cernuntur, cum anima sit principium uariorũ susceptibilium sensuum, quos sine instrumentorũ uarietate, complecti nullo modo posset, præclare enim hæc medici patefaciunt, qui Anatomix scientia, manu ista articulatim dissecta cõtrectant, docentq; capiti tanquã arci tres annexas esse sedes, in quibus speculatrices animæ potentia excubarent, easq; sensum cõmunem, phantasiã, rationẽ, & memoriã nominant, quarũ, sensus cõmunis, & phantasia sint incolæ syncipitis, ratio in meditullio capitis habitat, & memoria occipiti annectat. Quas quidẽ sedes, uentriculos hoc interualli ordine interiectos esse dicunt, quæ inter se habeant ductas & exterebratas uias, quo utrinq; cõmeare possit perceptarum rerum tabellaria cognitio, ab hisq; extrinsecus, ad figurã hominis contemplanã disceditur. Quã à parente deo cessam & rectã ob eam causam informatã, & constitutã fuisse probatur, quo tanquã princeps inter omnia animãtium genera internoscere, essetq; spectatrix superarum rerum, cum perspicuũ sit, idem in spiritu amorẽ, ac pondus in corporibus existere, corpora em natura deorsum suo pte pondere ferunt, at humanũ corpus cum sit domicilium spiritus, natura superiora appetit. Ex quo quidẽ notũ adagiũ illud existit, eodẽ amorem, & oculos cõcurrere. Atq; ex hoc etiam est orta cõtentio, quã primigeni hominis sedes extiterint. Grauius autor Damascenus has sedes uelut Elysiũ nemus descripsit, in qs semper nitescere ait cœlũ, cuncta odore fragrare, & hybernis, æstiuisq; frugibus, pratorumq; uestitu florere. Iosepho autẽ, qui solus ppe ex Iudæis, Græcorũ flumina nando trãsmisit, eas sedes ad orientẽ solem cõstitutas esse placet, cui prorsus Celtiber Iudorus assentitur, is enim harum sediũ ingressus post hominis pollutã naturam, flamarum mœnibus oclusos, & obstructos scribit. At Theologumenon librorum Beda interpres, rem in dimicationẽ adduxit. Probare enim conat has sedes ad orientem circumfluo oceano, & montibus ab ea parte obiectis cõtineri, quæ ab hominibus habitat, easq; ait ita à domicilijs nostris esse semotas, sublimesq; ferri, ut orbẽ globũq; lunæ pertingãt, ex quo multis causa fuit, ab eo desciscẽdi. Nam cũ luna rigoris effectrix dicat, uerisimile putandũ esse uolebant, ut subiecta ei quoq; & finitima regio rigesceret. Quibusdã etiã nullo modo fieri posse uisum est, ut hę sedes altissima telluris parte collocent, siquidẽ si fieri hoc posse diceret, cõcedi etiã uolebãt, ut harũ sediũ infœcunda natura diceret, quando quidẽ montiũ altitudines solis flagratia, & ardore torreant, qui ex tellure ubertatẽ hauriant, quod quidẽ minime harum sediũ fœcunditati consentaneũ esse dicunt. Maior aut pars eo defert, ut eam terræ partẽ temperatam uelint, idq; affirmant ex noctiũ & dierũ æqualitate oriri, quemadmodũ his accidere uidemus, qui terras ad orbẽ æquinoctialẽ colunt, umbræ enim nocturnæ cum lucibus æquent, dierũ feruidã naturam tepesciunt,

tepefaciunt, in qua tamen sententia Scotus Alexandro, Nicolao Boheto, & Magno Alberto calcar adhibuit. Quo etiam loco probatur à nobis hominem dei esse simulacrū, non quidem absolutum simulacrum, sed tanquā ad similitudinē expressum. Negamusq; primigeno homini deum notum fuisse de facie, nisi sopito ei, & phantasmate seuocato deum uisum esse concedamus. Nihilōq; secius inquiritur, an primo naturæ tyrocinio ei esset omnium humanarū rerum inserta notitia. In quo affirmatur nouisse eum fundamenta necessarium rerum, quatenus scilicet ratio assequi posset humana, occultas autem meditationes hominum & præsentionem rerum futurarum nullo modo consecuturum fuisse. Illudq; etiam adiūgitur, eum ante noxam animantium omnium adepturum fuisse principatum, ferisq; etiam pecudibus, ut bubus, iuga & onera impositurum.

*De hominis statu ante peccatum.*

*Distinctio VI.*



Qibus quidem cognitis, proximū est, ut de hominis ante noxam statu disseratur. In quo illud primum quaerendum erit, num incolumi natura homo esset futurus æternus. Sunt enim multi qui negent uitalis arboris escam, quæ esset homini ad uescendum data, causam immortalitas futurā fuisse, cum nihil contra suam speciem nitatur, quandoquidem effectus causa non egrediatur. Cum autem lignum tabescibile diceretur (nec enim aliter in alimentum exteri, & molliri poterat) per facile uolunt iudicium esse, ab eiusmodi uitali edulio æternitatis causam non oriri, idq; ad eorum commentitias fabellas referri posse dicunt, qui bellissime in Phycis ab Aristotele ludantur, quod inducerent deos, uitales quasdam epulas ientare, quæ eorum immortalitatis causa forent. Ad quam quidem sententiam pleriq; gregatim tanquam graculi ad turrim deuolant. Ad egregium parducum, Augustinus & diuus Thomas, quasi nudo pede ingrediantur, uerentes ne inter salebras digitos detundant, hoc idem sensim, & pedetentim persequunt. Nam cum homini contra duo quæ defunt, totidem præsidia adhibita esse uideant, Primum quod deest, humoris iacturam esse dicunt ex caloris actione natam, cui quidem cæterarum arborum esu occurri potuisse opinantur, ut nos modo dapibus uitam, corpusq; tuemur, alterum ob id ipsum esse uolunt, quod quemadmodum aqua uini sextario admixta, primū meri naturam adulterat, tum quo crebrius & largius adijcitur, eo liquidius uim eius referuefactam diluit, sensimq; aqueam extenuando efficit. Sic idcirco perspiciunt, quod primum speciei actio tantum roboris habeat, ut non modo sit alimenti detracti restitutrix, sed etiam incrementa suppetat, postea uero quodcunque gignatur, non quidem incrementum addat, sed tantum detracta restituat. Atque eo tandem decurrere senij naturam putat, ut ne huic quidem restituendi muneri, opitulari possit, ex quo necesse euenturum sit, ut corporis dissolutio & interitus sequatur. Itaque

contra



contra hanc fraudatam debito partem, arboris edulio, uitam propagari po-  
 tuisse arbitrantur, quod ipsa uitalis arboris natura, nacta esset uim speciei ro-  
 borāde cōtra imbecillitatē ex aduētitiā admixtione manantē. Cuius quidē  
 sententię imas fibras Scotus abscindit, atq; in campū & puluerē progressus,  
 hominis uult tabescibilis fuisse partes, sed non tamen ipsum tabescibilem fu-  
 turum, cum ante occasum iturū eum fuisse in cœlum arbitretur. Magni au-  
 tem homines Vgo Victorius, Alexander Ales, & qui sententiarum selectū  
 interpretando exacuunt, hominis immortalitatem, non ex natura, sed ex ad-  
 iecta gratia, nascituram fuisse uolunt, quæ sit ob pollutam naturam amissa,  
 immortalisq; naturæ sit attexta mortalis. Nec item minor contentio exorit,  
 num ante noxam homo in cœlibatu esset generādi facultatem habiturus. In  
 quo quidem Græci, quo subtilius contra nostros scribant, pumice calamos  
 exterunt, nam dum cōmiscendorum corporum fœditatē respuunt, quasi au-  
 gustius hominis ortum inchoarent, propagationē sobolis tanquā cœlitum,  
 sine uenere, futurā fuisse censent. Nos autē negamus res naturales dari, aut  
 adimi posse peccato, cunq; hominem animali uita metiamur, intelligi uolu-  
 mus, cōmune fuisse hominū naturę ex uenere procreādi munus, idq; ex mē-  
 brorū partibus declarari, quæ essent ad naturę necessitatē datæ. Atq; absur-  
 dum etiam uideri, quicquā partium in homine à natura fabricatum, quo-  
 rum non esset necessarius usus futurus, nam & ueretra & inguina frustra à  
 natura effecta, putari debere dicimus, nisi ad procreandi usum data dicerentur.  
 Sed sobolē tamen sine ueneris flagitio propagari potuisse affirmamus,  
 cum partes ad procreandi necessitatem factæ, non irritarentur obscœnius,  
 sed suapte natura, ut cætera mēbra sine libidine mouerent, quandoquidem  
 rationi, ut duci morigerarentur. Ex quo sententiarum principi causa uidef  
 fuisse, cur non secus membra coitura fuisse censeret, ac manus ori admouen-  
 tur, quam quidem sentētiam clarissimorū interpretum cœtus, uerens ne lu-  
 pum auribus contineret, euolutam, & resutam retexit. Nam cum parū con-  
 sentaneum uideretur, ut serendæ amplificandæq; naturę opera sine uolupta-  
 te conficeretur, uoluntario obsequio uoluit sine æmula lasciuia utrinq; obe-  
 undum fuisse munus, sublataq; libidinum face genialem thorū sternit, eorū  
 procreandi causa, qui præclara quadam conditione ad dei cultum gignerē-  
 tur. In quo etiam quæri solet, quinam ante pœnam fontium, liberi nascituri  
 fuissent, multis enim uisum est infantes simulac nati essent, cōmendatione  
 naturæ membrorum cōpotes futuros. Siquidē cum quædam animantiū ge-  
 nera, ita primo ortu absoluta cernerent, ut non modo ingrediendi facultatē  
 habeant, sed etiam quacunq; matres persequantur ipsa per se, cunq; in homi-  
 ne uiderent cæterorum animantium inesse principatū, confiteri esse necesse  
 dicebāt, hominem primo naturæ ortu, omnium membrorū usum cōsecutu-  
 rum fuisse. Perabsurdū enim esse hominē rationis cōpotē, quem nullum  
 unquam

## SENTENT. DISTINCTIO VI.

47

unquam scelus inquinasset, in corporis ingressu manibus, ut pedibus, uti, ut modo anniculos infantes manibus repere, nec nisi in plostellis rectos ingredi uidemus, quod quidē malum, ad eam pœnam referre conatur, qua humanum plecteretur genus, quo cognito, maxime uerisimile esse, pueros ante pedicas lethalis mali, commendatione naturæ ingrediendi habilitatem adepturos, ac sine corporum tegumentis, sine tectis, sine culcitra plumea, sine conditis deniq; obsonijs fortunatissime uicturos, cum sua sponte suppeditatura essent (ut ait ille) terra cibum pueris, ueste uapor, herba cubile. Qui autem Physiologiam persequuntur, negant naturæ congruere, ut primo ortu pueri ingrediendi facultatem nanciscerentur, nam cum in homine cerebrum humidissimū, & corporis comparatione maius quam in cæterorum animantium genere esse probent, facile confirmant magnitudine humoris & ponderis pueriles neruos, qui sint agitationis instrumenta ad corporis actionem mouere membra nequire. Itaq; si quibusdam animantium generibus, simulac nata sint, gradiendi facultas data dicatur, id ariditate cerebri, non naturæ præstantia accidere, cum perspicuum sit quædam etiam absolutiora animantium genera, primo ortu expertia esse membrorum usus. Ex quo cõcludi nemini esse dubium, quin dei nutu fieri posset, ut primo ortu pueri essent membrorum compotes futuri. Sed probabilius est hominē quoquo uersum rectum esse formatum, eamq; recti mentionem in absoluto corporis obsequio consistere, & quemadmodum incolumi natura nihil esse in membris, quod hominis uoluntati obsisteret, ita nihil esse quod deesset. Sed cum in homine uoluntas rato ordine nitatur, quæ ad actiones naturæ congruentes pergit, fatendum est non esse eadem cuiuscunq; ætatis actiones. Quod cum ita sit, sequitur minime pueros primo ortu ad qualescunq; sed ad ætati tantum consentaneas actiones, mouendorum membrorum facultatem habituros. Eodemq; modo de scientia hominis ante noxam, de iustitia, de ratione, de affectionibus, de uirtute indagatur, quæ quidem prætereunda censemus, cum ad potiora pergamus.

De peccato parentum, &amp; originis.

Distinctio VII.

**H**oc autem loco perquirendus est Phaëton generis humani, nam cum satis ferè de incolumi natura explicatum sit, restare uidetur, ut de fontium hominum noxa indagetur. Duplex est igitur huius uiperi mali tabes, unum genus est, in quo à persona natura inquinatur, alterum in quo personam natura contaminat, quo quidem humanum genus, tanquam natiuo quodam morbo uexatur, sed quoniam utriusque peccati, magna est quæstio, ab eo ordiendum arbitror, quod est ordine prius. Itaq; primū uidendum erit, num id à tumente superbiæ malo manarit, multi enim qui se mirifice lierosos putant, ratiunculas afferunt, quibus id ab adipiscendarum scientiarū cupiditate, non à superbia ortū esse uolunt, nā cum à fonte de-

fonte demone dicant homini promissam scientiam esse rerum, eius conser-  
 quendæ desiderio flagrasse, non superbia tumefactū esse hominem. In quo  
 non uident scientiarum cupiditatem à præstantiæ appetitione oriri, quæ à  
 superbiæ malo nascatur. Atq; rursus alij hoc, edacitatē, alij deceptionem &  
 fraudē, quidam etiam auaritiā esse confirmare conati sunt, quorum quidē ar-  
 gumentorum exilitas, quoniā celeriter ut auri bractea perrumpitur, iure est  
 hoc prætereunda loco. Neruosius em̄ & uerius probamus, ad unū peccati  
 genus, multa affectionū genera cōfluere, in quibus quidē illud princeps ui-  
 deri debet, quod rata ordinis mēsiōne egreditur. Atqui perspicuū est prius  
 affectiones rata ordinis mēsiōne egredi, quā motus corporis extrinsecus,  
 cum aut̄ in affectionibus prius appetitus ad finē quā ad id, quod propter fi-  
 nem quærit, inflāmati rapiant, fatendū est in eo princeps hominis peccatū  
 confedisse, in quo eius rei princeps appetitus esse potuit, quæ esset rati ordi-  
 nis egressio. Cum aut̄ ante noxam hominē ita genuisset, & ornasset deus, ut  
 nullū admiscuerit sensuum & spiritus dissidiū, præclare sciri potest, minime  
 eam rata mēsiōnis egressiōne fuisse, qua homo sensibile quoddā bonum ex-  
 peteret, ad quod corporis appetitio citra ordinis terminos contēdit. Sed in-  
 telligi debet in hominis appetitu eā transitionē fuisse, qua quoddā spiritus  
 naturæ bonum expeteret, quod quidē minime citra rati ordinis fines opta-  
 set, si ad perpēdiculi diuini mēsiōnē cōcupisset. Ex quo cōcludi necesse est,  
 primā hominis perniciē fuisse, qua quoddā spiritus naturæ bonū, supra mē-  
 siōnis suæ typū, optauit, quæ audax animæ usurpatio, elationis est, & super-  
 biæ maxime propria. De originis autem tabe summa est opinionū uarietas,  
 hominumq; dissensio, si quidē Pelagiani & Manichei Christianorū carcino-  
 mata, ut canes qui lorū quo alligant abrodāt, hoc originis stigma humano  
 generi inultum fuisse, negant. Nostri autē qui in eorum libris ne manum qui-  
 dem porrigēdam putant, nisi in ijs atramento lineas trāuersas ducāt, ratio-  
 ne certa enodatus hoc totū indagare uolunt. Nā in Theologia magnus me-  
 ditator Durandus, dum hoc culpa, an peccatū dici possit inquirat, prius que-  
 ri oportere putat, an uoluntarium dici posse uideatur, itaq; placet illi id esse  
 uoluntarium, quod nostræ sit, aut alienæ uoluntatis. Cum autem in prom-  
 ptu sit, id magis esse uoluntarium quod in nostra, quam quod sit in aliena  
 uoluntate, cum aliena uoluntas dici nostra non possit, concludi oportere  
 arbitratur, id malū uoluntariū, non ex nostra, sed ex primigeni hominis uo-  
 luntate oriri. Doctissimus aut̄ omniū Scotus hoc ipsum originis iustitiæ ad-  
 emptionē esse putat. Guillelmus uero Ochan uerens ne dum rus sententia-  
 rum sarrit, semē cum herba euellat, id questionis genus incultum relinquit.  
 At Gregorius Ariminēsis, cui modo multi de uia decedūt, hunc inherētē  
 morbū, egrotationē, & appetitionē insititiā esse cēset, qua homo actu ad ex-  
 petendum rapiat, idq; ita à sententiarū principe intellectum esse uoluit, qui  
 diui Pau-

diui Pauli disciplinam sequatur, appetitionē originis esse malum describen-  
 tis, non tāquam appetitionē actum expetentē, sed tanquā angorem & egro-  
 tationē naturę. Nec autem negat homini ante uitalis Christiani laticis asper-  
 sionē originis iustitiā defuisse. Sed eam defectionē ita definit, ut non originis  
 malum, sed effectū uelit, quemadmodum ademptio gratiæ sit effectus capi-  
 talis mali, id est, quemadmodū ob capitale malum homini gratia adimatur,  
 sic uult ob originis labem ab opifice deo animabus originis iustitiā non seri.  
 In quo quidem affirmat eiusmodi malum, in anima ex molli eneruata appe-  
 titione oriri, quod ex flagranti & salaci quadā parentū uenere in conceptu,  
 liberorum caruncula arripiat. Sed exoritur repente Durandus, qui sententi-  
 arum principem eiusmodi tabem sensus & rationis dissidium nominantem,  
 materię non formę naturam attigisse opinatur. Alexander autem Ales, pau-  
 lo antiquior, sed in Theologia syncerus & sanus, cum id cœnum culpa &  
 mulcta definiat, ab alia causa culpam, ab alia mulctam manare arbitratur,  
 mulctam enim ex morbo quodam carnis mucore oriri putat, qua non ser-  
 cus anima dum infunditur inquinetur, ac uinum lagenę mucore uapidum  
 efficitur. Multi uero Theologorum spadones, cum id in quo anima rationis  
 particeps consistit, metirentur, animam rationis compotem cum semine in  
 sobolem transfundi putauerunt, ac ita ex inquinata anima, tinctas, & conta-  
 minatas animas defluere. Alij quasi ex horum errorum manubijs aliquid  
 probabilius construerent, culpam animæ parentum æque dixerunt in e-  
 pheborum sobolem transferri, ac corporis morbi ingenerantur, quemad-  
 modum sæpe liberis aliqua seminis tabe podagræ, & elephantia gentilitia  
 contingit hereditas, quamque ea tabes, nec podagra, nec elephantia uocer-  
 tur, dicuntq; animæ culpam eo prope modo seminis transiitione transfundi,  
 quanquam semen actu minime sit culpæ naturæ subiectum. Qui autem ex  
 orchestra populum Theologorum in angustias compelli spectant, negant  
 hæc argumentorum genera ita posse connecti, ut præclare doceant hoc o-  
 riginis nexu ephedorum sobolem astringi, nam quanquam corporis mor-  
 borum, quædam genera in liberos manarent, ac rursum etiam corporis ha-  
 bitu, quidam animi morbi gignerentur, quemadmodū sæpe ex insanis insa-  
 ni gignunt, ab hac tamen originis infirmitate culpā excludi putāt, cum eius-  
 modi naturę sit, ut uolūtaria omnino dicatur. Ex quo etiam illud adiungūt,  
 quod quāquam anima rationis compos, ita in sobolem dimanaret, ut inqui-  
 natio animarum liberorum, minime in eius uolūtate consisteret, necesse esse  
 arbitrantur, ut natura culpæ, ad mulctam coërcentis liberetur. Ex quo cau-  
 sa data nobis fuit, cur dextrorsum argumenta retorqueamus. Nam cum ho-  
 minum uniuersum genus, hominis nomine, quatenus cōgruunt naturę me-  
 tiamur, quicquid hominum à seminatio primigeno profluxit, tanquā unius  
 corporis membra arbitramur, in hisq; similitudinem adiungimus, ut si ma-

E nus panem

nus panem, aut lapidem lactarit, non id manus, sed animæ uoluntatis esse dicimus, uel si manus hominem occiderit, minime uolumus ei succenseri debere, si per se, ut à corpore seiuncta expendatur, sed succensendum esse censemus, si tanquam quicquam hominis expendatur, quod à principe agitationis autore mouetur. Qua similitudinis collatione confirmamus hanc tabificam mali luem, hominum non esse uoluntariam, sed à primigeni parentis uoluntate manare. Eodemq; modo inquiritur, utrum id in quo hoc originis malum insidit, caro an anima dicatur, pleriq; enim cum dissidium quo sensus à ratione desciscūt, ab hac originis tabe manare dicerent, eiusq; dissidij fibras maxime carni inesse contenderent, concludere uolebant, id ipsum in carnis concretione consistere, diuo autem Anselmo uideri scio haud secus semen, ac sputum & sanguinem inquinari, nec quicquam putat esse causæ, si ex his corpus animale fingatur, cur eius inquinatu, anima cõtaminari possit, quem subsequens sicca nare mirifice odorosus Scotus, negat carnem quæ feritur, à ueneris flagrantia in satione inquinari. At magnus clientum Aquinatum cœtus, causarum definitione probat semen quemadmodum sit instrumenti causa humane naturæ serendæ, sic instrumenti esse causam huius originis transfundendi mali. In qua quidem sententia tuenda, unus è multis Tolofanus Capreolus, maxime cum Scoto, & Durando luctatur. Ea autem quæ ad fontis dæmonis irritationem pertinent, hoc loco omittimus, est enim satis exploratum ab imperante deo latam esse legem, quæ sic iuberet: Arborẽ hanc ne libanto. Qui libarit, capitale esto. Notumq; est omnibus arbori implexum colubrum melle lito affatu hominem ad delinquendum pellexisse. Ex eoq; inquinata puritate, recessum & fugã esse factam, nataq; genera malorum. Et quoniam ob uiolatam legem duo sunt peccati genera patrata, unum quod primigenum parentum nominatur, alterum quod generatim in liberos diffunditur, de utriusq; animaduersione dicendum erit. Itaq; primo intelligendum est scœminam tria secum multarum genera detulisse, quarum una in grauiditatũ multitudine, altera in perpeffione dolorum, tertia in seruitute consistit. Cum autẽ sit duplex animæ cognitio, una quæ est orationis compos, altera sensilis. In altera uiolatæ legis uindex deus, scœminam ad parendi necessitatem abiecit, in altera puerperij multitudinem cum angore reliquit. Viro autẽ multiplex est quæsita pernicies, quarum una est bonorum ereptio, altera inuectio malorũ, earum una est qua à uitali arbore arcetur, altera in telluris execratione ponitur. Optimarũ enim rerũ amissio est, iactura causę incolumitatis uite, & ex domicilio uoluptario, recessus & fuga. Malorum autem inuectio est, æque in uita, ac in obitu distinctio multarum. Vitę enim incommoda dicuntur cultus aruorum, telluris altricis infœcũditas, & uictus egestas. Ad quæ quidem uitæ præsidia capessenda, altera cum lana & colo accedit, alter bipolarium, & marram arripit, illud autem quod ad obitum

bitum pertinet, necessitas est, quæ homines in lethi fauces, & orci tenebras detrudit, idq; præclare expellium amictu declaratur, quorum coniectu est mortis fato admonita humanitas, & tanquã corporũ insinuatus interitus, cum altera non cum tunica talari, & palla, nec alter cum paludamẽto, & tra-bea, sed conscientie pudore pellibus tantum ingrederentur amicti homulli. Eius autem insiti mali, quod generatim in singulos dimanat, tria sunt genera pœnarum, unum quod à prolapsione incolumis naturæ recuperari non potest, alterum defectio bonarum rerum, tertiu, quod minime ab homine tantum reuocari potest, quarum aliæ ad animam, aliæ ad corpus pertinent. Ex his enim quæ ad animã diriguntur, tum difficultas indagandi ueri, tum animæ appetitiones colligunt, quarum aliam ignorationis crassa caligo, aliã ad malum insita procliuitas insequitur. Procliuitas bipertito distribuit, una in qua festine prouehitur ad malum, altera in qua ingrauescentes egrotationes inueterascunt. Corporis autem tripertitæ sunt multæ, nam aliæ extra animam cernuntur, aliæ quæ ad animæ corpore discessum pertinent, quedã quæ ante excessum irrogantur. Primũ genus est quo corpora hominũ, telluri matri in humum conuersa redduntur. Alterum est, quod uitæ occasus, & lethi falx rapax, nominatur. Tertiu, quod famem, sitim, æstum, tabem & id genus, uno complexu continet, quibus luendis, damnatũ genus, tanquã pestifero quodam morbo tabescit. Eodemq; modo, id est, perquirẽdum ulcus, quod à parentibus in sobolem imitatione manat, in quo quidem definiendo summa est disceptatione pugnatum. Nam multi peccatũ sublati externis uoluntatẽ prauam definiunt, at literatissimus Theologorũ Ambrosius, peccatum esse ait contumaciam à lata dei lege desciscentẽ. Nonnulli uero peccatum est, inquit, uoluntas, iusticia aduersante tenax. Sententiarũ autem principi placet, peccatum intus & foris eminere. Itaq; intelligẽdum est perinde eiusmodi tabe animam, ac elephãtia corpus inquinari, scitum est enim illud, homines humanam naturam delinquendo exuere, propterea quod à rata rationis mensione desciscunt. Sed quoniam peccato gratia adimitur, facile erit intelligi, alterum ab altero oriri, in finisq; societatem uocari, quem admodum si quispiam ulciscendi causa hominem occiderit, in iracundiæ finem homicidium accersit. Eodemq; modo procliues nascendi causæ dimanant, cum peccato tanquam igni materia suppeditatur, ut facile in promptu est, uenerem ab incõtinentia, & discordiam ab avaritia defluere, quare sciri omnino debet, scelus sceleris esse pœnam. quando quidem culpa pœna dicitur. Eodem accedit quod quædam crimina, quædam secum appetitionũ genera ferunt, quibus aut ærumnæ excitantur, aut corpora perturbantur, fas est enim eos uidere, qui uel ira efferuescunt, uel flagrant odio, aut inuidia turgent, quo uultu, qua uoce, quo statu perturbantur. Atq; ob eam causam iure intelligi poterit, nefarijs hominibus ab ultore deo multam irrogari, quan-

doquidem pœnam gratiæ ademptionē esse dicamus. Facileq̄ licebit eorum rabularum detestari inscitiam, qui contractius providentiam astringentes, affirmant nullam habere rerum humanarum procurationem deum. Itaque præclare hoc loco à nostris, de uoluntate, de synteresi, de ignoscibili & capitali, ac de omnibus criminum stirpibus & fibris disputatur.

*Secundi Sententiarum libri finis.*

# PAVLI CORTESII

PROTONOTARII APOSTOLICI APOLO

geticum Proœmium in librum tertium Sententiarum ad Iulium I I. Pont. Max.



**V**M multis in rebus ueritatem Christianam Pont. Max. tum præsertim in aduersariorū oppugnatione splendescere uidemus, siquidem cōtrarij unius notitia, alterius perceptio eruitur, quemadmodum quibus notum est albū, continuo etiam ab his atrum pernosci potest. Nam si uolumus singulorum dogmata recēdere, facile reperiemus, quantum sit hominum lippitudo in ueri ignoratione uersata. Etenim illi ipsi philosophi cum naturæ admonitu, aliquid extra conspectum maius esse suspicarentur, quasi angusti animi uideretur, uitæ contentum esse terminis, confidentia uirium humanarum perquirebant finem, eumq̄ sensuum præsi dijs indagare conabātur, tanquā omnis nostra cognitio oriretur à sensibus, parum intelligens improuida mortalitas, naturā diuinam sub eorum sensus cadere non posse, qui concreta caligine offusi, ad solis splendorem hebescerent, & quod non caderet in sensus, ab intelligētia percipi non posse, nisi qua tenuis cognitio è sensibus erueretur. Itaq̄ ieiuna auiditate diu in exquirenda felicitate uersati, quanto ingredi nitebātur interiorius, tanto retrosum uicissim reiecti reflatu ferebantur, quandoquidem natura prius uideretur statuendū esse de fine, qui cum esset supra intelligentiæ complexum, supraq̄ mortalitatem constitutus, intelligi necesse erat, occultissime etiam abdita fuisse intermedia, quibus homines ad finem bonorum ducerentur. Quod cum ita sit, facile apparet sine æthereo haustu, mentis humanæ naturam effectam exaruisse, nec secus internouisse finem, quam qui noctu iter facit, cum procul aliquid eminens aspexerit, oculorū errore deceptus, urbem à mōte non fecernit, quod si nullus est ab his felicitatis certus cōstitutus limes, quodnam religionis genus consequi potuerunt, quæ est ad felicitatem iter? Atque notum quidem est à philosophorum errore ad imperitum uulgus superstitionem colendorum deorum emanasse. Nam quasi ex cœli motu satis numinū explorata

explorata cognitio uideretur, ex eorum natura commēti sunt deos. In quo quis non uidet quā insulsa sit deliratio hominū opinantiū, fingentiumq; deos: nam (ut cetera omittam) quid absurdius esse potest, quā digladiantes inter se deos inducere: quid turpius quā Venerē afferre deam, quæ inclusam, germanissimamq; libidinē cōtineret, ex eaq; Cupidinē matris excitatorem nasci, quo non modo ad adulteria & supra, sed etiam ad puerorū amores inflārentur dii, ne quid esset uetitū mortalibus, quod non appetere uideret diuina natura. Quid item tam flagitiosum quā Bacchū deum opinari, quo deorū insania gigneret, & iucundus furor. Aut quid postremo obscœnius, quā Priapum deum audere cōmentari: In quo quis non uidet quantus sit ortus error hominum, cum sint ad tam nuda flagitia delapsi, aut non intelligit ubi sit ueritatis desperatio, ibi impunē esse licentiam fingendi: Quod si tamē dii fuisse dicant, consentaneum etiam uideri debet, ab his felicitatē hominū fuisse decretam, quando quidē permagni deorum inter sit, hominum generi cōsulere. Atqui cum nulla fuerit ab his humanarū rerum suscepta procuratio, fateri necesse est, nullo modo fuisse deos. Atq; etiam negari nō potest deos optimos esse natura, sed qui crebro flexiloquis cauillis inter homines seditiones intestinaq; bella seruerint, nullo modo natura optimi dicendi sunt, ergo nec etiam dii. Deinceps nihil potest tam abhorrens a deorum natura, quā mendaciū putari, atqui cum sæpe sint oracula mendacia reperta, quorū fallacijs hominū generi sit quæsita perniciēs, per facile iudiciū est, utrum nominandi sint dii. Quod si rursus dii fuisse dicatur, quærēdum quidē est, cur Christi interuentu euauerint, cur eorum sint fana, & oracula euerfa, cur extincta disciplina sacrorū, cur flamines, Sali, Auguresq; sublati, quod quidē quia negari non potest perinde, ut dicimus, contigisse, confitendum est etiam nullo modo fuisse deos. Atq; etiam quid erit de perduellionū nostrorum secessione dicendum: qui quanquā Christum seruatorem colant, eum tamē opinionum prauitate discernunt, faucesq; ab orthodoxeo senatu retorquēt. Quorum quidem peruersitatē maxime indicat tam dissidentiū inter se claudicans opinio, quando quidem omnis ueritas uicissim cum alia quoquo uerisum cōgruat. Sed lethalis ambitio hoc transfugarū genus in tanta dissensionē constituit, ut non modo inter aduersarios, sed etiam ipsæ inter se familiæ concursu collidantur, & quo multorū est ingenium fœcundius, eo inuolutior rem implicationē affert, ut terra quo est natura uberior, eo crebriores sentes profundit. Cum horum prauitate, Maumethis cōiunctus est error, cuius fœra ambitio quanquam diuinitatis laruā induerit, minime tamen ita uecors fuit, quin Christū statuerit deum, nam quasi eum librū qui Alcoranus inscribitur, ex nostro & cōpascuo uatum agro decerpit, neminē absolutum fore censet, nisi qui uatū elogijs, aut Christianorū consignatis decretis obstrictus teneat, eumq; librū utrorunq; sacrorū umbilicum esse cōfirmat. In quo qui



dem resellendo, nō est ut Physiologiæ mucrone utamur, honorificētius em̄ est hæc bractearū genera præterire contēnendo, quā argumētando pererrare. Nos uero multo certius Christū probamus esse deum, idq; cum mirificis argumentorū molibus, tum maxime nostrorū exemplis testibus obstringimus, qui turbinibus & fluctibus non modo nō terrent, sed etiam in ipso eculeo, tanquā in epulari accubatione lætarent, quod sanè minime ex natura propter hormones nexus, intelligentiæq; angustias oriri poterat. Quo constituto intelligi debet, id donū esse dei supra intelligentiæ obtutū situm, quo hominibus nostris, certa cœlestis luminis alacritas, diuorūq; beatitas ob oculos obuersaret; idq; ratione confirmat. Nam cum anima nostra una dicatur quæ uires suas cōnexas continet, simul ac uirium munus unum flagrantius obit, in alterū incumbere nequit. Quemadmodum dum acrius seiunctarum naturarū inspectione occupamur, sensus munia amittimus, ac dum ardentius libidinibus inflamamur, dumq; torminibus & morborū cruciamentis torquemur, intelligentiæ obtuti orbamur. Ex quo facile intellectu est nullo modo per naturā fas esse, ut homines in ipsis trucidationibus tormētisq; carnificum, eam essent perferendi constantia, animæq; læticiam naeti, quam in nostris fuisse scimus, cum nefarius furor à Claudio Nerone manās, supra trecenties centū, in Christianorum necem exarsit. Idq; mirabilius contigit, quod uoluntariorū iugulos præbentium ad carnificinā erat concursus, & quo plures necabant, eo plurimum ignita moriendi auiditas percrebescebat, quod quoniam à natura oriri non poterat, quandoquidē ab interitu & cruciatu natura abhorreat, erit confiteri necesse id à diuinitate manasse. Neq; enim fieri poterat ut in ipsa carnificina, moriendi auiditas percrebesceret, nisi unius spe atq; nomine, corpus ut putamen mēsi, ad æternitatē incolumem animam exiturā præsensissent. Quod si Chaldæorum pugnacissima insulsi-tas, qui tanquam pantheræ aut lupi nunquam condoce fiunt, eam necis auiditatem à Saturni sidere atram bilem gignente manasse confirmet, quæ ita hormones & intelligentiæ aciem perstringat, ut sæpe hominibus dira tetra q; uisa obijciat, necisq; consciscēdæ desideria excitet, ut de Milesijs uirginibus est memoriæ mandatum, complodenda sunt nimirū in hac quæstione crepitacula, sibilisq; explodendi Chaldæi, cum haud meminisse uideantur, trigésimo quoq; anno à Saturno cursum conuersionemq; confici, & bustum Christianorum supra trecenties centum conflagrasse. Nihilōq; secius depellēda est Auicennæ ieiuna calūnia qui ingenij lassitudinē in Maumetheo puluere diluens, id ab imaginatione quā Græci *φαντασία* uocat, manare uoluit, idq; est exemplorum similitudine probare conatus. Siquidem pueris usu uenire dixit, ut cum in uinariā cellam ueniunt, imaginatione defluentis uini ad quadrantal meiant, ex eodemq; genere, trabis similitudinem adiunxit, quam fidenter ab hominibus humi stratam subiri dixit, & quadragenis cubitis sub-

latam,

latam, à nemine decurri, cum opinatione in præceps delabendi imago pingatur, refertq; ualentes multos ægrotasse imaginatione opinati morbi, contraq; multos ægros conualuisse opinione receptæ ualitudinis, eodemq; modo dicit nōnullos ad alieni oris hiatum oscitare, multosq; ientantium exemplo ad edendum inuitari, quibus exemplis cōfirmatum iri putauit, fidem generatim Christianis erogatam in opinione quadam residere, qua Christum opinabilem colamus deum. Qui quidem si perinde lotium in matula internouisset, ut ueri iudicium secreuit, male actum esset cum ægris, siquidē perspicuum esse potest, quæ à natura proficiscuntur, interius rerum medullis inhærere, quam quæ extrinsecus accidunt, ob eamq; causam notum est altius naturæ, quam rerum accidentium perceptionem insidere, cum autem ad sapientē phantasmātū inspectio pertineat, præclare sciri potest, ea phantasmātū genera quæ naturali intelligētiæ perceptioni obsequunt, aptius in opinationem influere, quam quæ rerum accidentium comprehensioni morigerantur. Atqui cum Christi comprehensio, nullo modo sit natura insita perceptio, sed extrinsecus aduentitia dimanet, quando quidem deum hominem ad humani generis luendam noxam in crucē actum dicamus, fateri cogemur uehementiorē esse rerum accidentium opinationē, quam naturæ, genus quandoquidē tot seculis humanū ab hac opinabili credulitate auelli nequierit, quod sanè dici, nullo modo posse, manifestū est. Atq; etiam si id ab acri quadam opinatione ortum diceretur, confitendum quidem esset, id nullo modo tanta temporū longinquitate, tam disparibus naturis potuisse congruere, quare in hoc genere Auicenna tanquā longurium adurendus est, ut erigatur. Sed nimirum is collimandus est scopos, ut homines aut Christum seruatores fateantur deum, aut ascriptitium, & nouum uelint, nam si deum fatentur, ex prælio præsidia deducenda erunt, si autem commentitium stauerint, in eas angustias detrudenda est obtrectatrix inscitia, ut eum aut bardum, & uecordem, aut dolosum & tenebrionem fuisse, confirmare cogantur, siquidem insulsæ stoliditatis arguendum fuisse negari non potest, si dicatur hominem egentem, fabri filium, ad diuinitatis honorem obrepere uoluisse, qui non modo conuulsis dijs leges uetustate robustas abrogaret, sed etiam inusitato religionis nexu orbem obstringeret. At cum tantarum rerum munus, nullo modo deliri aut amētis hominis, negotium uideri possit, fateri necesse est, eum sapientem fuisse, quod si in sapientiæ currum conijcitur, confiteri necesse est etiam, eam sapientiam aut philosophorum scientia partam aut cœlitus haustam fuisse. Atqui cum præclare notum sit, eum nec Platonicū, nec Stoicum, nec Peripateticū quidē fuisse, quo ex eorum manibus alumnū dogma construeret, nec item ei per ætatē tantos progressus facere licuisse intelligatur, necessario sequitur, ab eo sapientiā haustam fuisse cœlitus. Quod si uaserrimum eum ueteratorem fingere libet, qui præstigijs

omne genus hominum in fraudem induxerit, perquirendū quidem est, quo nutu hoc confictum mendacij genus supra quindecies centum adoleuerit, quandoquidem & philosophorum acumen, & bustuariorū principum sicas retulerit, ac Imperium P. R. deorumq; hospitalium sana euerterit, inter tot expulsiones, uexationes, neces. Quod si ætas quæ doli est index, minime eiusmodi mēdacij genus detexit, cur est id Iupiter pater in mūdi uigilia aspernatus: ex quo intelligi maxime potest, aut contra naturam, hoc mendacij phasma uiguisse, hominesq; tot seculis philtris à Christo fuisse pellectos, aut statori deo diem esse dicendā, qui procuratione rerum humanarū neglecta, orientem ignem non oppresserit, nec sit ei generis humani in hac mendacij impunitate pertesum. Cum autem haud consentaneum sit, tanta æui diuturnitate in hominum oculos puluerem à Christo fuisse coniectum, quādoquidem plures hoc interim spatio quam ceteris innumerabilibus seculis sapientes numerentur, qui non modo philosophia ueri iudicium indagare uoluerunt, sed etiā omnibus sophismatis sunt hanc pubescētem & adultā Christianā segetē peruertere conati, cumq; per insulsum sit ab autore deo rerum humanarum patrociniū fuisse desertum, fatendum quidē est seruatorē Christum esse deum. Omittimus hoc loco commētaria sacrorum, & cœlitus rotulentos uates, qui ad dei præscriptum syllabatim Christi fulsiones, & mysticæ cecinerunt. Nec item sunt modo incredibilium miraculorum genera, tanquam Aristæi Proconesij, aut Amaris Hyperborei, uel Clazomenij, uel Cleomenis, fera ostenta recensenda, nec rursus Sybillina sunt elogia adenda, quibus est Christi expressa conditio. Ex quo nihil est etiā cur aliquid de undecem uiris discipulis dicatur, quos uerricularios, & remiges, è plebe secreuerat, qui orbem quasi inter se sortitione partiti, dispares habitu & natura animos hominum, uno religionis genere agglutinarunt, in tanto principum, doctissimorumq; hominū repugnantium, uel teatro, uel luce. Plusq; ualuit in his quæ sunt supra intelligentiæ complexum sita, rudium sponsorum flexanima concionalis uox, quam physica ratio, in his quæ manu contrectantur. Quod ni fuisset cœlitus informata notio, spiritusq; afflator illapsus, nullo modo homines rudes id in hydrargyrio consequi poterāt, quod non est in auro philosophia consecuta. Tu uero Pont. Max. certum hoc religionis genus, quod tibi gentilitium est, sanctissime tueare.

De incarnatione Christi.

Distinctio I.



Venamodum statoris dei absoluta natura diceretur, atq; in creandis rebus admirabile architecti munus splendesceret, satis est supra à nobis expositū. Modo autē uentū est ad eam Theologiæ partē, in qua maxime Christi recētatrix opera elucet, quo quidē loco uehemēter est hereticorū morsibus discerptus deus. Siquidē improbissimus omniū Photinus, Christū merum hominem constituit, eumq; dicit

dicit ob uitę integritatē, necisq; perpeſſionē in diuinitatē eſſe receptum, qui quidem non natura deus, ſed nominatione cooptatus diceret. Neſtorij autē inauſpicata garrulitas eſt, Chriſtum non modo cooptatione, ſed natura eſſe deum, nec tamen ita homini copulatū putat, ut una humanę & diuinę naturę perſona dici poſſit, ſed tanquā dei filij delubrū dicatur, & domus. Hęreticorū autem gurges Arrius, quo eſſet multitudini & plebi uendibilior, dei & hominis unam perſonā, unamq; naturā eſſe ſtatuit. Sed præter cęteros in integra dei opinione, gibber & ſtrabo reperitur Manichęus, nam is naturā humanā Chriſto adimit, totamq; corporeā naturā à fonte dęmone creatā eſſe cęſet, ſed cum perabsurdū uideri poſſet dei filiū, à dęmone corporeā naturā arripere, Chriſtū uoluit non humano corpore cōſtare, ſed imaginatiōe uideri, nullumq; omnino dixit eiſ eſſe corpus, quod tactile, & aſpectabile oculorū obtutu cerneret, quā quidē ſententiā monſtroſiſſima Chriſti ſimia Maumethes maxime pbauit. Valētinus autē quanquā Chriſtū humano corpore cōſtare arbitret, negat tamē purū ex uirgine arripuiſſe corpus, ſed idipſum de cęlo delapſum opinat, quod per uirginē, tanquā latex per fiſtulā trāſſiret, haud inde quippiā arripiens. Cęterorū uero inſulſitatē libēter hoc loco omittimus, cū per facile iudiciū ſit, tacituros olim eos fuiſſe, ſi ſuſpicari potuiſſent Pariſiū futurā Athenas Chriſtianorū, in qua urbe non modo eorū argumenta adipe ſuillo craſſiora putarent, ſed ipſe etiam quandoq; Ariſtoteles in imis diſputationū gurgitibus uexaretur ut hebes. Quare quoniam ueritatis incorrupta integritas, Chriſtū humano corpore, ac anima rationis cōpote, præditum eſſe ſtatuit, hiſq; ſimul diuinitatē abſolutam adiunxit, perquirendi ſunt qui caliginē ſoli offundere conarētur. Nam multis qui tanquā quidā corporum morbi non poſſunt niſi uſtione ſanari, parum cōſentaneū uiſum eſt dominatorē rerum deum, carnis amictu ueſtiri, cum quod excellit in magnis, perabsurdum ſit puſillis contineri, cum autem habeat rerum uniuerſarum curationem deus, negabant eum cutis humanę operculo contineri debere, in tantillumq; corpusculum procurationem rerum includi. Quibus acerrime eſt ab Auguſtino reſpōſum, negat enim ita cuti humanę ſuffuſum fuiſſe deum, ut ab eo rerum uniuerſarū procuratio deſereretur, imbecillorū enim hominū ſenſum eſſe opinat, qui nihil niſi ualentū pugilū athletarumq; corpora expēdunt, itaq; deum dicit non tanquā coloſſum mole, ſed ui & uirtute eſſe magnū, eiſq; magnitudinem in exiguum etiam contractam, anguſtijs non urgeri. Quidam etiam quali in eaſdem hęreſeos pedicę incidiffent, minus neceſſe fuiſſe putauerunt, ut ad laxandos homines carnis integumento obduceretur deus, nam cum peccati tabē culpa cōtractam affirmarent, negabant ad eam eluendam quicquā aliud quam hominis expiationē oportere requiri. In quo non uident meri hominis expiatione peccatum elui non poſſe, cum ita eſſet humanum inquinatū genus, ut nec unius,

nec mul

nec multorum quidem bonis, ad complexum generis totius, iactura æquali posset, nec sentiunt id delictum ex interminata dei magnitudine, immensitatem nancisci, cum eo sit grauior iniuria, quo cui infertur præstantior existit. Ex quo fatendum est, necesse fuisse ut ad id eluendum crimen, actus expiantis uel esset interminata præditus, qui quidem dei & hominis copulatio diceretur. Contra autem nonnulli affirmant interfuisse dei cutis humanæ operimento tegi, etiam si non esset ab homine eius mali facinus patratum, nam cum dei præsignationem æternam esse dicant, concedi uolunt, ante noxam deum hominem futurum, quo dei præstitutio ad definitum perueniret. Pugnacissimus autem omnium Scotus probare conatur, animæ Christi præsignationem non ob id tantum esse constitutam, ut compedibus, & uinculis laxarentur homines, nam cum liberandarum animarum gloriam, animæ Christi gloria minorem opinetur, negat uerisimile uideri, ita summum, excellentisq; bonum pusillioris boni gratia esse constitutum, quæadmodum uerisimile non uideri, prius hominem, quam Christum esse præstitutum, nam si deus inquit, prius hominem, quam Christum præsignasset, prius hominem casurum præsensisset, quam seruatore Christum præsignasset, si ea præsignatio liberandarum tantum animarum causa esset constituta, quod si ita diceret, nihil affirmat dici posse hebetius, quod quidem argumentum tanquam funis nexum à capite dissoluere conatur non continendus Theologus Capreolus. Veritatis autem sine fuce salubritas est, hominum generi sospitatore Christum, tanquam uulneri medicamentum esse adhibitum, negaturq; à nobis ante pollutam naturam deum fuisse hominem futurum. Ab his autem sanorum hominum quaestio defluxit, num fieri posset, ut eiusdem humanitatis amictu trina diuina persona uestiretur. Locuples in primis autor Anselmus negat fieri posse, ut trina persona eundem hominem asciscat. Durandus autem incensus & acer Theologus intellexisse Anselmum uoluit, à trina persona non eundem hominem posse sumi, ita ut uni personæ copuletur, cum fieri posse neget, ut trina persona in eodem homine una persona dicatur. At Guillelmus Ochandiscinctus, & tunicatus cum thorocato Scoto congregitur, eandem enim naturam trinæ personæ agglutinari posse putat. Scoto autem minime placet eandem naturam à trina persona ascisci posse, ita ut primus glutini terminus persona dicatur. Sed accessit Theologorum parcissimus diuus Thomas, qui non negat fieri posse ut à trina persona sumatur una natura, sed fieri posse negat, ut una & eadem hypostasis humana, asciscatur à tribus. Nihilominus secius inquiritur, num in Christo animæ & corporis copulatio extiterit. In quo consentiens Theologorum grex Christum hominum generi uniuocum esse probat, ad speciemque ait humanam pertinere, ut anima corpori annectatur. Eodemque modo contentio exoritur, an uerbo natura humana ex accidenti copulata fuerit, in quo sunt à nostris Eutichetis, Dioscori

Dioscori, Theodori, & Nestorij ingenia superba fracta, quanquam eorum sententiæ non sint ita penitus euulsæ, quin eorum multi sint interpolatores inuenti. Nam autore sententiarum principe duplex est recentium hominum repertum genus, qui cum maxime ab hæresi abesse uoluissent, flexu in eandem hæreseos noctem remigrarunt, nam primum genus eorum esse dicit, qui cum unam seruatoris Christi personam concessissent, duas tamen hypostasises esse uolebāt, alterum esse eorum, à quibus cum personæ copulatio seruaretur, animam tamen corpori annexam esse negabatur, sed uicissim hæc inter se duo seiuncta, uerbo ex accidenti agglutinata esse censebant. Quorum utrumque male sanum genus in cænosam Nestorij latrinam incidisse dicit, negatque soliditatis, & synceritatis esse Christianæ, ex accidenti copulationem ponere. Ab his etiam dissidentium hominum pertinax certatio dimanat, num deus qualemcunque naturam sibi possit asciscere. Picus enim noster Mirandula, in ipso adolescentiæ flore flagrans, & uibrans fulmina, cum feruidius Theologiam esset complexus, argutiarum (ut opinor) exercitatione, negauit se eorum sententiæ assentiri, qui dicerent deum qualemcunque sibi posse naturam asciscere, contra quem quasi suspitiosius locutum, Garsie Pont. est pusillus, non rebus exilis libellus, quāquam magnus homo Picus, quicquid fellis argutiarum gratia gustarat, referuefacto auuditatis ardore tanquam boletum medicatum expuuit. Sed huius quæstionis augendæ princeps fuit Godofredus, maximèque sufflator Henricus Gandensis turgidorum hominum folles inflarat, à quo & si minime omnipotens præfinitur deus, nodus tamen in asciscibili natura perquiritur. In qua sanè sententiā quanquam cruretenus hæreseos salum ingrediatur, minime tamen ut Priamus suis superstes extitit. Maturius autem & uerius Durandus probat, ubi sit æqua agentis potentia, & æqua potentia obsequij naturæ patibilis, inde continuo posse simillimum effectum sequi, cum autem dei potentia haud secus in silicem, ac in humanam naturam, uim, & dominatum habeat, facile intellectu esse ait, si sibi naturam humanam asciiuit, ut silicis etiam naturam possit arripere, quod idem Scotus & Ioannes Neapolitanus, & Petrus Paludensis probant, maximèque unus inter multos Bernardus Gannacus, Godofredum, & Henricum insequitur. At egregie uersutus scriptor Ochan, idem hoc modo concludit, deus aliquam sibi naturam asciiuit, qualemcunque igitur potest naturam arripere, cum maior ratio non sit, si unam arripuerit, quin possit plures asciscere. Cū autem omnes asciscibiles sint, fatendum est, ab eo qualemcunque posse naturam sumi, diuus autem Thomas Lunèsi marmore cædidior, deum censet mera & libera potestate quamlibet naturam rationis expertem arripere posse, sed rato potentia ordine, negat ab eo ullam præter rationis cōpotem naturam posse ascisci, quā quidē sententiā integriores imis auribus excipiunt. Sed nascit de ipsis membrorum partibus certamē, in quo maxime prestigiator

prestigiator Manichæus exploditur, qui negauit ullum omnino dei esse corpus, quod aspectabile oculorum sensu cerneretur. Nam si deus humanam naturam arripuit, consantaneum uideri dicimus, ut merum etiam humanum corpus asciuerit, atque etiã negatur à nobis eius cœlestis fuisse corpus, ut Valentinus uideri uolebat, nam cum forma hominis (ut ait Aristoteles) res quædam naturalis dicatur, quæ circumscripam materiam, id est, cutem & ossa requirit, nullo modo fieri posse uolumus, quin ea debeat in hominis definitione poni. Præterea si eum cœlesti corpore constare diceremus, fateri cogeremur, nec esurisse eum unquam nec sitisse, nec moriturum quidem fuisse, cum cœlum eodem Aristotele autore, nec patibilem naturam habeat, nec tabescibile dicatur. Post etiam non multo secus indagamus, num animam quoque asciuerit. Apollinaris & Arrius maximi hereticorum calcitriones, à dei filio uolunt sine anima ascitam esse carnem. In quo non uident se deo unam non binam naturam dare, quod quidem fieri nullo modo potest, cum satis exploratum sit, & iratum quandoque, & miratum esse eum, & dolore affectum, ex quo præclare sciri potest, anima eum omnino præditum fuisse, quod ni ita esset, nec caro quidem ab eo esset ascita, quandoquidē caro membraque hominis speciem ab anima suscipiant. Eodemque modo dicimus ab eo intelligentiam & mentem esse ascitam.

*De Perfectione Christi.*

*Distinctio II.*

**S**ed nunc de his quæ dei filius ex humana natura asciuit, dicendum erit. In quo quidem rectissime probamus eius animæ habitu præditam fuisse gratiam, idque ex animæ & uerbi consociata natura natum. Nam quo magis est res susceprix influenti causæ finitima, eo fusionis & afflatus illius uberius est particeps, cum autem gratiæ fusio ex diuinitate dimanet, consentaneum uideri dicimus, ex diuinitate illi animæ insitam esse gratiam. Sed exoritur hoc loco controuersia, num liberatoris Christi gratia actu interminata dicatur. Aureolus enim quem in summis Theologis habitum uidemus, dum huius questionis inum querit, negat eam gratiam interminatam esse actu, nam cum gratia crescere ei debere uideatur, obtinere se putat, ut si gratia in eo fuisse dicatur, eam posse, & debere cum accessione crescere, quod si quippiam accedere posse concedatur, fateri necesse esse dicit, ut quod crescere possit, id interminatum non debere putari, per absurdumque esse modo summam in sospitatore Christo gratiam dicere, modo gratiam cum accessione crescere posse confirmare. Cuius quidem sententiæ rimas explet Durandus, siquidem ab eo argumenti fibula nequitur, ut quod sit circumscripse capax, id minime esse capax absolutionis infinite, cum autem eius anima humanitus sit, & circumscripse capax, negat fieri ullo modo posse, ut eius gratia sit absolutione interminata prædita. In quod genus argumenti ingeniosissimi opinatores, Adā, Gerardus, Oddo, et Guillelmus Ochan, aulga &

aulæ & peripetasmata inducunt. Gregorius autem Ariminensis tanquam  
 finitor, & agri mensor à deo posse affirmat gratiæ formam interminatam  
 educi. At nos ex sententiarum aurifodina eruimus, quocunq; circumscripto  
 aliquid ingētius deum posse moliri, sed cum liberatori Christo nulla posset  
 à deo ingētior gratia præberi, perspicuum esse dicimus, ut eius gratia inter-  
 minata dicatur. Nec autem hoc ob id affirmamus, ut deum in augenda gra-  
 tia præfiniamus, sed ut ostendatur animam Christi accessionis susceptricem  
 esse non posse. Post etiam quæstio de scientia colligitur. In quo quæri solet  
 num Christo alia præter diuinam, an feliciū cœlicolarum, siue afflatu insu-  
 ta scientia cōtigerit. Vgo enim syncerus, & grandis Theologus dum inquit  
 rit, unde omnium scientiam Christus arripuit, nullam præter diuinam scien-  
 tiam concedit. Principi autem sententiarum placet Christum perinde ead-  
 dem, ut uerbum nouisse sed cum uerbo cuncta infinita cognita dicantur, nec  
 cessario sequi, ut Christo sint cuncta interminata nota. Sed diuus Thomas,  
 Apollinaris, & Eunomij fumo acribus sententijs explosis, nubeculam à sole  
 dispellit, nam cum Christum deum pariter & hominē statuendum esse cen-  
 seat, primum ei præbendum opinatur quicquid naturæ diuinæ intersit, tum  
 seorsum dandum quicquid hominis speciem constituit. Atq; ut non modo  
 homo, sed etiam humanitas absolutus putetur, in eo statuendum arbitratur  
 quicquid humanæ absolutionis intersit, quemadmodum scientiarum & uiri-  
 tutum habitus dicuntur. Vt enim diuinitas corporis actus esse non potest,  
 qua corpus præditum forma uiuat, aut fiat natura rationis compos, ita ani-  
 mæ rationis participis actus esse non potest, qua cum forma sit scientiæ uirtu-  
 tisq; compos, quemadmodum habitu homines uirtutum compotes dicuntur,  
 ex quo confirmari uult eam creatam esse scientiam, cum quo Adam, &  
 Ioannes ripa non complexu nec lacertorum nisu, sed pedum interposito lu-  
 ctantur. Iaculatoris autem Scoti cuspis est nullam in Christo natura partam  
 præter insitam afflatu scientiam fuisse. At Durandus quasi in ipso aditu mu-  
 scipulam locarit, probabile uideri dicit eiusdem esse speciei partam & insitā  
 scientiam. Si autem recte sentire uoluerimus, quicquid sit à deo hominum  
 naturæ insertum, idem Christi naturæ insitum fuisse dicemus, at cum perspi-  
 cuum sit, non modo intelligentiam possibilem (teramus enim hoc inusitatū  
 uerbum utendo) sed etiam agentem intelligentiam tributam, fatendum erit  
 idem utrunq; in liberatore Christo fuisse. Sed quemadmodum Aristotele au-  
 tore nihil deum frustra agere probatur, ita quippiam in Christo frustra fuis-  
 se negemus, id enim frustra dici uolumus, quod nullum proprium munus  
 nanciscatur, proprium autem munus intelligentiæ agentis est, species actu  
 cognobiles educere, easq; à phantasmate seu ocare. Ex quo cōcludimus spe-  
 cies in Christo fuisse cognobiles intelligentiæ agentis actione à possibili intel-  
 ligētia susceptas, quod quidē sit, partam in eo esse scientiā, interminatarum  
 F autem



autem rerum scientiam afflatu illi insitam dicemus. Sed cum multi interius ingrediantur, ne longior fiat progressio, non est modo Theologorum deducenda opinio, siquidem in differendo ambidexter Scotus præclare probare conatur, eadem omnia à Christo pernosci, quæ à uerbo pernoscantur. Durando autem uidetur quicquid perspicui possit, à Christo in diuinitate cerni. Aureolus uero quasi interdum lucernam adhibere uelit, nec à Christo, nec ab intelligentia cuiusque intuendo uerbo, rerum creatarum naturam perspicui posse, opinatur, ita ut sub uisum, & sub aspectum cadat. Quorum quidem omnium, una est contra diuum Thomam conspirans dimicatio, quanquam stat grauis Entellus, qui nullius quassu aut impulsione, uestigio conuelli potest, itaque ad hæc de Christo potestate disceptationem adiungemus. Ratio enim Durando exoritur, qua se probare putat nullam Christi anime supra naturam insitam potentiam commutandorum corporum in aliam effigiem. In qua sanè sententia diuus Thomas adolescens aliquandiu sessitauit, cum ratio esset eiusmodi, ut probari uideretur ut uera, post autem canescens ab ea est dextrorsum in latiore uiam deductus, nam cum potentiam commutandarum rerum bipartitam esse censeret, earum unam ex rerum commutatione ducit, quam tripartito distributam dicit, quarum una naturalis sit, quæ ab agente proprio, rato ordine nature fiat, altera que miraculo constans ab agente supra progredientem naturam gignatur, tertia ob eam causam dicatur, quatenus natura rerum creatarum interire possit in nihilum. Secundam uero distributionem ex Christi anima ducit, eamque bipartito metitur, uno modo, uirtutis & nature ratione, altero quatenus uerbi personæ iugati instrumentum dicatur. Si enim animam uirtutis & nature ratione metitur inesse illi potentiam dicit eorum effectuum faciendorum, qui anime nature congruerent. Si autem animam ut uerbi instrumentum expendit, naturam uult eum esse instrumentum uim omnium commutandarum rerum ad finem statutam humani amictus inducti, qui quidem finis tam cælestium sit, quam terrenarum rerum recentator. Sed commutationem creatarum rerum quatenus scilicet interire possit in nihilum, creationi rerum respondere affirmat, quatenus scilicet editæ ex nihilo probantur. Itaque quemadmodum dei tantum creare interfit, ita fatendum esse dicit, ab eo tantum res creatas interiri, & dissolui posse in nihilum, quemadmodum ab eo etiam solo, easdem in natura regi, ne in nihilum reuocentur. Ex quo præclare sciri posse ait, minime Christum cunctam naturam esse potentiam omnium commutandarum rerum, qua quidem sententia nihil dici potest salubrius. Simillima est etiam de infirmitatum natura contentio, nonnullis enim minime æquum uisum est à dei filio in amictu humano corporis ægrotationes esse susceptas, nam quemadmodum eius animam uerbo coniugatam dicunt, ita & corpus copulatum uideri, atqui cum eius anima nihil affirmant fieri posse absolutius, perspicuum esse uolunt, corpus etiam ex perfecta absolutaque natura effici debere. Quibus dicendum

dicendum est, consentaneum uideri ascitum corpus, ægritudini naturæ humanæ esse subiectum, quandoquidem dei filius nullam sit ob aliam causam in terram delapsus, nisi ut hominum facinus expiaret, nam æstum, sitim, famem, uitæ occasum & quæ eiusmodi generis sunt eius delicti multam esse dicimus, quod sit à primigeno homine inuectum. Ex quo consentaneum fuisse censemus, ut has multas uice generis humani in hominum natura ascisceret, nam cum nulla alia re magis quam ægrotatione sit homini humana nota natura, si sine infirmitate ab eo esset ascita natura, facile res in contentionem uenire poterat, minime eum hominē merum fuisse, quod esset in Manichæi tenebras, & præstigias incurrere. Huic de ægrotatione animæ controuersia annectitur, quo loco peccatum ex liberatoris Christi natura eijcitur, quandoquidem expiatio impediri scelere dicatur. Vnde multorum est orta opinio negatium Christi animam patibilis fuisse naturæ, à quibus hoc modo concluditur, nihil nisi à præstantiori patiendi & ferendi necessitatem accipit, atqui nihil fuit seruatoris Christi anima præstantius, Christi igitur anima à nemine ferendi necessitatem accepit, ita nec patibilis quidem fuit. Quibus responderi solet, eum animæ affectionibus, quas Græci *πάθη* uocant, diuinitatis nutu repugnare potuisse, sed uoluntate ægrotationibus fuisse subiectum. Ex quibus assumitur in eo cæteras quoque hormes infirmitates extitisse, sed non perinde in eo hæc genera, ut in uniuerso hominum genere insedisse, quandoquidem homines ad obiectas species incitati rapiantur, quibus ipse minime illectus raperetur, tum quod in hominum genere turbidæ & tabificæ animæ affectiones rationis iudicia præcurrunt, quæ nullo modo essent à certa ratione auersæ, tum etiam quoniam sepe hi motus rationi uim afferunt, qui ab eo cohiberentur, cum motus corpori natura congruentes ita habitu quodam suo in hormone interquiescerent, ut ab his ratio perturbari ullo modo posset.

De adoratione Christi.

Distinctio III.

**A** Tq̄ iam de Christi cultu differendum arbitror, inquirendumq̄ primo, an Christus sit à nobis latria colendus. Nonnulli enim fas esse negant, ut cuiuspiam quod genitum dicatur, latriæ habeatur honos, at cum Christi humanitatem genitam esse confirmant, bene sciri posse opinantur nullo modo esse ei latriæ decernendum cultum, atq̄ etiam quidā quasi sibi solum non uereantur, hoc argumenti genus inducunt. Latriæ cultus ob principis dei agnitionē statuitur, at cum Christus sospitator quatenus chlamyde humana amictus dicatur, sit omnino parente minor, igitur nec eius est humanitati latriæ habendus honos. Quorum utrum uis concedi nullo modo potest, nam haud latriam humanitati, ob rationem sui, sed ob diuinitatis rationem statui debere dicimus, qua sit filius parente nullo modo minor. Scotus autem Christum ob humanitatis rationem latria colendum putat, eamq̄

tat, eamq; eiusmodi latrię rationem esse arbitratur. Divus uero Thomas hu-  
 manitatis cultum bipertito intelligi posse censet, nam uno modo, ut sit eius  
 tanquã rei cultę intelligi opinatur, quo genere si Christi caro colatur, nihil  
 aliud esse confirmat, quam uerbum humano amictu obductum uenerari,  
 quemadmodum trabeam regis colere, nihil aliud prorsus sit, quam regem  
 trabeatum colere, quo quidem genere humanitatis cultū latriam esse pro-  
 bat. At alio genere humanitatis cultum intelligi, qui ob humanitatē omni-  
 gratiarum genere cumulata statuatur, atq; ob eam causam humanitatis  
 cultum, non latriam, sed dulia esse dicendum, ita scilicet, ut una eadem ser-  
 uatoris Christi persona ob diuinitatem latria, & ob humanitatis expletam  
 absolutionem dulia colatur, idq; minime absurdum uideri, quandoquidem  
 parenti deo ob diuinitatem latria, & ob imperium dulia debeatur, quod qui-  
 dem totum libenter utrique remitto, ne uidear hoc loco arbiter inter atria-  
 tam, & cęsiam disciplinam datus. Sed huius disputationis est, scire an Chri-  
 sti simulacrum sit latria colendum. Henrico enim docto, & acuto homini  
 placet, nullum simulacrum latria debere coli, propterea quod autore Dar-  
 masceno Deus nullo possit simulacro effingi. Durandus uero, quasi nihilo  
 sibi minus licere arbitretur, quam Henrico licitum sit, nullam imaginem la-  
 tria colendam putat. Quam quidem sententiam maxime tueri conatur do-  
 ctissimus Itatorum Picus. At ex atratorum disciplina minutius & præsius  
 Holcot deo latriam honorem statutum esse censet, atqui cum nullum simu-  
 lacrum deum esse opinetur, intelligi fas esse dicit, nulli simulacro hoc hono-  
 ris genus debere decerni. Quod si ita est, absurdum esse putat fateri, latriam  
 deo soli honorem esse decretum, & eandem tamen seruatoris Christi simu-  
 lacro deberi, idq; etiam contortius astringit. Si idem inquit, honos Chri-  
 sto ac simulacro debetur, igitur idem lapidi, ac Christo debetur honos, ob  
 eamq; rem idem deo honos ac rei genitę debetur, quod dici nullo modo  
 debere opinatur. Nos uero ut quicq; quorsum pertineat uideamus, Henri-  
 co respondendum arbitramur, Christi simulacrum, quatenus diuinitatem  
 humano amictu uestitam referat, latria debere coli, atq; illud etiam adiungi-  
 mus perspicuum esse, deo ueram latriam deberi, cumq; deum cutis humane  
 integumento obductum esse intelligamus, quandoquidem haud mens in  
 imaginem, ut res est, irrepit, sed ut deum chlamyde humana indutum refer-  
 rat, fateri cogimur simulacrum dei cuti humane copulati, latria esse colen-  
 dum. Nec autem dei non iugati aliquod simulacrum esse uolumus, quod  
 deum cumulate, sed tantum ut effectus causam referre dicatur. Nihilōq; se-  
 cius esset tota illa Durandea conuellenda ratio, nec minus item posset con-  
 tra Holcot sonantia argumenta dici, nisi alias esset à nobis de hoc quæstio-  
 nis genere differendum latius. Quare multo salubrius dicemus, Christi si-  
 mulacro quatenus lapideum, siue ligneum, siue pictum sit, nullum omnino  
 cultus

cultus genus haberi debere, quandoquidem nulli honos, nisi naturæ rationis compoti debeat. Ex quo perspicuum esse potest honorem Christi simulacro decerni, quatenus imago tantum dicatur, atque ita sequi idem æque honoris genus simulacro, ac seruatori Christo deberi, cum autem liberator Christus latria colatur, per facile iudicium est, eius quoque simulacrum latria debere coli. Sed nec exilis contentio nascitur, an sospitatoris Christi cruci latriæ sit habendus honos. Durandus enim contra aquando, captiosam argumenti plagam tendit, id inquit quod nullo modo sit hypothesis uirtutis susceptrix, id nec etiam per se cultus, aut honoris limes esse potest, atqui cum crux nullo modo sit hypothesis uirtutis susceptrix, igitur nec per se cultus, aut honoris limes esse potest. Nos uero simulacrorum cultum inductum esse uolumus, cum ad incolumitatis nostræ memoriam excitandam, tum ad hebetiorum hominum ingenia admonenda, quandoquidem uehementius in mentes hominum influat aspectus, quam auditio. Idque genus cultus à Christo inductum putatur, quem Abagaro regi effigiem suam in linteo pictam, non ignobilis autor Eusebius misisse scribit. Quod quidem genus cultus, postea est senatusconsulto confirmatum, promulgatumque, ut diuorum imagines pingerentur in delubris, ex quo facile intelligi potest, diuorum esse simulacra colenda. Quod si hæc imagines colendæ dicuntur, nemini dubium esse potest, quin sospitatoris Christi crux, augustius, sanctiusque coli debeat.

## De conceptione uirginis. Distinctio IIII.

**V**erum utrum dea mater originis sit polluta tabe, contentio acerrima exoritur. Nam diuus Thomas quasi nihil sit, de quo minus dubitari possit, eam originis nexu obstrictam fuisse censet. Cui mirifice fauet tota illa atratorum Theologorum manus, maximèque ex eorum sodalitiis Guillelmus Gannacus hanc causam tueri uoluit. Sed nobis pueris, præter cæteros flagrantius, homo doctus Vincentius Insuper, Aquinatem patrocinium suscepit, in eaque causa est ducentenis sexagenis testibus usus. Contra quos maxime concurrunt armata cæsiorem phalanx, quorum è numero Argus Theologorum Scotus, uehementer huius sententiæ satorem urgere conatur, siquidem quasi resistendi orbita reperta, absolutissimus inquit intermedius, eius causa ob quem gratiam conciliat, absolutissimum conciliandi actum nanciscitur, atqui cum Christus absolutissimus intermedius dicatur, erit confiteri necesse, eum illius causa cuius pacificator sit, absolutissimum conciliandi actum nancisci, sed cum nullius causa præstantiorem actum, quam deæ matris causa, consecutus dicatur, igitur deæ matris causa absolutissimum est actum adeptus. Atqui cum id nullo modo futurum fuisse putandum sit, nisi uim esset ad eam ab originis tabe liberandam

nactus, igitur nec esse ei ulla originis iniusta nota, idque etiam (ut sæpe solet) arctius uario argumentorum genere astringit. Contra quem pugnans Gregorius Ariminensis, haud quaquam maiorem perspicuitatem eius assumpto inesse putat, quam si dicatur absolutissimum intermedium, cuiuscunque causa cui gratiam conciliat, absolutissimum conciliandi actum nancisci, quo quidem differendi genere probari posse censet, cæteris quoque Christum originis uincula demisse, quod dici nullo modo posse arbitratur. At Aureolus cui quanquam sint Scotea argumenta magni, aliam tamen rationem ineundam putat, qua se tueri credit causam cæliorum posse. Nam quodcunque consentaneum fuit, aut quodcunque fieri potuisse dicitur, id totum deæ matri datum opinatur, sed cum fieri posse censeat, ut illi à deo eius mali ægritudo depelleretur, quandoquidem maiorem uim deus in liberando, quam caro in inquinando nanciscatur, facile esse in promptu, à deo iniquationem & talem potuisse præcurri, idque consentaneum esse, cum maxime conuenire dicat, deam matrem nitidam, tabisq; experte fuisse censere. Idque etiam multo esse ante à diuo Augustino præcautum, qui deæ matris corpus ob eam causam cinesactum esse neget, quod minime id cinesieri decuisse opinetur. Quod si inquit consentaneum non fuit id corpus ullo modo cinesieri, nec etiam cōsentaneum uideri debet, eam infidenti originis malo fuisse uexatam, cum ueri simillimum sit, maluisse eam eadem originis tabe non uexari, quã eius non esse cinesactam cutem. Atque etiam ex eadem disciplina multi quasi pluris neminem quam diuum Augustinum faciant, eum dixisse confirmat, cum de criminum genere differitur, honoris causa nolle deam matrem, in illiusmodi disceptationem uocare. Rursumque hoc nonnulli ex eorum genere afferunt, cum absoluta expletione gratiæ, nulla ægritudo miscetur, at cum dea mater omnibus muneribus donisq; gratiæ referta dicatur, nulla igitur in eam ægritudo cadit. Deinceps quoque tantundem addunt, nam cum parentem deam ab ignoscibili scelere liberatam uelint, quod minus omnino malum sit, sequi putant, ut ab eadem etiam sit originis ægritudine liberata, quod maius sit omnino malum censendum, idque etiam ab his dimidio angustius contrahitur. Deus inquit matri originis uincula adimere potuit, igitur omnino ademit. Totidemque uerbis inflectunt, si cōsentaneum fuit parentem deam liberari, consentaneum etiam uideri, eam fuisse liberatam. Eorundemque Scoteorum itinerum ratio est, quodcunque cœlitum generi tributum dicatur, id deæ matri negari non debere, sed cum cœlitum genus expers originis mali sit, per absurdum omnino uideri, nisi deam quoque matrem, eius mali expertem dicamus. Eodemque modo, nihil quod Christum nominatim lædat, aut ignominia caliginem offundat, ei dandum esse opinantur, atqui si dea mater aliquo morbi genere contabuisse dicatur, fatendum esse id Christo ignominia nebulam offundere, quod dici nullo modo fas esse cōfirmat.

Atq;

Atque quasi nunquam sibi sint argumēta defutura, ex tota Theologica gaza certam rationum suppellectilem conficiunt, qua credunt uel excludere repugnantes, uel se tueri posse laceffitos. Sed tota illa alumna Aquinatea natio, quæ ubiuis esse quam in hac cæsiōrum sententia mauult, horum argumenta pumice aridiora censet. Itaque placet illis Christum esse solum, in quē eiusmodi mali non sit inuecta lues, idque hoc modo cōnectunt. Omne genus hominum quod sit à liberatore Christo restitutum, necesse est aliquo criminum contabuisse morbo, dea autem mater est à Christo restituta, igitur aliquo scelerum genere contabuit. Ac omne genus hominum quod sit ex concubitu salaciq; libidine genitum, originis iustitia uacauit, quæ illi decernenda erat, ni fuisset à primigeno homine id facinus patratum, dea autem mater ex concubitu est, ueneriaq; libidine genita, igitur omnino est ei istiusmodi fata labes. Præterea omne genus hominum pro quo liberator Christus necelitatuit, in aliquod continuo est genus morbi delapsum, at Christus pro parente dea litauit, continuo igitur est ab ea aliquod mali haustum genus. Cum autem palam negetur aliquod actu scelus ab ea esse contractum, necesse est hunc gētilitium in ea insedisse morbum. Postremo cum consecratione eius dilutam tabem, tum id malū à primigeni hominis seminario generatim in cunctos profluxisse uolunt, negantq; deam matrem ante liberatoris Christi expiationem emigraturam fuisse in cœlum, ac in eiusmodi causæ patrociniū, non modo mirandum diuorum cœtum, sed etiam ex ipsa cæssa disciplina testes arcessunt. Nos uero in tantula causa, ne quid nobis negotij inficiando, aut probando cōtrahatur, rem integram ad expendentium iudicia referri uolumus.

De passione Christi. Distinctio V.

**S**ed quoniam de absoluteione satis est supra explicatū, æquum quidem est, ut de ijs quæ ad Christi ex orbe terrarum demigrationem pertinent, disseratur. Quo sanè loco in contētionem uenitur, num necesse fuerit Christum uniuersi generis humani nomine litasse. Quorundam enim qui ex hæreticorum armamentario tela depromūt, opinio est, genus humanū nisi à deo uinculis laxari nequiuisset, nam cum deum nulla necessitate præfiniri uelint, quandoquidem deus omnipotens dicatur, sequi affirmant minime necesse fuisse à Christo esse litatum. Sed Aquinatum soboles & robur, Aristotelem principem philosophorum sequens, necessarium uarie definit, nam id uno genere metitur, quod naturæ suæ modo secus esse non potest, ex quo intelligi debere, haud necesse fuisse, dei aut hominis natura à Christo haustas esse ærumnas. Altera uero quippiam necessarium ex aduentitio dici posse uolunt, quod quidē si causa efficiens, aut agitatrix sit, cogēdi necessitatem afferre, quemadmodū si quispiā alterius manus iniectu ingredi nequirit. Si autem aduentitium id quod necessitatem affert, finis dicatur, fatendū esse confirmant, quippiam præstitutione finis necessarium dici, ex quo con-

cludi Christum ærumnas finis necessitate pertulisse, quam ob rem cum his Scoteorum legiones aduersæ concurrunt, quibus nullo modo Christi expiationem interminatâ esse placet. Ad quorum rationes tanquã ad crepidines & cautes adhærescit Durandus, probare se sperâs, nec quenquã hominem, nec Christum quidem, quatenus scilicet homo fuisse dicatur, uniuersi generis humani nomine, deo facere potuisse satis, per solutionem æqualitate metiens magnitudinis culpæ contractæ. In quo Aquinates armis instructi adfunt, qui à Christo actione interius, per passionemq; aduentitia, uniuersum humanū genus expiatum uolunt, factumq; deo satis. Qui autem in Theologia tanquã per sentes suspensio pede incedunt, affirmant Christū dum latus, uita tamq; corpoream deo parenti uouit, nō modo pro hominū noxa, æs alienū persolueret, sed etiam beneficia homini præstita æquare potuisse, quæ ratio multos impulit, ut nullo alio modo quã Christi litatu, genus humanū uinculis laxari potuisse opinarentur. Et contra nonnullis atriensibus Theologis alio genere æquius, quã Christi expiatione liberari potuisse uisum est. Quorum lippitudini collyria adhibemus, affirmantes quodlibet genus eo congruentius ad finem persequendū uideri, quo plura ex eo ad finem tēpestiua oriuntur, atqui cum multa ex Christi litatu ad hominis incolumitatē, citra noxæ expiationem nascantur, fateri necesse esse dicimus, id maxime congruens fuisse liberandi genus. In quo sunt à multis quæ sita interposita, quibus parū decorum id genus necis uideretur, eamq; sententiam Damasceno uade obstringunt, qui Christum neget abiectissimas ærumnas exanclaturum fuisse, sed cum lex Christi ignominiosissima fuisse uideatur, haud sanè consentaneum esse, ei id genus necis fuisse illatum, quorum tanquam ephēborū gymnica excursio, ab equitatu nostro coercetur. Siquidem eas abiectas ærumnas à Christo recusatas dicimus, quæ ad gratiæ aut doctrinæ defectionem pertinerent, non autem illis eum obstetisse, quæ ad iniuriam ab altero illatam pertinerent, quo constituto omnis aculeatorum sophismatum acies retunditur. Sed multi tamen quasi conclusionum oppugnandarum periti, Christum dicunt omnes fuisse ærumnas tolerando perpessum, idquæ sanctissimi hominis Hylarij syngrapha confirmant, qui omnes humanas ærumnas à Christo haustas fuisse scribat, cum nouissima uerba fatus, demissa ceruice animam efflauit. Quo quidē loco diuus Thomas, qui, quasi portitor, omnium sinus, & manticas scrutatur, ne quid occulatur quod ad Christianū uectigal pertineat, cum humanas ærumnas speciei modo metitur, negat necesse fuisse, omnia ab eo cruciamentorū genera esse suscepta, cum plerq; inter se ærumnarum species dissideant, cum autem eas genere expendit, eum affirmat omnia humana tormenta perpessum. Cui quidē sententiæ assentitur orthodoxeorum senatus concors nam Christum & decuriatim, & plebiscito & edictis magistratum, quasi perdullionem male mulctatum scimus,

& cum

& tum à uiris, foeminisq; omni probrorum genere contumeliosissime uexatum, tum ab interioribus proditum, & desertum, & rursum euellatum, & diuaticatum ad tunicam interulam, eiusq; fractas, transfixasq; ceruices, & cõspuata ora, uirgis deniq; infontẽ cæsum populo cachinnate teste. Itaq; ob id perquiritur, quales sint effectus consecuti, multi enim uaferrimã cauillationẽ struunt, qua negant ob Christi litatum homines carnificis dæmonis nexu esse liberatos, idq; hoc modo cõnectunt. Is enim uim & dominatum in alterum non nanciscitur, in quo alterius iniussu, imperio defungi non potest, atqui cum dæmon nihil unquã sit dei iniussu in hominis perniciem molitus, per facile notum est, dæmonem nunquã in hominem, uim & dominatum esse nactum, quod cum ita sit, perspicuum est etiam minime ob Christi litatum homines dæmonis dominatu liberatos. Quod contortum argumenti genus rectissime, ad perpendicularũ, & lineã erigimus, cum affirmamus hominẽ ob Christi expiationem cõpedibus laxatum, quatenus scilicet ea expiatio eluendorum criminum causa dicatur, aut quatenus per eam sit cum statore deo reconciliata gratia. Et quanquam modo annuente deo à fonte dæmone animæ hominum irritari, corporaq; uexari possint, Christi tamen expiatione antidotum esse adhibitũ dicimus, quo homines contra eius insidias muniantur, labisq; multa liberentur, cum antea homines nunquã ita ex eius ulnis elaberentur, quin esset additis antrum excedẽtibus manibus meandum. Quo quidem omnium consensu probato de Christi morte disceptatur. In quo loco Theologorum altera lux Scotus probat, minime Christo moriendi necessitatem iniustam, aut necessario eius mortale fuisse corpus, cum dicat miraculo id tabescibile fuisse, affirmans affluentiam gloriæ animæ ad corpus, miraculo impediri, quo perfecto corpori sit moriendi necessitas iniusta, cum nec gloria in corpus redũdaret, nec corporis natura originis iustitiam nancisceretur, qua corpus à tabe integrum seruaret, ad cuius sententiæ uadimonium prædem Augustinum adhibet, in quo argumenti ponte multi eum præstantur armati, dicuntq; his rationibus tantum confirmari, Christo ob diuinitatis naturam moriendi necessitatem iniustam non fuisse, sed negant ab his concludi eum moriendi necessitatem non esse nactum, & propter decretam metam finis, & propter uim agentis aduentitij. At diuus Thomas in sententiarum grario probare uidetur Christum non modo corporis, sed etiam animæ natura moriendi necessitatem esse nactum, sed in eo qui est tertius Theologumenõ librorum cinnus, eo demigrat, ut Christo corporis non animæ natura moriendi necessitatem iniustam uelit. Si autem eius columnis capitula & epistylia adijcere uelimus, Christi animã dicemus aliquã nactã esse corpori influendi uim, ne patibile ullo modo cõstaret, ex quo præclare sequi Christo animæ natura nullam moriendi necessitatẽ iniustam fuisse, sed cur corpus non afflaret, id tum ex partitione diuina oriri, qua Christi anima partim

beata



beata nec patibilis, partim haud beata & patibilis existeret, tum item ex anima nasci, quæ quanquam uelut statoris instrumentum, uim nancisceretur, corpus à quacunq; tabe tuendi, tamen cum ob eam partem quæ corpori iungibilis sit, nondum cumulate beata uideretur, propterea negemus eum natum esse uim inhaerentem & propinquam ad afflandum. Ex quo quidem facultas disputandi suppetit, num letho sit à corpore seiuncta diuinitas. Durandi enim extrinsecus inaurata sententia est, post necè à corpore diuinitatè esse secretam. Contra quem Atracinus Capreolus differens, probat ubi uis tutius eum, quàm in ea sententia fore, quod quidè aurum ex Thomæ crumena de promptis. Multi etiam Christū illo ipso mortis triduo hominè extitisse adiecerunt, quod sanè falsum omnino uideri debet, cum maxime mortis ueritatis interfit, post lethum hominè esse desinere, quando quidè mors hominis ab anime secretionem nascatur, qua hominis absoluta ratio cumulat. Ideoq; male Vgo Victorius Christū ipso triduo hominè extitisse probare conatur, animam hominè esse affirmans. Nec multo secus à sententiarū principe in hac opinione peccatur, quanquàm alio flexu declinet, & quasi alterius pedis solea altiufcula utatur, ne claudicatio appareat. Quod idem ferè persequitur Aureolus dum hoc argumentationis genus, propositionum terminorumq; dialectica natura metitur, quod quidem ad Alberti præscriptū Capreolus retorquet. Quo concertationis loco explicato, de Christi humatione loquimur. Pleriq; enim hoc in illius quæstionis orbem detrudunt, qua affirmatur haud decore humatum fuisse Christum, cum tonantem & fulgentem deum fas esse negent humari. Quibus dicendum est consentaneum esse, necis ueritatis testandæ gratia, humatum fuisse Christum, nec enim quispiam humatur, nisi exploratissima lethi signa antecedant. Ideoq; Pilatum Pontium diuus Marcus scribit antequam humandum Christum concessisset, clarissima lethi indicia quæsisse. In quo etiam multi honorificentius humationis genus putauerunt quam ignominiosissima lex illa postulare, nec consentaneum uideri homines nobiles pollinctores, & uespillones extitisse. Quorū rationum quisquiliæ satis sunt à diuo Augustino, Hieronymo, & Beda reiectæ, ad eorum enim sententiam tanquam ad statuam cōfugitur. Sed interim de Christi ad heribum itione, mars atrox excitatur, nonnulli enim cum letho Christi animam à corpore secretam putent, haud eum animæ tantum natura cocytum & auernum transgressum uolunt, quando quidem animam corpore uacantē dicant, quæ motu loci moueri non posse appareat, cum id Aristotele autore corporeū dicatur. Cum autē itio corporis motū ostendat, facile persuasum uolunt, haud consentaneū uideri, Christū stygem, & cocytum trāsmisisse, quam uersicolorē sententiā, pleriq; ut pueri pauonis caudā mirātur. At sanioribus nullo modo placet Christi animā eo genere motus, quo corpora, sed eo genere quo cœlites mouent, ad heribi antrū descēdisse.

Durandus

Durādus autem paludamento circa lacertum obtorto in diuum Thomam armatus irrupit, probans Christum animę natura haud uerissime, ita ut merę naturę conspectu adesset, sed solum quo ad effectū ad orcum peruenisse. In quo genere quęstionis argumentando irracuit, quanquam ei sententię, ut, ob solę chlamydi patagium superinduxit Picus noster Mirandula, dum magis ambitu glorię, quam acerbiorē odio quibusdam obtrectat. Verum nerui atq; artus Christianę soliditatis sunt, Christum animę natura uerissime ad ipsam Ditis domum profectum, quę causa diuum Thomam excitauit, ut probaret duplex esse genus in aliquo consistendi, quorum unum effectū expēdet, quo quidem Christum omnes herebi gurgites, latebrasq; scrutatum fuisse dicit, sed secus, cum in imis auerni faucibus inficiantem perfidiam fontibus manibus obijceret, & tum ijs quorum esset præfinito tempore expiabile crimen, spem certissimę glorię præberet, tum sanctissimas herouum uatumq; animas euocaret in cœlum. Altero uero genere quippiam in aliquo loco consistere suapte natura dicendum putat, quo Christi animā ad eam tantum herebi partem measse dicit, qua piorum felices animę continerentur, ita ut cum in una herebi parte consisteret, eius effectus ad omnes tartareas carnificinas dimanaret.

*De resurrectione, & de ascensione Christi.*

*Distinctio VI.*

**A**C de Christi quidem litatu serē satis est dictū. Sequitur deinceps, ut de resurrectione, & de emigratione in cœlum dicatur. Itaq; fundamenta iacimus, quibus necessariā fuisse resurrectionem cōfirmatur, nam primum dei permagni interesse dicimus, eos sublimes ferre qui se pro eo abiecerint, cum autem seruator Christus turpissimum cruciatus necisq; genus, parendi causā subierit, necesse fuisse dicimus, ut ei à deo resurrectionis gloria decerneretur, tum ut esset eius diuinitatis fides testatior, tum ut spes hominum fidentius excitaretur similitudine reuiuiscētis dei. Sed interim nata est controuersia, num post resurrectionem merum corpus extiterit. Multi enim quibus philosophia tanquam arborum densitas cœli cōspectum adimit, merum corpus ab intuentium obtutu euanescere negant, nisi id fortasse extabescat, at cum Christi corpus à discipulorū cernentium obtutu, euauisse dicatur, præclare concludi putant, minime post resurrectionē merum corpus extitisse. Quorū quidem uix facile inter scindi possunt, cum Christū immortalia natura reuixisse cōfirmat, conditio em corporis gloria præditi, spiritus nature subijcitur. Ut aut omnino corpus sit spiritus nature subiectū, necesse est ut omnis corporis actio, spiritus uolūtati sit tanquā imperatori subiecta. Quod aut quippia cernat actio e fit, ut ait Aristot. aspectabilis in aspectū, quam obrē quilibet corpore gloria prædito informatus, simul ac ei collibitū est, & spectari & non spectari potest. Quod quidem non modo corporis natura, sed etiam diuinitatis ui in Christo fuisse uolumus,

ex quo

ex quo eum à cernentium aspectu euauisse dicimus, non qui extabuerit, aut sit in quippiam inaspectabile conuersus, sed quia sit uoluntate cerni desitus, quibus assumptis post resurrectionem merum corpus extitisse cōfirmatur. Sed interim etiam sciscitationes interponuntur, num corpus integrum exuscitatum dici debeat, rectissime enim id corpus eadē natura, sed non eadem gratia præditum extitisse probatur. Ex quo quidem quicquid ad corporis humani naturam pertinet id totum in reuiuiscētis dei corpore fuisse dicendum est, nam cum sanguine, corde, iecore, humani corporis natura teneatur, minime absoluta resurrectio dici poterat, si corpori quicquam horum abfuisset. Ab his deinceps de emigratione in cœlum quæstio colligitur. Quidam enim qui Christum tanquam Socratem aut Platonem de facie mirari uoluissent, haud consentaneum arbitrati sunt, eum in cœlestem locum euolasse, nam cum ab eo incolumitatis nostræ causa, naturam humanam ascitam dicant, salubrius hominibus futurum confirmant, si esset in terris inter homines uersatus. Quorum superba inscitia facile cognosci poterit, si dicatur locum statuto appositum esse debere, eumq; post resurrectionē, immortalē nec labefactabilem uitam exorsum. Atqui cum is quem incolimus locum, ortus & tabis locus dicatur, cœli autem locus nullo modo extabescat, magis consentaneum fuisse dicimus, eum emigrasse in cœlum, quam in terrarum gurgustio subsedisse. In quo etiam multi quasi huic quæstioni plusculum falis adijciant, negant suapte uirtute Christum in cœlum euolasse, nam cum affirmant eius corpus terrena natura fuisse concretum, fieri nullo modo posse dicunt, ut id corpus suapte ui, aut natura, superiora capesseret. Quibus male sanis metaphyficis, quanquam concedatur in corpus minime suapte ui in cœlestem locum emigrasse, responderi tamen solet, suapte diuinitatis felicisq; animæ nutu, in cœlum uolucere pondus subuolasse. Nec enim cōtra naturam est corpori prædita gloria, superiora capessere, cum sit id omnino totum spiritus naturæ subiectum. Atq; etiam permagni referre dicitur, num supra omnes cœlos euolarit, quo quidē loco præclare ostenditur, quod quo quodpiam corpus diuinitatis absolutius est particeps, eo sit corporum ordine superius, qui loci ordo dicatur. Ex quo quidem sciri potest quod corpora quæ plus formę nanciscuntur (ut ait Aristoteles) natura superiora sunt, nam eodem Aristotele autore, quidlibet forma diuinitatis est particeps. Atqui fateri necesse est, corpus ob gloriam plenius diuinitatis esse particeps, quam quodcunq; corpus forma naturæ, cum autem perspicuum sit, id inter omnia corpora gloria prædita splendidius elucere, necessario concedendum est, id quoq; supra omne genus corporū statutum uideri, eodemq; modo dicimus, eam emigrationem incolumitatis nostræ causam fuisse, ob eaq; nobis patefactum esse iter in cœlum,

**S**ed nec alienum quidem tempus est, ut de fide quaeratur, cuius quidē rei est ratio duplex, una qua hominum generi credibile quippiam asseritur, altera in qua earum rerum assensus postulatur, quæ afferuntur. In quo tamen fatendum est, fidem à parente rerum deo manare, etenim ea quæ fide continentur, sunt supra naturæ complexum sita, nec in hominum contemplationem sine diuina patefactione cadunt. Nam nonnullis quædam deus sine intermedio aedit, ut ea quæ sunt undecemuiris discipulis aut uatibus patefacta, nonnullis quædam per præcones edicit. Itaque ob eam causam articulatum est fidei distincta ratio, nam quædam ad diuinitatem, quædam ad humanum amictum inductum pertinent, quæ uno senatus symbolo continentur. Ex quo est intelligi necesse ad incolumitatem hominum, fidem esse necessariam, quæ credenti ab autore rerum deo inferatur. Nam cum extima felicitas in deo contuendo uersetur, nullo modo homines ad eum obtutum peruenire possent, nisi uelut discentes à satore deo docerentur, cuius quidem doctrinæ non continuo, sed progressionem compotes naturæ suo modo fiunt. Quare necesse est ut homines non modo fidenter ea percipiant, quæ sunt supra naturam progredientem constituta, sed etiam ea quæ ratione percipi possunt, idque ob eam causam necesse fuisse dicimus, quo celerius hominum mentibus diuina imprimeretur notio, siquidem metaphysice, qua deum esse probatur, per scientiarum orbem extima perdiscitur, ex quo causa esset, ut homines ad dei notionem non nisi ætate exacta peruenirent, idque ob id etiam datum esse uolumus, ut generatim in hominum mentes agnitio penetret, & influat. Nam cum multi, aut propter negotia uitæ, aut propter difficultatem indagandi, uel propter hebetiorem ingenij aciem, longe ab expleta absolute agnitione absint, intelligi posset, eos omnino dei agnitione fraudatum iri, nisi fide diuina informaretur notio. Eodem accedit quod nihil est fide testatius, etenim ratio multum à rerum diuinarum cognitione abest, idque præclare patet, quod ab omni philosophorum genere in naturali rerum humanarum explanatione titubatum fuisse scimus, multaque ab his inter se pugnantia conscripta legimus. Itaque quo splendidius dei notio elucesceret, necesse fuisse dicimus, ut fide in hominum mentes rerum diuinarum agnitio illaberetur, quo oraculo nihil sic in omni natura ueracius, quam obrem iure promulgatum est, ne cui liceat, à rata fidei mentione desciscere. Duplex est autem hominum desciscendum genus, nam unum genus est eorum, qui ne tantulum quidem credendum putant, quales ludæi aut Parthi nominantur. Alterum uero genus est eorum, qui ex prouincijs uectigalibus planè bene Christum fatentur deum, sed ea nullo modo seligunt, quæ consignatis decretis uerissime traduntur, cum id maxime conseruentur, ad quod suo pte ingenio rapiantur, ideoque qui eiusmodi perduellionatus postulantur, non modo pontificio interdicto ex

Christianorum cœtu extruduntur, sed etiam nece ex terrarum orbe pelluntur, nam si hij qui nummos adulterant morte mulctantur, quid de illis statuendum censemus, qui fidē peruertere conantur? At senatus tamen cōsulto, eiusmodi transfugarum generi diuturnior impunitas conceditur, quo spacium postliminij, sordiumq; eluendarū detur. At cum nihil est pertinacissimo perduellioni loci, ne uelut rancidius malum cætera pomorum genera contaminet, pontificio primum interdicto ex orthodoxeo foro eijcitur, ad prætoria deinde tribunalia raptus bustuarijs exurēdus datur: Sed incidit hoc loco contentio, num spes Theologica sit nominanda uirtus. Multi enim satis negotij habēt, si spei accliuam hypothesim esse dicant, atqui cum accliuitas maxime magnanimitatis sit, quæ in moralium uirtutum genere numeret, nihil abesse putant, quin spes morum potius uirtus quam Theologica nominanda sit. Pleriq; etiam, quibus nihil est hac opinione potius, cum uirtutem Theologicam in duorum uitiorum meditullio uersari opinētur, spemq; inter desperationem & arrogantem confidentiam constituent, fatendū esse dicunt, spem nullo modo uirtutem Theologicam uideri. In quo sanè lituus & tuba Christianorū D. Thomas est adhibēdus autor, qui cum spei quatenus uirtus dicatur, principem hypothesim deum esse cōfirmet, satis esse notum probat, spem debere uirtutem Theologicam putari, quanquam Durandus hanc sententiam tanquam statuam inchoatam absoluere conatur, in quo sanè intelligi potest, caput excellentis artificis, & discipuli reliqua mēbra uideri. Atq; illud etiam intelligendū est, spem in primis felicitatē quæ in deo cernendo uersatur, tanquā laternā intueri, cum autē spei hypothesi, ut res quæ esse possit obijcienda sit, quæ fide continet, necesse est, ut fides tanquam dux & antesignana antegrediat. Itaq; negamus felices in aliquo spei genere uersari, quandoquidem felicitas sit præsens, & spes futura cōplectatur. Sed his qui uiuunt & hijs qui in expiatore orco plectuntur haud quidem spes felicitatis consequendæ adimitur. At uero reorum damnatorumq; genus, cum felicitatem ut res quæ esse possit, nullo modo percipiat, haud sanè in aliquo spei genere uersatur, propterea quod ærumnarū eorum interfit scire spem nullam ex ærumnis exeundi residere. Eodemq; modo de charitate disputatur, siquidem charitas eo splendidius ex omni uirtutum genere floret, quo prior est deo. Nam cum ortum ex felicitate nanciscatur, nullo modo nobis naturæ uiparta inest, sed spiritus afflatu illabitur, itaq; intelligendum est eam ditius in uita locupletari posse. Sed cum omne contrarium alterius interuentu adimatur, sciri necesse esse, eam quoq; capitalis tabis interuētū tolli nam quemadmodū lucē in aëre deesse dicimus, si soli caligo offundatur, sic eā in anima deesse uolumus, si dei afflatus sceleris tabe tāquam uelo quodā obtendatur. Sed cum charitas latissime pateat, maxime in generis humani societate cernit, itaq; ob eam causam nephariorū etiam hominū est seruanda com

da communitas, propterea quod felicitatis sit eorum natura capax. At cum culpa contractæ ratio expendit, qua fiunt homines felicitatis expertes, tum non modo hi cum quibus nulla est nobis propinquitatis colligatio, sed etiã parentes & liberi odiosi esse debent. Quare pertinet ad omnes scire in hac hominũ societate ordinẽ oportere statui, quandoquidẽ ordo, prius & posterius cõplectatur. Gradus igitur societatis hominũ hoc modo describuntur, ut arctior sit societas propinquorũ, à qua diuelli natura nequeamus cum princeps sit & natura solidior. Si autẽ disceptatio aut collatio fiat, quibus plus sit charitatis impertiendũ, dicendum erit, ob initium plus parenti quã libero esse tribuendũ. At si uerius necessitudo expendatur, nemini dubium esse potest, id plus amoris flagitare quod arctius astringitur, ex quo ut ait Aristoteles causa est, ut plus amoris filio quã parẽti debeatur, siquidẽ pater liberum amat tanquã quippiã ex se manans, quod idem filio nullo modo contigit. Eodem accedit quod parentis diuturnior est amor, nam liberi à parentibus in crepundijs primõq; naturæ ortu diliguntur, contraq; parẽtes à liberis sero & ætatis progressionẽ amantur, at amor quo uetustior eo absolutior esse solet. Itaq; dubitari non potest, quin iure plus amoris sit à parente quã à matre reposcendũ, cum pater in præstantiori originis ratione uersetur, & mater patibilẽ naturam nanciscatur. Eodemq; modo de omni propinquorũ genere differitur, quomodo sit quisq; minus magisue colendus. Ac in eiusmodi quæstione, à nostris, de pace, de donatione, de obiurgatione, & quæ sunt generis eiusdẽ disputatur, siquidẽ paci inquit diffidiũ & bellum opponitur. Diffidiũ enim est hominũ coherentium charitate repugnante distractio. Bellum autẽ est hominum dissidẽtium armata decertatio. At bellorũ æquitas sic tripartito discerpitur, ut in principum autoritate, in causa, & dimicantium uoluntate uersetur. Principum autẽ haud secus interest ferro hostes à finibus arcere, ac nepharios & fontes punire domi. Causarum autẽ iniustarum multa sunt genera, nam quædam appetentiũ, quædam uaferrime eripientium, quædam iniuste lacessentium nominantur. Voluntas uero dimicantium legitima putatur, cum ab his nec cupide nec acerbe bella geruntur, sed bellum ita suscipitur, ut pax sola quæatur, ideoq; iure sancitum est, ut initiati & flamines exleges dicantur, si temerè in acie & dimicatione uersentur, aut ea prælia ineant, quibus humanus cruor profundatur, est enim bellum ritualis cultus & preceationum hostis. At uero donatio quæ à Græcis ἐλεημοσύνη dicitur, benigna est suffragandi uoluntas, quæ egentissimo cuiq; opitulatur. Hæc enim nostri in septẽ genera diuidunt, nã eos qui fame conficiantur alere, diurna estuantium sitim extinguere, tunicatum & semiamicum penula uestire, à prædonibus redimere & è seruitute captos, hospitalẽ esse in aduenas, ergitudine tabescẽtib; adesse, aut eorum qui uita excefferunt cadauera humare, in hoc benignitatis genere ponunt. Sed intelligendũ est maxime, his

opibus in largiendo uti non licere, quæ uel rapinis uel furto siue fœnore parantur, cum satis notum sit eiusmodi opes, his reddi debere, quibus adimuntur. Nec item ex eo genere conuenit in largiendo esse beneficium, quo pecuniæ stolidis, aut pueris in talario, aut aleatorio ludo dolose detrahuntur, cum illis actio repetundarum detur. At uero neq; hijs pecunijs quæ ex munerali ambitu parantur, uti in suffragando licet, cum & qui acceperint & qui dederint eiusdem iniustitiæ criminis postulandi sint, eademq; præscriptio est pecuniarum quæ in lupanarijs ex meretricia attréctatione quærentur, cum difficilis sit redditio ad nummum, & haud fas sit aras diuorumq; delubra his meretricijs manubijs ornare. De obiurgatione autem benigna sic agimus, ut eam ægrotationis medicinam esse dicamus, nam & absynthiũ stomacho interdum datum, & mel quoq; interdum uulneribus adiectum obest. Quod castigationis genus, cum ex charitate dimanet, latissime patere uolumus, nam homines, & maiores & minores gentium obiurgandi sunt, idq; etiam quãdoq; facinorosis nepharijsq; hominibus licere dicimus, modo id clementiori obiurgatione fiat, nec uerendum sit, ut medendo bilis excitetur. Itaq; in desinendi modo suaves castigationes tãquam bellaria ex saccharo apponantur, ut ori suauitas resideat. Nec multo quidem secus de spiritus muneribus quæri hoc loco solet, quibus homines domicilium gloriæ, sine lapsu & molestia capessunt, sunt enim uirtutum præsidia insita afflatu, quibus multa diuinitus tanq; manu contrectata noscuntur.

## De uirtutibus moralibus.

## Distinctio VIII.

**A**Tq; hoc loco de uirtutum moralium genere disputatur. In quo probatur prudentiam ducem cæterarum esse uirtutum, quæ praxis sit, & in rationis gyro uersetur, ea enim non modo ad sui, sed etiam ad uniuersi generis humani curam statuitur. Itaq; ei subiecta sunt, memoria ratio, intelligentia, docilitas, solertia, prouidentia, cautio, & quæ à Græcis *περιβλεψία* nominatur. Est enim Memoria præteritarum, Intelligentia uero incidentium necessariorumq; rerum fons. Docilitas autẽ sic definitur, ut sit uelox ad omnia scientiarum genera aptitudo, at Solertia est inuentrix medicritatumq; decempeda. Prouidentia uero constitutrix est tempestiuarum idonearumq; rerum ad ultimum, sed Periblepsia est excubatrix spectatrixq; negotiorum, quæ circumstant. Cautio uero rerum obstantiũ depulsio. Prudentiæ autem est contraria imprudentia quam Græci *ἀνεπαίσια* uocant, ex qua cum præceps festinatio, tum in consulta leuitas oritur, quarũ altera consilio, altera iudicio repugnat, eiq; etiam Inconstantia tanquam nequam mancipium subijcitur quæ ab integra institutione recedit, nec tabificis perturbationibus ullo modo obsistit, quæ quidem uitia maxime ex flagranti salaciq; uenere nascuntur, nam cum sit cupiditatum lena, animam sensilium flagitiorum uoluptate rapit, Sed multa uitiorum genera à prudentia dissident, quæ eam tamen

eam tamen, ut homines simiæ imitari uidentur, ex quo genere calliditas, dolus, & fraus numerantur. Calliditas enim est duplex. Vna quæ ad eum limitem statuitur, in quo nullo modo aliquod boni genus inest, sed spectatu bonum, ut nummus adulterinus apparet. Altera quæ in bonorum aut malorum generibus adipiscendis non recta ingreditur sed flexu ut uulpecula declinat. At uero dolus tanquam in comœdia seruus, calliditatis est minister, sed inter dolum & fraudem hoc interest, quod dolus re uerboq; , fraus autem maxime re calliditatem exequitur, ob eamq; causam eiusmodi quæstioni iustitia tanquam uitiorum libripendix anectitur, quæ hominum actiones ad perpendicularum & amussim dirigit. Cum autem sit duplex iustitia, una quæ distributrix, altera quæ commutatrix nominatur, cumulate hoc loco à nostris de contrariorum uitiorum genere differitur, innexoq; uirtutum ambitu ostenditur, mendacium primo à ueritate diffidere, definiunt enim Veritatem æqualitatem, cui nimium & parum opponatur, quorum alterum autore Aristotele ad ostentationem, alterum ad ironiam pertinere uolunt. Sed à multis mendacium tripartito describitur, quorum unum perniciosum, alterum facetum, tertium officiosum dicatur. Perniciosum enim est pisis & quædam ueneni latebra, qua alteri nocetur, facetum est, quo hominum mentes ad suauitatem exhilarantur, officiosum uero est, quo homines iuuantur, aut nocitura tolluntur, quæ quidem genera leuius aut grauius, trutina culpæ contractæ ponderantur. At Ironia tum maxime crimen putatur, cum palam sibi aut neuos quosdam addit qui desint, aut quædam præstantiora demit, quæ supersint, eodemq; modo Ostentatio malum capitale nominatur, si dolose aut cum alterius iactura fiat. Liberalitatē autem sic definimus, ut ea sit ad bene de multis promerendum opitulatrix uirtus, quæ crumenam in largiendo laxet, contra quam maxime auaritia exardescat. Ea enim est opum inexhausta auaritia, quæ tanquam mare nulla accessione redundat, ex cuius tenebricoso antro exiliunt uelut serpentes, proditio, fraus, dolus, iniquitas, uis, peieratio & dura quædam ad opem ferendam silex. At contra prodigalitas extra ripas largiendi defluit, quod eo leuius malum uideri debet, quo pluribus largiendo suffragatur, aut quo propinquius liberalitati adhærescit, similisq; est Fortitudinis descriptio, quæ cum a damas omnium uirtutum sit, ac tam expultrix formidinis quam moderatrix audaciæ dicatur, nullo modo à bonorum genere metu, aut periculorum magnitudine auocatur, eiq; maxime est coniuncta magnanimitas, quatenus scilicet in rerum magnarum difficultate uersetur. Itaq; extra eam arrogantia, Ambitio & Gloria inanis, quam Græci cenodoxiam uocant, superfluentes redundant. Arrogantia enim est insolens supra naturam suam elatio. Ambitio est immoderatio honoris cupiditas. Cenodoxia uero est mundi cymbalum cum ostentatione præstantiæ, qua homines tanquam pauones cauda lætantur ex ea



enim contumacia, ostentatio, pertinacia, discordia, & arrogātia oriri putantur. Sed magnanimitati item contraria Animitenuitas, quam Græci μικροψυχίαν uocant opponitur, quando quidem magnum & paruum inter se sua parte natura dissideant, hæc est naturæ suæ inscitia, quæ robur uirtutis delumbat, ac à rerum magnitudine recedit, quarum est aptissime capax. Magnificentiam autem uolumus ex eadem fortitudine nasci, quæ sit magnorum operum confectrix, cum decentia sumptuum collocandorum. Nec longius quidem patientia ab eadem fortitudine abest, quæ est rationis contra tristitiam tutatrix. Nihilōq; secius erit de Perseuerantia, quæ à Græcis διατέλεια dicitur, & Constantia dicendum, quæ quanquam in limitis genere cōgruant, hac tamen inter se specie differunt, ut Diatelia sit contra eam difficultatem stabilitas, quæ ex operæ diurnitate oriatur. Constantia uero contra eam difficultatem firmitas putetur, quæ ex externa interpellatione nascatur. Itaque maxime à Diatelia mollitudo abhorret, quæ ob eam causam à bonorū genere recedit, propterea quod languidius in perferendo liquefcit, facileq; (ut ait Aristoteles) ab imbecillo flectente torquetur. At pertinacia maxime exploditur, quod ex rationis præscripto egrediatur, & uelut callum obdurexerit, nunquam ex insita sententiā deducatur. Sed in hoc genere una è multis Temperantia tanquam uirtutum laternaria laudatur, ea enim est uirtus hominem ex integra ratione ad bonorum genera impellēs, turbidas saporum tactionumq; affectiones sanans, ægritudinemq; sedans, quæ ex uoluptatū uacuitate oriatur, cum ea uehementer Torpor, quem Græci Anestesiā uocant, & Intemperantia digladiatur. Torpor enim ita istiusmodi uoluptatum genera refugit, ut illa etiam omittat, quæ sunt ad naturę necessitatem data, quod quidem crimen uideri debet, nam cum sint uoluptates rebus necessarijs à natura satę, tantum est hijs impertiendum, quantum sit ad humanam naturam satis, quanquā interdum earum uacuitatem necessariā dicamus, quemadmodum interdum ad integritatem ualitudinis, necessariā Parsimoniam putamus. Intemperantia uero auersa est à ratione ad superuacaneas cupiditates turbida commotio, quæ eo longius ab hominum præstantia distat, quo minus abest à natura ferarum. Sed ex temperantia oriuntur tanquam ex matre liberi, Verecundia, Honestas, Parsimonia, Ieiunium, Sobrietas, Castitas, Virginitas, Continentia, Clementia, Mansuetudo, Modestia, & quæ à Græcis σπρωδαίσις dicitur, aut si quæ eius generis sunt. Verecundia enim hoc modo describitur, ut sit culpę spectatrix, & tenerrimus oculorum pudor, quæ à criminum genere, infamię metu arceatur. Honestas uero non modo germana uirtutis, sed etiam tanquam quædam temperantię conditio describitur. At parsimoniā, uictus moderatricem definimus. Ieiunium autem cupiditatum carnificem, quo mens ad superarum rerum contēplationem efferratur, faciatq; pro scelerū genere satis. Ex quo senatusconsulto anniuersarię esuriales

esuriales, feriæ edicuntur, quibus cupiditatum ardor referuescat, & integra natura seruetur. Sobrietas autem potationum mensio nominatur, ne ratio languefacta elidatur, uini enim capnotès cerebri naturam quatit. Ideoq; maxime mulierculas & pueros abstemios esse debere dicimus, quorum aliæ propter rationis imbecillitatem, alij propter ætatis feruorem procliuius ad blandissima uoluptatum genera labantur. Castitas autem est libidinosarum cupiditatū domitrix, cuius affectatrix est Virginitas, quæ à Græcis *παρθενία* nominatur. Est enim hæc illibatus flos, & puritas ueneriæ tabis expers, cum perpetua animi inductione carēdi, quo in cœlibatu sit ad cōtemplandū aptior. Continentia uero est prauarum cupiditatum repulsio. Sed clementia à mansuetudine sic differt, ut clementia sit extenuatrix pœnarum, mansuetudo uero irarum mitigatrix. Modestia autem est mediocritatum metatrix, ex qua Humilitas oritur, quæ cum sit signara, animo frenum adhibet, ne insolentius supra naturam suam tollatur. Sed cum omnes (ut ait Aristoteles) natura mirifice scire aueant, intelligendum est malagma quoddam esse adhibendum, quo operosa sedulitas & cognitionis appetitio leniatur, quarum alteram Græci ut diximus *σπουδα* osin, alteram *πραγμοσυναν* nominant. Verum quot uirtutum genera numerantur, totidem uitiorum paria opponuntur, siquidem parsimonix bellum est naturale cum Gula, quæ non modo gustus obsonatrix, sed etiam opophaga intempestiua uocatur, hæc enim tanquam sus foeta stolidam alacritatem, scurrilitatem, cœnositatem, loquacitatem, mentisq; caliginem gignit, atq; etiam sobrietati est hostis & inimica Ebrietas, quæ scelerum fex, ut in lancem alteram propendet, alias capitale, alias ignoscibile malum uideri potest, sed maxime Luxuria prælium cum Castitate inicit, quæ uaria armorum genera ad dimicandum affert, de quo genere à nostris fusc lateq; disputatur. Quare iram cum mansuetudine, & crudelitatem cum clementia pugnare dicimus. Iram enim uolumus ulciscendi esse libidinem, quæ iurgia, metis tumultum, stomachationem & peierationem gignat. Crudelitatem uero in animaduertendo atrocitatem definimus, quæ hoc modo à seuitia et immanitate dissideat, ut crudelitas nō modo eius qui plectitur culpam metiatur, sed etiam fines animaduertendi trāseat, seuitia uero nullam culpam expendat, sed hominum cruciatu & uexatione pascatur, quæ diritas ferina uocetur. At pugnacissime superbiam cum humilitate præliari affirmamus, quæ suo pte uoluntario uento tentata, cum supra naturæ suæ modum efferatur, immoderatio est excellentiæ cupiditas, ac caput scelerum omnium & mare.

Tertij Sententiarum libri finis.

## PAULI CORTESII

PROTONOTARII APOSTOLICI IN

Quartum Sententiarum Prooemium

ad Iulium II. Pont. Max.



**P**ATEFACTVM est superiore libro Pont. Max. quem  
 admodum esset recentatoris Christi perpeffione litatum  
 factumq; pro humano genere satis, nunc autem sequitur,  
 ut ea sacra persequamur, quibus hominum generi appli-  
 cetur expiantis uirtus. Nam cum infideli tetroq; malo ue-  
 xarentur homines, cōsentaneum fuisse uideri poterat, ut  
 ea sacrorum collyria adhiberentur, quibus uniuersæ ægritudinis euelleren-  
 tur fibræ. Ex quo sanè intelligi potest, quantū eiusmodi sacra, omnium gen-  
 tium sacris præstare uideantur, nam ut barbarorū omnium dira sacra omi-  
 tam, quid in Græcorum aut Romanorum sacris reperiri poterat, quod hor-  
 minum ægrotationi mederetur: quæ enim medicamēta hī afferre poterant  
 dii, qui uitiosarum rerum patrociniū susceperant: Quid est tam ab hominū  
 sanatione abhorrens, quam Pertundam aut Subigum inducere deos: iam ut  
 capitolinus ascendatur cliuus, quodnam sacrificiorum in Iouis delubro po-  
 terat inueniri genus, quod hærentia hominum carcinomata sanaret: Quis  
 Iouem in uoluptatum luto uersatum fuisse dubitat, cum in æde capitolina,  
 & pellices, & parasitos, & epulones Iouis affuisse intelligat: omittimus hoc  
 loco, cætera sana, latibula libidinum intimarum, ne uelut ex latrina, cœno  
 obrutos eruamus deos, aut Gygantomachiā moliri uideamur. At uero cū  
 Theologiam in mythicem, politicem, & physicam dispertiti sint, quarum una  
 commentitia, altera ciuilis, tertia naturalis diceretur, quid erat causæ cur  
 naturam diuinam ad hominum uitia traducerent: Nam si commentitiam  
 nominabant, cur Poëtarum licentia in theatris, deorum uitia carminibus  
 euclari sinebant & cantibus: si ciuilis dicebatur, cur in fanis nephariorum  
 deorum generi sacra decernebantur: si autem naturalis putabatur, cur phy-  
 siologiæ enodatione aliquod religionis certum non constituebatur genus:  
 In quo illud etiam à M. Varrone deorum nomenclatore sciscitor, si Edu-  
 licam deam numerat, cur Palaticam etiam non inducat, neque enim ego ui-  
 deo si Cunina ab eo est recepta dea, cur sit Sedentaria explosa, quæ sedibus  
 senum præesse debere uidebatur, cum non minus opis præsidijque flagi-  
 tent, qui ab occasu quam qui ab ortu propius absunt. Nec item intelligo  
 cur Agenorea dea putanda sit, si Ociaria non putetur, cum otium multo sit  
 interdū negotio præstantius, aut quomodo possit Abeona dea dici, Remea  
 non dici, quæ eo augustior uideri debet, quo reditio quam abitio iucundior  
 esse solet

esse solet, quod idem sanè in tota deorum natura fingere liceret, cum quoti-  
die eiusmodi fingēdi licentia & fastis infarciri possent dii, & nihilo notiores  
induci, quibus thura & sacra decernerentur. At uero contra quid sacrorum  
nostrorū absolute certius, quid descriptione diuinius? Nam cum triplex  
sit generis humani egritudo, quarum una appetitionū prauitas, altera ego-  
tationis crassa caligo, tertia flaccescens imbecillitas dicatur, totidem sunt sa-  
crorū adhibita præsidia, quibus & adijceretur robur, & uetus animi tumor  
depelleretur, & gentilitij mali insita elueretur labes. Quo magis est tu Pont.  
Max. in hoc genere laudandus, qui cum princeps sacrorum sis, nihil ducas  
antiquius, quam sanctissime hæc sacrorum genera tueri.

*De sacramentis, & primum de Baptismate.*

*Distinctio 1.*

**I**Taq̄ cum copulati uerbi sint explicata mysteria, sequitur deinceps, ut or-  
thodoxea sacra persequamur. In quo primum est sacri perquirenda defi-  
nitio. Multi enim qui amissa segete alieni fundi spicilegio occupātur, au-  
tore Auicenna, uolunt definitionem genere, & differentia constitui, at qui  
cum re, uerboq̄ constitutum in genere uersari negent, quādoquidem haud  
ex aduentitio unum dicatur, notum esse, re uerboq̄ cōstitutum, definiri non  
posse, cum autem eiusmodi sacrum re, uerboq̄ constituatur, fatēdum esse id  
definiri nullo modo posse. Contra quos Pythicum Theologiæ uatem Au-  
gustinum arcessimus, qui sacrum esse affirmat, in quo sub operculo rerum  
spectabilium à diuinitate incolumitas nostra iuuetur, ex quo perspicuum ui-  
deri debet eiusmodi sacrum definiri posse, cui quidem definitioni nomen su-  
um ascribit Durandus. Vgo autem Victorius Augustini syngrapham resū-  
gnat. At sententiarum ærarij tribunus sacrum inaspectabilis gratiæ, aspecta-  
bilem formam esse uoluit, ita ut cum sui simulacrum ferat, causa dicatur, que  
quidem definitio, quasi cumulate sacramenti aceruum expleat, maxime à  
diuo Thoma probatur. Sed quoniam sacra ad criminum eluendam labem  
instituta feruntur, in hisq̄ fidentium hominum animas excolunt, quibus ca-  
stissime colitur deus, primum de incolumitatis nostræ isagoge quam Græci  
*Βάπτισμα* uocant, dicendum erit. In quo etiam definiendo inter nostros est  
nata dissensio, siquidem Vgo Victorius dum tantisper pendet animi, quorū  
sum euadat, in eam sententiam demigrat, ut id aquam ad eluenda crimina,  
uerbo expiatam dicat. Principi autem sententiarum id laticis asperisionem  
extrinsecus iniectam ad uerborum præscriptum esse placet. At Riccardus  
uilla, locuples & susus Theologus, quanquā has definitiones consentaneas  
esse censeat, in neutris tamen cumulatam definitionis conditionem inueni-  
ri arbitratur, quæ sit in posterioribus analyticis ab Aristotele decreta, nos  
uero id nullo modo ambitiosi definimus, cum maius certamē oriatur, num  
character ille qui dicit, in intelligentiæ ui, tanquā in hypothesi uerset. Diuus  
enim Thomas dum sententiarū fundum aratro suo proscindit, characterem  
probat in intel-

probat intelligentiæ ui, tanquã in hypothefi inefle, nam imaginem primo in percipiendi ui uerfari dicit, cum ex memoria, & intelligētia uoluntas nafcatur. Ex quo perfpicuum efle uult, omnem imaginem in intelligentiæ parte, tanquam in fibrif inefle, ob eamq; caulam, quicquid efle in primis ob imaginem homini tributum, id in primis ad intelligentiæ partem, & patheticam oculos referre, cum etiam ex intelligentia nancifcatur, ut homo dicatur, ex pathetica autē ut probus, an prauus dicatur, atq; ob id cum character in primis oculos ad imaginē referat, eum intelligentiæ parte uerfari confirmat, cui aperte Scotus reiecta chlamyde loricam oftendit. Durandus uero marmoreo muro tectorium inducens, cum characterē in intelligentiæ ui, tanquã in hypothefi efle neget, congruentius in flaminis manu uel lingua, quam in intelligentia uerfari putat. Nos uero dicimus characterem in ipfo primigenio uoluntatis orfu, non in lingua, aut miniftris manibus efle debere, quē ad modum etiam medicum medicinæ ui ob rerum falubriū appulfum naturæ miniftrum uolumus, cum ualitudinis princeps, agens natura dicatur, nec tamen ob eam caulam medicinæ fcientiam in expromentis lingua, aut in chirurgi manu, fed in intelligentia ponendam arbitramur. Atq; huic generi finitima efle quæftionum medicata aqua ad eiuſmodi luſtralem afperſionem appoſita uideatur. Multi enim nudi remiges qui phyſicam ſententiam exhauriunt, id ex quocunq; genere laticis, quod ſpecie à mera aquæ natura non diſcrepet, fieri poſſe uolunt, cum autem rofaceus latex à mera aquæ natura non diſſideat, quandoquidem eaſdem frigiditatis humoris, & perfpicuitatis *uoluntates* nancifcatur, fatendum efle dicunt medicatam aquam ad id appoſitam uideri. Quorum quidem claudorum hominum effugia præcludimus, cum à Chriſto, meri, non conditi laticis afperſionem decretam dicimus, quo facilius omnibus ſuppeditaretur ad uſum, ob eamq; caulam probamus duplex efle genus, quo merus latex uim puritatis amittat, unū quod alterius corporis mixtione, alterum quod alteratione fiat, quæ à Græcis hereroſis nominatur, quorum utrunq; artificio & natura contingit. Siquidem ars à naturæ munere abefle, propterea quod natura ſubſtantię formā quam Græci uſiam uocant gignit, quod quidem ab arte fieri nequit. At omnes quidem artificioſe formæ aduentitiæ extrinſecus accidunt, niſi fortalle proprium agens ad propriam materiam applicando tanquam ignē rei ad exarſeſcendum apte, ex quo genere à multis tabe quedam animantium genera gignuntur. Itaq; quoties latex artificioſi, aut mixtione ſiue alteratione tranſfundit, haud ſanè eiuſ ſpecie mutari dicimus. Ob eamq; caulam ex eo genere laticis eiuſmodi uitalem afperſionem fieri poſſe uolumus, niſi forſan laticē ita tenuiter cum alio corpore miſceri affirmamus, ut commixtum aliud quippiam potius, quā latex iure dici poſſit, quē admodū limus potius humus, quā aqua nominat, ac merū latice perfuſum, magis merum quā latex uocatur.

At com

At commutatio quæ à natura oritur, interdum laticis speciem dissoluit, atque id maxime cernitur quom aqua ex cōmixti corporis natura gignitur, quæ admodum latex in uuæ liquorē uersa merum dicitur, ex quo quidē minime aque speciem nanciscatur. Atque rursum etiam ex natura, sine speciei occasu, laticis mutatio exoritur. Idque non modo alteratione gignitur, ut præclare in latice à sole seruefacto patet, sed etiam commixtione oritur, ut facile in lutu lenta, obliuataque aqua cernere possumus, quæ terrenarum partium concretionem miscetur, ex quo erit fateri necesse, ex quocumque genere laticis hunc salutarē fieri posse aspersum, modo ne species laticis in nihilum intereat. Sed deinceps in disceptationem uocatur, num puerperia debeant trina lustrali aspersione madefieri. Riccardus enim qui in Theologia polyhistor dici potest, nusquam se tutius consistere opinatur, quam si dicat in hoc, orthodoxerum Senatus consultum sequendum ducem. At diuus Thomas cum multas perduellionum secessiones, seditonesque cōmemoret, quibus maxime sit Laticis conuulsus senatus, ob periculi magnitudinem puerperia semel suffundi debere censet, sublatis autem restinctisque seditionibus, trinam laticis aspersionem probat. Eodemque modo perquiritur, num infantibus eiusmodi nostri roris effectus insinuetur. Plerique enim autore Aristotele, uolunt actus agentium in patibili & apto uersari, atqui cum in puerperijs nulla sit lustralis laticis arripiendi aptitudo antegressa, in promptu esse dicunt ab eiusmodi laticice nullum posse in infantibus effectum seri. Scotus uero Theologici principatus audax & capax, infantes eodem hostimento gratiæ compotes esse negat, affirmans quosdam à deo ad dissimillima limina gloriæ, præsignatione secretos. Ex quo etiam à multis interrogationes interponuntur, num repugnantium parentum liberi hac debeant aspersione lustrari. Eidem Scoto qui in quocumque disputationum genere usque eo peruenire uult, quousque intelligentiæ acies intendi potest, inuitorum parētum liberos, ante pubem hoc rore suffundi posse placet, idque publici consilij principis permagni interesse affirmans, cui infantes in R. P. descriptione sunt iure commissi. Nam cum maius regale imperij genus, quam ius parentum arbitretur, permagni putat interesse regis, eum præscribere parendi modum, quo inferius genus superiori subsit, idque ut sæpe solet, similitudine connectit, nam si quispiam inquit. Q. Flaminijs seruus fuerit, ipseque Flaminius Cn. Sempronij seruus dicitur, uehementius laborandum esse regi opinatur, ut is magis. Cn. Sempronio, quàm Q. Flaminio pareat, si modo eo Q. Flaminius ad Cn. Sēpronij imperij perniciem uti uelle uideatur. Ex quo apertū esse permagni interesse regis, summi heri imperium, dominatūque tueri. Ob eamque causam minime regibus interdictum putat, quin possint ex inuitorum parentum gremio infantes euellere, ne prauis, detestatisque cultus traditione inquinentur, ne farietque in parentem deum armētur. Nec multam quidem regibus irrogari debere

debere censet, si modo caueant ne ob id à parentibus puerperia neceantur. Cuius sententiæ amplificator Durandus, hoc quæstionis genus tripartito discerpit, nam quosdam repugnantium parètum filios qui sint à regionibus nostris lōgo interuallo seiūcti, quales Parthos aut Syros nominamus, nullo modo uult hac piaculari aspersione abluī, nec item ex eo genere hominum, qui pactiōne aut uoluntate in prouincias nostras tanquā hospites diuertunt, quales mercatores, siue publicani, aut trapezitæ dicuntur, quos in familiaritatem, & in conuictum asciscimus. At id genus hominū qui sub nostris fascibus uectigal pendunt, quibus perinde ut seruis imperamus, quales Iudæi uocantur, inuitis etiam parentibus geniali aqua madefieri posse opinatur. Contra quem seruidius concaluit Petrus Paludensis, diuus autē Thomas orthodoxo senatui tantum autoritatis impertit, ut magis ritibus eius parendum esse arbitretur, quam edictis, decretisq; eorum qui diuorum fastis ascribantur. Itaq; eam rem ad senatum refert, à quo sciat, nunquam repugnantium parètum filios hoc latice lotos. At mihi quidem huius rei ratio duplex uideri solet, quarum una ob impendentis periculi magnitudinem statuatur, altera quæ iuri naturæ repugnet. Nam si liberi simulac nati sunt, nec dum mentis præstantiam nacti, hoc roris perfusu madefierent, facile progrediente ætate parentum admonitu impelli possent, ut id desererent, quo essent improvida ætate irretiti. Alteram uero naturæ contrariā cēsemus, propterea quod natura filius parentum quippiam putatur. Nam primo is à parentibus, corporis natura non secernitur, quandiu parentis aluo continetur, sed cum maturus partus exit, antequam liberam animi optionem nanciscatur, parètum disciplina, tanquam rationis quodam aluo continetur, at quandiu rationis est impos, paulum admodum à pecudis natura discrepat. Ex quo quidem quemadmodum quispiam ciuium iure in equos, aut canes ius, & dominatū habet, quibus ut est collibitum utatur, ita naturæ iure parentes in liberos rationis expertes imperium & dominatum nanciscuntur. Ex quo concedi fas est contra naturam uideri, liberos in crepundijs, à parentum complexu & procuratione euellere, ac eos nondum rationis compotes, ad aliquod certum uite genus applicare. At cum rationis auctus, & firmitas accessit, iamq; sunt liberam animi optionem nacti, præclare tum intelligi uolumus, eos repugnantibus etiam parentibus, & nostris initiari sacris, & geniali latice expiari posse. Eodemq; modo affirmamus laticis effectum dissimulatione impediti. Atq; etiam negamus infantem rursus tanquam lanam debere mergi. Idq; munus ad flaminem dialem pertinere placet, quanquam id temporū angustijs à profanis, & fœminis obiri possit. Eidem quem cathecismus, & exorcismus additur, quorum alter disciplinæ traditio, alter fontis dæmonis afflictor & exturbator dicatur, repetaturque uterque cum à flamine, tum ab eo qui sit pro puerperio uas factus, ut ritualibus est libris mandatum. Nil

hilòque secius de Iustrali Chrismate perquiritur.

De Eucharistia.

Distinctio II.

**S**ed patefactis incolumitatis nostræ foribus, deinde est de Eucharistia dicendum. In quo quæstionis genere multi quasi in Theologiæ arce præsidium constituent, Eucharistiam sacrum unum esse negant, nam cum id materiæ sacris confici dicant, cumq; in eo duplex materiæ sacrum esse confirmant, fatendum esse uolunt duplex id sacrum uideri, quibus exempta larua autore Aristotele respõderi potest, haud tantum unum dici, quod continuum & insectile sit, sed id etiam, quod absolutum dicatur, quæadmodum hominem unum, & larem familiarem unum dicimus, quandoquidem sit ab solutione unus, ad cuius integritatem explendam cunctorum cumulus accedat, qui ad eius finem flagitetur, quæadmodum homo membris ad animæ munia congruentibus cumulatur. Sed interim magna oritur de materia cæratio. Nonnulli enim quibus maiori curæ est, quemadmodum argutiarum plagas texant, quam quemadmodum ueri iudicium exquirant, Eucharistiæ materiem panem ac merum esse negant, siquidem cum in omnibus gētibus id sacrum fieri debere censeant, negentq; in cunctis regionibus, tritici, meriq; naturam coalescere, præclarum quid se putant adeptos, si dicant panem merumq; haud sanè eiusmodi sacro congruere. Cuius sententiæ obsignatores adhibent, qui id sacrum æque sanis atq; egris congruere debere opinantur. Atqui cum merum sæpe noxam ægris libantibus afferat, iisdem cõprehensibus affirmant, haud merum huius sacri materiem uideri debere. Quorū utrorunq; uersutiloquax ratio conuellitur, cum alteris respondeatur facile quocunq; tantum meri, triticiq; comportari posse, quantum sit ad eiusmodi conficiendi sacri usum satis, alteris dicatur haud sanè tantillum meri ægris libantibus nocere. Quod si tamen meri noxa formidetur, haud senatusconsulti promulgatione cautum esse dicimus, ut ei qui panem libarit, necessario merum sit quoq; libandum. Atq; etiam huius sacri materiem triticeum panem esse putandum est, quandoquidem ad hoc id maxime seligatur, quod generatim facilius suppeditatur ad usum, siquidem ex omni genere frugum homines maxime triticeo pane uescuntur, nec sunt ex zea, uel ex hordeo, siue alia genera panis, nisi tritici inopia, commenti. Itaq; nostri panem ad hūc usum sine fermento pinendum putant, quanquam in Græcorum sacrificio rum libamentis cum fermento adhibeatur. Eodemq; modo edicto sancitur, ne quod ex fictitijs uinum à flamine libetur, nam hydromel, siue myrtiten, & id genus haud iure uina dici possunt, etiam si temeti cognatam naturam nanciscuntur. Rursumque nefas putatur acetum, atq; omphacinum libare, cum satis perspicuum sit tabe merum acescere, nec ex aceto (ut ait Aristoteles) in temetum regressus fiat. Et item omphacinum in ortus itinere confisens, non dum meri naturam nanciscatur. Sed eodē modo ex intima Theor

H logiæ



logiæ officina eliciendū est an Christi corpus uerissime in Eucharistia insit. Diuus enim Thomas qui hoc quæstionis genus ad rationis æquilibriū perpendit, ob eam causam id corpus Eucharistiæ inesse confirmat, quo absolutius cum hominum genere copuletur, nam in ceteris quidem sacrorum generibus Christum cum hominibus participatione iugari, in hoc autē essentia (utamur enim hoc uerbo non pessime) contineri dicit. At Durādus magno ambitu censet perabsurde dici id corpus in Eucharistia quasi contineatur in esse, quando quidem quicquid continetur loco, id necesse sit loco uel corpore, quod loco insit, circumscriptum, aut præfinitum dici. Quorum neutrum eiusmodi corpori congruere posse, perinde ut in Eucharistia inest, sed tantū essentiæ conspectu inesse, idq; se primum cōmentum esse gloriatur. Cui quidem uehemēter atq; acriter resistit Petrus Paludēsis creber, & argutus Theologus, maximeq; repugnat Tolofanus Capreolus, in quo sanè tutius erit, à diuo Thoma, tanquā ab itineris duce, digito latius non discedere. Sed maxime in quæstione uersatur, an eiusmodi corpus cum re incipit Eucharistiæ inesse, re ab ætherijs sedibus absit. Nos enim nisi id corpus motu loci inesse incipere negemus, fateri prorsus cogemur, id ab cœlestibus domicilijs abesse, siquidem quod alicunde mouetur, haud aliquo recenter peruenit, nisi priorem locum deserat. Deinceps quia quod alicunde mouetur, cuncta interiecta intermedia perumpat oportet, quod quidem dici hoc loco nullo modo potest, tum quod haud fieri potest ut eiusdem motum alicunde agitatum ad dissimillima simul statuamus locorū genera præfiniri, cum tamen id corpus in pluribus incipere inesse fatendum sit, quod idem ferè à diuo Thoma connectitur, quanquam eam sententiam circūrodit ingeniosissimus opinator Scotus, affirmans haud eum explicandi modum consentaneum uideri, quo id corpus utrobique aut pluribus inesse probat. Itaq; ob eam causam perquirimus, an ibidem Christus integritate totus insit. Orthodoxei enim itineris securitas est, ibidem inesse totum affirmare, qui autem iter accliuus sequuntur, negant ibidē inesse totum, idq; hoc modo concludunt, transitione meri, libiq; Christus eiusmodi incipit inesse sacro, atqui cum præclare notū sit, haud panem merumq; in animam diuinitatemq; uerti posse, perspicuum est, haud ibidem inesse totum. Quibus de Heroum sententia responderi potest, quoniam panis meriq; transitio haud ad animam diuinitatemq; præfinitur, planè bene liquere, haud eadem ibidem ob uim sacri, sed ob consecutionem certam inesse. Et quoniam ascitum corpus nunquam est à diuinitate seiunctum, quocunq; consistat, ibidem prorsus fatendum est diuinitatem inesse, ex quo intelligi maxime potest eiusmodi sacro inesse diuinitatem quacunq; consecrantem, & consequentem corpus. Quocirca pleriq; nullo modo à diui Thomæ sententia diuelli possunt, qui ait re animam à corpore fuisse secretam. Itaq; ob eam causam inquit, si illo ipso lethi triduo eiusmodi cōfectum esse

esse sacrum diceretur, haud ibidem anima, aut ui sacri, aut certa consecutio  
ne affuisset, sed quoniã post resurrectionẽ nunquam est à corpore anima di  
uisa, ob eam causam ibidem & corpus ui sacri, & anima certa consecutio  
ne inest. Cõtra quem studiosissime Scotus, Aureolus, & Henricus Ganden  
sis uaria cuspidum genera exacuunt, sed in Bernardum Gannacum, & Hen  
ricum acerrimos bellatores incidunt, qui diui Thomæ causam tueri uolũt,  
quanquã is qui ad omnes ictus obcalluit patrociniõ non eget, sed tanquam  
unguentum confriõ uehementius olet. Verum deinceps magna inter no  
stros de aduẽtitijs quæ eiusmodi sacro resident, est orta disputatio, quanquã  
permagni interest scire quales effectus consequantur. In quo sanè meminer  
imus, ab his gratiæ, & gloriæ fontes oriri, atq; etiam intelligendũ est, eum  
qui capitali tabe uexetur, haud eiusmodi sacri effectum nancisci posse, sed  
ignoscibilem labem deijcere, muniriq; tanquam lorica quadam contra sce  
ra futura. Quinetiam sciri debet id non modo ad libantem, sed etiam ad cæ  
teros manare, cautumq; esse lege, ne quis flamen id notissimis depeculatori  
bus, siue danistis, aut damnatis hominibus libandum præbeat. Eodemq; mo  
do eos excludi qui naturæ ortu insani dicantur, non qui stolide desipiant, te  
nuemq; uim rationis nanciscantur. Iam illud etiam notum est, profusione sei  
minis nocturna, si modo cum capitali tabe fiat, eiusmodi libum pocillumq;  
impediri. Similisq; est ratio eorum qui ante eiusmodi sacri libum ientarint,  
nam à ieiunis hoc sacrificij genus obiri debere putandum est. Sed & pia  
tori flamine sacrificandum prius esse uolumus, quam libum multitudini di  
spertiat, nec ei à sacro cessationem dari placet, etiam si minime publici delu  
bri flamen esse dicatur.

De sacramento pœnitentiæ.

Distinctio III.

**A**C expositis duobus generibus sacrorum, deinceps de cæteris dicen  
dum puto, quanquam primum incidit contentio, num pœnitentia  
sacrum uideri possit, si quidem Durandus æquius defendi posse cen  
set, si id pœnitentiæ sacrum esse negetur, & liberationis, confessionisq; sacrum  
dicatur, quando quidem id in utraq; tanquam in suapte materia formaq; con  
sistat, in quo quidem tuendo, multa sunt ab eo ueteratorie, & acute collecta.  
Nos enim hoc loco, ne qua ei nominatim nota inuratur, contrariarum rati  
onum ferramenta omittimus. Sed ex senatus sententia respondemus, id iu  
re pœnitentiæ sacrum nominari, cum propter principem finem, quo sonti  
bus multa irrogatur, compellunturq; ad faciendum deo satis, tum propter  
id etiam, quod quæcunq; ad eiusmodi sacrum accedunt, pœnæ rationẽ nan  
ciscuntur, quemadmodum est contusi hominis inexhaustus dolor, hæsitans  
confessionis pudor, flaminisq; nexus ad multam, & quæ sunt generis eius  
dem. Sed interim est nata cõtrouersia, num his quem sceleris patrati tedeat,  
ex criminum sordibus cum eodem gratiæ uirtutisque hostimento emergat.

H 2 Scotus enim

Scotus enim eum ingentiorē gloriam euasurum putat, à cuius disciplina non longe aberrat Aureolus. At Henricus Gandensis homo in disceptando perpugnax, cunctos in eandem gratiæ æquationem emeruros opinatur. Contra quem maxime Bernardus Gannacus, reiecta penula ad luctandum prodit, in quo minime nefas erit confectari medium, quanquā exoritur pugna mirifica, an cumulate ab homine pro scelere, deo fieri possit satis. Nos enim nexus multarūq; hominum liberationem, in Christi persolutione consistere dicimus, quæ omnia multarum genera delerit. Ex quo intelligi necesse esse, cuiuscunq; persolutionē, in Christi persolutione consistere, quem admodum in quocunq; genere minus absolutum, ex absoluto nascatur. Ad quam quidē sententiam diuum Thomam suffragatorem adhibemus. Quamquam pertinet ad hoc quæstionis genus, de pœnitentię partibus inquirere, quarum quidem enumeratio tripartita est. Earum una contusio, altera confessio, tertia persolutio nominatur. Contusio enim est angor ob patrata scelera susceptus, cum confitendi & persoluendi uoluntate, uel flens animi demissio, ex scelerum memoria, ac ex impendentis iudicij formidine manans, siue contractio, aut animi morsus cum obiurgatione sui, inter spem & metum in hærentia criminum ulcera depellens. Confessio autem est, quæ spe ueniæ, uulnera abstrusa detegit, & morbum (ut dicitur) in uola ostendit. Persolutio uero est, quæ stirpitis scelerum causas euellit, aditu adeuntes arcēs. Sed contusio hoc modo describitur, ut cum uoluntaria sit, ob culpam, non ob multam oriatur, nec ab originis labe dimanet, quandoquidem haud id malum sit uoluntate nostra contractum. Cōfessio autem nexus dicitur, quo omne genus hominum, quod capitali tabe uexetur, obstringitur, eiusq; munus ad flaminem dialem pertinet, quando scilicet in angustum necessitas detruditur. Itaque pœnitentem afflantem animam non modo criminibus patris, sed etiam pontificio interdicto, ex senatusconsulto, à flamine liberari posse manifestum est. Eius autem fons ægrotationis integritas nominatur, quæ est flamini tanquam medico aperte expromenda, ut totius corporis ægrotudo, quasi ulcus dempta spina sanetur, ob eamq; causam senatus promulgatione cauetur, ne qua confessio aliena uoce, aut ex syngrapha fiat. Persolutio autem ex multarum operibus conficitur, ea sunt donatio, ieiunium, oratio, quorum unum ex externis, alterum ex corporis, tertium ex animi commodis elicitur. Donatio enim quæ à Græcis Elemosyna dicitur, est benignitas, ope egentissimum quenq; fouens. Ieiunium anniuersaria est esurialis feria, & uoluntaria continentia. Oratio est uocis, mentisq; intima precatio. Sed plusculum litis in clauium disceptatione uersatur. Multorum enim pedariorum Theologorum sententia est, senatum ætherijs clauibus non egere, affirmantium haud opus esse clauibus ad eam ingrediendum ædem, cuius ianua sit euulsis cardinibus patefacta. Nam cum diuo Ioanne auctore, sa

tore, salutaris Christus cœli fores patefactas dicat, concludi posse, Latium  
 senatum clauibus ad cœlestem aditum non egere. Quod argumenti genus  
 si in orthodoxea incude tundatur, per facile dicetur, semper ætherias fores  
 suapte natura patere. Sed quibusdã occlusum in cœlum aditum affirmetur,  
 propterea quod suoapte pōdere superiora capeffere nequeant. Onus autem  
 naturæ humanæ, Christi est litatu & perpeffione sublatū. Itaq; cum quibus  
 dam modo ob originis nexum, quotidianumq; scelus, cœli ingressum præ  
 clusum & obstructum dicatur, ob eam causam genus humanum Latij sena  
 tus clauibus egere affirmat, atq; illud etiam perquiritur, an flamē in quenq;  
 clauium imperio, uti posse uideatur. Durandus enim uaserrimorum argu  
 mentorum prodigus, quenq; à quocunq; flamine liberari posse censet, cui  
 quidem maxime fauet multitudo quædam uix Theologorum nomenclatur  
 tori nota. At multo sanior est Petri Paludensis partitio à diui Thomæ disci  
 plina manātis. Nos autem in senatu summum quoddam imperij genus con  
 stitutum dicimus, cui reliqui pareant, ex quo in quosdam circumscriptum  
 dominatum nanciscantur. Cum autem ætheriarum clauium usus, aliquod  
 imperij ius flagitare uideatur, ob eam causam dicimus eum qui summi im  
 perij potestate nitatur, iisdem uti in unum quenq; posse, non autem eos, quo  
 rum sit præfinitus & circumscriptus dominatus, nam ijs præterquam in di  
 scrimine animas efflantium, in eos solum qui sibi sorte obtigerint potestas  
 utēdi datur. Quanquam aliqui Theologorum dissensione certatur, cuiusce  
 modi senatus indulgētia dicatur. Diuus enim Thomas religiosissimus Chri  
 stianæ salubritatis custos, eam indulgētiā (audeamus enim hoc uerbo uti)  
 quæ est senatus promulgatione decreta, aliquid uirium non modo in sena  
 tus foro, sed etiam in iplo dei iudicio, nancisci uoluit. In quo sanè locupleti  
 or non esset exquirendus autor, nisi in eum directis contis Aureolus, & Du  
 randus tanquã uelites decurrerent. Itaq; ob eam causam Christi diuorumq;  
 litatum quasi R. P. ærarium quoddam dicemus. In quod tanquam in urnam  
 generatim quisq; usq; eo uectigal iniiciat, quoad expleatur, nec tamen exple  
 tam futuram dicimus, nisi in busto deflagrati, & cines facti mūdi, ex quo tam  
 multiplicem indulgēdi facultatem oriri uolumus. Sed multi Theologorum  
 tunicati, qui uelut mirmillones, aut thraces in uulgi cœtu gladiatoria specta  
 cula ædiunt, hoc indulgētiæ munus, tanquam inutile explodunt, affirman  
 tes inutilem muneralem ambitum uideri. Atqui cum in hoc genere spiri  
 tus bona, ob externa dari dicant, quo scilicet in fanis aut ualitudinarijs publi  
 cis construendis profundantur, cumq; eam permutationem, munerale am  
 bitum esse opinentur, fatendum esse uolunt, id indulgētiæ auctorametum  
 inutile uideri. Quibus sanè responderi debet, nullo modo spiritus bona, ob  
 externa, nisi ex aduentitio dari, nam cum ob delubra, aut ualitudinaria con  
 struenda tribuunt, non ob id dari dicimus, ut in ijs habeant aliquem sistendi

locum, sed ob comitantē manantemq; spiritus utilitatem dari, ex quo haud sanè ob externa dari affirmamus, nisi quatenus ad spiritus bona prætexunt. Atq; etiam pleriq; hominem ob multæ nexum, à gloria adipiscenda reprimi, & retardari uolunt. Sed si indulgentiæ auctoramentum tantidem ualiturum dicatur, quanti feratur, per facile posse hominem affirmat, si indulgentiæ gyro decurrat, temporaria multa liberari, ex quo perspicuum uideri, hominem cæteris reiectis adiumentis, in hoc unum munus incumbere debere. Quibus à dynastis nostris respōderi solet, quod quanquam uehementer hoc indulgentiæ auctoramentum ad multæ liberationem ualiturum dicatur, uehementius tamen quædam per solutionis genera, ob essentiæ præmii mereri, quod longe sit temperariæ multæ liberatione præstantius. Sed maxime in controuersiam & disceptationem cadit, num cōsentaneum sit probos quosdam manes, cum è corpore excesserint, apud expiatorē Orcum multari. Nonnullis enim uisum est, nullum tam nefarium scelus inueniri, quin possit multarum perpeffione in uita expiari, modo multa æquo animo perferatur, atqui cum mors summa multarū carnificina sit, in promptu esse poenitentem perferentemq; constanter morte expiari posse. Qui autem ne in festinationibus quidem quicquam de passuum tarditate remittūt, per facile respondent lethi naturæ multam, haud ob patrata actu crimina facere posse satis, quando quidem sit homini ob originis malum constituta, quanquam haud negent ui illatam necem, quæ dei spe & nomine constāter perferatur, concreta eluere scelera posse. Ex quo causa inquirēdi datur, num expiabilium manium sit quidam certus receptator locus. Vgo enim Victorius, affluens & locuples Theologus, negat ullum certum expiatorem esse locum, affirmans iisdē locis multari manes, quibus sit culpa contracta. Maior autem pars eo delabitur, ut Ditis antrum uelit in quatuor distributū esse partes, nam imis sedibus animas actu pollutas ob patrata scelera plecti dicunt, alteram esse in qua originis tabe inquinati crucientur, tertium tartareum esse locum Riccardus Villa opinatur, quo sublimes animæ, herentes criminum sordes eijciant, quanquam quosdam manes alibi labes eluere posse dicat, quo scilicet quarundam rerum indices & quasi internuntij sint, hominesq; ad inferias, & parentalia suffragandiq; studia impellant, ac in perferendo, sensili aliqua notitia ratum dei ultoris æquilibrium ostendant. Quartum uero modo animalibus uacuum esse uult, quo Heroū, & uatum manes subsidisse dicantur.

*De sacramento extremæ unctionis.*

*Distinctio IIII.*

**A**C quatuor his generibus sacrorum, quinta adiūgitur extrema perunctio. Quo in genere multorum sententia est, haud id lustrale sacrum à Christo, sed à pedissequis discipulis fuisse latum, quam obrem nō nulli omnia sacrorum genera à Christo constituta dicunt, sed quædā ex hijs ab eo lata,

ab eo lata, quorūdam uero lationem alumnis referuatam fuisse, cui quidem sententiæ ex parte magna diuus Thomas assentitur. Sed incidit contentio, num eiusmodi sacri finitima materies oleum dicatur, quod pontifices sacri-  
 ficio certo consecrarint. Durandus enim argutiarum auceps, spinosiora ar-  
 gumenta nectit, quibus probare conatur haud eiusmodi sacri materiem ole-  
 um à Pont. consecratum esse oportere, quando quidem Christum nullo cor-  
 poreo olei perfusu ulum dicat, quæ sanè argumentorum genera præclare à  
 Petro Paludensi retexuntur, qui nunc in magno Theologorum theatro ses-  
 sum recipitur. Sed interiectus est moderator diuus Thomas, qui perinde id  
 sacrum in lustrali illitu, ut baptisma in laticis aspersione, consistere arbitra-  
 tur, eiusq; materiem, oleum consecratum esse censet. Et propterea in eam  
 sententiam itur, ut eiusmodi sacri princeps effectus criminum liberatio uoce-  
 tur, ex quo id primo ad infidentium scelerum ægritudinem sanandam insti-  
 tutum putatur, quod spiritus quædam sanatio dicatur. Itaq; ob eam causam  
 haud id contra eas defectiones adhiberi affirmamus, quibus spiritus uita a-  
 dimatur, quemadmodum cōtra originis, & capitale malum, sed contra eas  
 defectiones dari, quibus homines spiritus ægritudine opprimantur, hebet-  
 tenturq; ad gloriæ actum nanciscendum, quod quidem haud quicquā aliud  
 iure dici possit quam imbecillitas eneruata, siue socors, & inepta quædā he-  
 betatio, quæ hominibus ob crimen actu patratum, originisq; tabem relin-  
 quatur, contra quæ mala homines hoc lustrali sacro muniantur. Quamob-  
 rem senatus consulto cauetur, ne quis profanus, aut minister flamen, qui à  
 Græcis Diaconus nominatur, illinendi facultatem usurpet, néue etiam insa-  
 ni illinantur, nisi qui stolide amentes sint, quiq; interposito spatio ita resipi-  
 scant, ut sentiant ui sacri, scelerum uestigia dilui, eodemq; modo infantes rei-  
 pelluntur, qui nondum sint uim, præstantiamq; intelligendi consecuti, quiq;  
 ut præclare ait Riccardus, nondum ignoscibili tabe inquinantur, cuius qui-  
 dem mali liberationem in eiusmodi sacro unam è multis antesignanam &  
 principem esse opinatur. Atq; illud etiam sancitum est, ne ualentibus aut in  
 quocunq; ægritudinum genere, adhibeatur, quando quidem id sacrum exti-  
 mum dicatur, quod senatus adhibeat, homines præparās, & perpoliens ad  
 gloriam, & propterea eos tantum illinendos esse dicimus, qui in ipso sint ui-  
 tæ excessu constituti. In quo etiam intelligendū est, omnes corporis partes  
 illiniri non placere, sed cum id sacrum curatio quædam dicatur, corporisq;  
 curatio haud cunctis corporis partibus, sed morborum tantum fibris medi-  
 camenta adhibeat. Cum autem omnis nostra notio à sensibus oriatur, ubi  
 facinorum scelerumq; ortum esse dicimus, ibi hoc lustrale per-  
 unctionis fomentum esse uolumus, ob eamq; causam  
 à flamine sensuum sedes obliniri.

Itaq; quoniã cuncta sacrorũ genera persequimur, testare deinceps uide-  
 tur, ut de ordinis sacro dicat. In quo quidẽ fateri cogimur opificẽ, & effo-  
 ctore mundi deum, opera ad sui simulacrũ ædere uoluisse ut absolueren-  
 tur. Quamobrem ne eiusmodi decori species senatui deesset, eam est in ordi-  
 nes, tanquã in membrorum quãdã genera partitus, ut essent qui stata sacra  
 obirent, eaq; more ritulq; cæteris præberent. Ex quo præclare dux sententia-  
 rum ait, ordinis sacrum, signum quoddã esse senatus, quo spiritus imperiũ ini-  
 tiato tribuat. Quam quidẽ definitionẽ diuus Thomas maxime probat, affir-  
 mans mirifice ordini consentaneã uideri, quatenus scilicet senatus sacrum di-  
 catur. Sed in eadẽ curuli sella cõfessor Scotus, negat eiusmodi sacrum spiritus  
 imperium ad actum quempiã in senatu nancisci, cum quo ab Aquinatibus  
 summa contentioee pugnatur, in qua quidẽ re utruinuis cõcedi potest. Sed  
 nata controuersia est, utrum in eo qui in ordines cooptetur, uitẽ sit flagitan-  
 da probitas, in quam sanè quæstionem multi cum arcessuntur, negligenter  
 ut sunt amicti prodeunt. Itaq; quempiam ob sacrorum partitionem initiari  
 dicunt, sed cum sacra affirmant æque probos ac improbos dispertiri posse,  
 facile intellectu esse, uitæ non esse postulandam probitatem. Quibus respon-  
 deri debet, in quocunq; sacrorum ordine, dum quis ceteris dux cõstituitur,  
 eum in quocunq; genere impudenter delinquere, si modo cum capitalis faci-  
 noris morsu inicietur, ob eamq; causam in ordinũ genere, edicti non sacri ne-  
 cessitate, uitẽ integritatẽ flagitari. Cui quidem sententiẽ ita sunt nonnulli as-  
 senti, ut initiatum tamen censeant, legis cõmentariorumq; sacrorũ gnarum  
 esse oportere, siquidem eum legis peritum esse debere opinantur, cuius ex  
 ore, ius fasq; religionis hauritur. Atqui cum lex diuo Matthæo autore, ex  
 flaminis ore haurienda sit, in promptu esse, flaminẽ legis debere nauiter esse  
 peritum. Nos uero in quocunq; hominũ actu, si ad ratam ordinis mentionẽ  
 referamur, rationis amissim inesse oportere dicemus, quo constituto, faten-  
 dum esse affirmamus, flaminẽ quo ordinũ munia exequatur, tantũ legis de-  
 bere nosse, quantũ sit ad eius ordinis actum ineundum satis. Sed permagni  
 refert, quot ordinum genera numerẽtur. Pleriq; enim quibus est inter Theo-  
 logos eruditos locus, multum negotij sibi cõtrahunt, dum nominatim iani-  
 torẽ, uaticiniorum præcentorem, anagnosten, exorcistã hypodiconũ, acol-  
 lythum, diaconum, & pontificẽ in ordinũ uarietate recensent. At sententia-  
 rũ principi syncero, & grandi Theologo, septem ordinũ genera esse placet,  
 quod idem diuo Thomæ placere sensi, eiq; maxime Riccardus assentit, quẽ  
 in summis Theologis habitum uidemus. Idq; etiam ratione probatur, nam  
 cum eiusmodi sacrum ob Eucharistiẽ statutum sacrificiũ, inuentum dicatur,  
 abesse non potest quin ministri quoq; ædesq; sacrentur. Quẽ quidem sacra-  
 tio, ordinis sacrum nominatur, quẽque uim obtinet eiusmodi Eucharistiæ  
 conficiendi

conficiendi sacri, ministrosq; initiandi candidatos. Eius autē muneris est descriptio duplex, siquidem sacratio ad flaminem, obsequium autem ad ministrū pertinet. Itaq; diaconi propriū munus est ad parationē, non ad sacrationem litanti flamini suppeditare. Hypodiaconi autē certum est, & definitum ius, cum litat, libū in poculis, & donaria aris inferre, similisq; est prope Acolythi descriptio, qui libū offert, ac uinariū simpuniū, gutturniūq; aquarium preparat ad sacrum. At obsequium quod ad libantiū cultum flagitatur, rectissime contra tabificos inquinatosq; institutū putatur. Quorū quidem triplex est genus, unum quod inficianti perfidia ad credendū obcalluit, cui generi quoniā ita interdictū est, ut non modo eorum cōgressus, sermonesq; uitētur, sed etiam à delubri aditu arceantur, ob eam causam ianitores opponuntur. Alterū genus est eorū, qui quanquā uehemēter credendi studio flagrent, adiuuētis tamen, instrumentisq; credendi carent. Itaq; ob id anagnostæ, instituendiq; magistri adhibentur, quorū traditione ad credendi studiū instituuntur. Tertiū genus eorum est qui fidēter & planē bene instituti sunt, sed carnificis dæmonis nexu obstricti tenentur, contra quos armatus exorcista prodit, qui uincula fando dissoluit, inquilinūq; dæmonē ex aliena domo deturbat. Atq; etiā idem de initiantiū potestate perquiri. Pleriq; enim qui nondum latum clauum in Theologia sumpserūt, negant, ad solum pontificem initiandi munus pertinere, propterea quod dum sacerdotijs comitibus candidatus flamen initiatur, non modo à pōtifice, sed etiam à flaminum collegio manu attingitur, ex quo intelligi dicunt, haud soli pontifici ius initiandi dari. Sed præsto est præclarus autor Riccardus qui pontificis manus coniectum, initiandi ius habere confirmat, flaminum autē iniectum, sodalitatē, consociatamq; concordiam indicare. Quo loco haud secus dicimus pontificis potestatem, ac politicam, in inferiori ordine uersari, quæ ut ait Aristoteles inferiori generi præscribit uiuendi modū, quomodo scilicet quisq; quousq; & quas uitæ actiones persequi debeat. Qua similitudine, pontificis permagni interesse affirmamus, quosdam ad sacra conficienda adhibere, in quos ius cōfirmandi nanciscatur, quod cum ita sit, intelligi etiam debet, ius ei in assisterio uirginum initiandarum dari. Ob eamq; causam contentio accidit, num pontifex qui in hæreseos latrina cœnum uolutata colligat, ius initiandi nanciscatur. Multi deum dicunt principem esse initiandi causam, initiantem autem uim instrumenti consequi. Atqui cum instrumenti uis feriatæ consistat, nisi principi agitatori annectatur, persuasum esse uolunt, pontificem nullo modo ius cooptandi consequi, nisi in initiando autori rerum deo copuletur. At cum perduellionem pontificem deo negent in initiando iugari, concedi necesse esse affirmant, eum initiandi ius nullo modo consequi. Quod dissectum argumenti genus, Riccardus celerius gypso agglutinari putat, si arctius ratione astringatur, queraturque utrum perduelliones pontifices



pontifices ad senatus præscriptum initiati sunt, si initiatos fuisse negent, per facile respondet eos nec pontifices debere dici, nec nancisci ius initiandi; si autem initiati dicantur, consentaneum esse eos pontifices nominari, sed ijs muneris potestatem ademptam esse faretur, quando quidem eiusmodi perduellionum generi, ita pontificia execratione interdicitur, ut ijs omnis muneris potestas adimatur, quod cum ita sit, effici dicit eos nullum nancisci initiandi ius. Ex quo est data causa cur nonnulli pontificem perduellionem si postliminio redierit, in collegium recipi iterum debere negent. Id si ita est, fatendum esse, his nullo modo adimi initiandi ius. Diuus aut Thomas permagni æstimans quorsum euasurus sit, haud his ius initiandi, sed gratiam adimit, idque non infirmitate sacri, sed candidatorum scelere, accidere opinatur, qui senatus iniussu initiari uolunt. Eodemque modo de exauctoratorum genere disputatur. Quanquam interim de munerali ambitu, quam simoniam uocant nascitur certamen, inquiriturque primo, num qui eiusmodi ambitus postulatur, exleges nominandi sint. Quibusdam enim placet eiusmodi ambitum ignoratione excusari, quando quidem accidere posse dicant, ut quis inscius initietur, ambitumque obrepit ad ordines, qui exlex nullo modo nominandus sit. Contra quos Riccardus ex subsellijis in rostra descendit affirmans omnino eum exlegem debere putari, quando quidem ita sancitum sit, ne quis qui muneralis ambitus postuletur Pont. Max. iniussu, aut sine consignatis diplomatibus initiari possit, quanquam id intelligi debere opinatur, si sciens pepigerit, ob idque nummos persoluerit, propterea quod si eo imprudente nomina facta sunt, ut initiaretur, quanquam ordine & munijis abire cogatur quoad id Pont. Max. instauratitia uenia ratum habeatur, negat tamen eum exlegem debere credi.

*De sacramento matrimonij.*

*Distinctio VI.*

**N**Vnc autem erit de coniugij sacro proprius disputandi locus. In quo plerique qui se in Theologia tanquam in armilustrio ostendunt, id ius naturale esse uolunt, quod cunctis generatim animantibus, naturæ communitate inferitur. Atqui cum in cæteris coniunctio sine coniugali toro cernat, negant coniugium debere naturale dici. Nos autem quippiam naturale bipertito metimur, nam quippiam ex principiorum genere, naturæ necessitate ortum esse affirmamus, quemadmodum ignem dicimus supera suapte natura capessere, ex quo genere nec connubiū, nec id quidem quod libera optione cumulat, naturale dici uolumus. Alio uero modo quippiam naturale expendimus, ad quod appetendum natura moueatur, quod quidem intermedia animæ optione explet, ut actus naturales nominantur, ex quo genere probamus connubiū naturale dici, quando quidem ad id naturæ ratio, cum appetitione moueat, precreandi causa. Ex quo præclare Aristoteles liberos à parentibus tria bonorum genera arripere opinatur, quæ ortum, uictum, ac disciplinam nominat.

*Nec enim*

Nec enim liberi à parētibus, ali instruiq; poterant, nisi esset quoddā certum parētum circumscripsum genus, quod haud sanè accidere posse manifestum est, nisi quidam certus connubiorū nexus circumscriberetur. Atq; etiam naturæ ratio impellit, ut homines societate colere inter se & in cōubernio uiuere uelint, quandoquidē haud sibi quisq; cuncta suppeditet, quæ ad uitæ degendæ rationem flagitatur. Cum autem duplex sit natura generis humani, cumq; earum rerum quæ uitæ defunt, quædam ad uiri, quædam ad mulieris genus pertineant, sic est natura comparatum, ut mares cum fœminis copulatione quadam coniungantur, quæ (ut ait Aristoteles) cōnubium maritale dicatur. Quanquam maxime in contentione adducitur, num coniugium sit in ipso sacrorum genere numerandum. In quam quæstionē Durandus esset chirographis ob signatis accersendus, quod aliquandiu in ea sententia contentiterit, ut ostendere uellet haud iure connubiū dici debere sacrum, sed cum uideret omnium prope Theologorum dimicationem sibi esse subeundam, ne de senatus curriculo deflectere uideretur, hac est præcauente flexus solertia sic usus. Siquidē cum connubium in sacrorum genera referret, negandi tamen ansam quandam relinquit, cum confirmat uniuocum esse cum cæteris. Quod quidem argumenti genus, tanquam puluis in eum ipsum refunditur, qui excitauit, nam eodem prope modo probari posset nullum sacrum uniuocum esse cum cæteris, quandoquidē per facile iudiciū sit, nullum inueniri sacrum, quod non quippiam propriū nanciscatur, quo discrepat à cæteris. Itaq; iure in hoc Capreolus cachinnū tollit, dum eius dialectice exiguo Parisij ponticulo cōfert. Sed intelligēdum quoq; est, num ex cōnubio gratia nascatur, idem Durandus in eiusmodi disceptatione dicit, aliud pontificaliū legum gnaris, aliud Theologorū principibus uideri solere, nam ijs qui pontificū edicta, ad senatus præscriptū syllabatim explicāt, negat uisum esse ex cōnubio gratiā oriri, quandoquidē affirmet ad sponsalia precij pactionē accedere, in cæteris autē sacrorum generibus ex quibus gratia nascatur, pacisci, aut nomina facere, fas esse negent. Quorū quidē sententiam, cum uelut Vaticanū obeliscū admiret, eorumq; dicat præscripta, editaq; oracula in eiusmodi causa, nō modo senatus cōsulto, sed etiā uicatim à flaminibus paganis rata haberi, quorū maxime interfit scire quid sanciat senatus, nullo modo sibi interdictū putat, ne eorū sententiæ nomē suū ascribat. Cui festine occurrit tota illa Durando mastix cohors, quæ affirmat pontificaliū legū gnaros si temerè in Theologicū fundū irruant, nihilo certius se scire explicare, ac Theologos iuris rudes, si ex iure manu confertū uocentur, in quo præclare illud Appellatū usurpāt, ne scilicet sutor supra crepidā dijudicet. Nos autē connubiū non modo sacrum, sed etiam naturæ munus esse uolumus. Itaq; ob eam partē qua sacrum nominatur, cum in senatus partitione cōsistat, haud dicimus in emptione, aut licitatione uersari, quandoquidē sit pmulgatio lata, ut si quis

ob sponsa

ob sponsalia sacra pecuniam acceperit, non modo repetundarum, sed etiam  
 tnuneris ambitus postuletur, senatusq; censura plectatur. At ob eam par-  
 tem qua naturæ munus nominatur, haud quaquam in cōnubijs de paciscen-  
 do, aut de pecunijs capiundis cautū esse dicimus. Sed in hac quæstione per-  
 multum interest, utrum coniugium boni quippiam nanciscatur, quo excu-  
 sari posse uideatur. Hoc loco illud natum est, quod diuus Thomas arbitra-  
 tur, ut sapientem dicat sine hostimento equalium, aut ingentiorū bonorum,  
 iacturam non laturum. Ex quo cuiuspiam selectionem, cui damnum adhæ-  
 rescat, boni cuiuspiam accessione egere opinatur, cuius hostimēto ornetur,  
 ad ratamq; ordinis mētionem reuocetur. At cum in nuptialibus facibus de-  
 trimentum nascatur, propterea quod ita ratio ueneria uoluptate elidatur,  
 ut haud inde quippiam (ut ait Aristoteles) intelligendo complectatur, ob  
 eam causam connubij selectionem ad ratam ordinis mētionem reuocari  
 posse negat, sine cuiuspiam boni hostimento, quo maxime coniugium orne-  
 tur, quibus quidem generibus bonorum, connubia excoli, & excusari arbi-  
 tratur. Cum quo maxime congregi acerrimus gladiator Scotus, affirmans  
 haud connubio ob rationis iacturam quædam bonorum genera contingere,  
 quibus ueneris actus excusetur. Cuius sententiæ est astipulatrix incredi-  
 bilis Scoteorum multitudo, quanquam ipse diuus Thomas ut musicus inter  
 obstrepentium uoces, nihilo minus recte canit. Atq; item dubitatur, utrum  
 sponsaliorum ius, rite futuri connubij uadimonium dicatur. Nobis enim ex  
 consensu futurum pollicente, haud quidem connubium, sed connubij spon-  
 sionem oriri placet, quæ sponsalia dicantur. Duplex est autem sponsaliorum  
 genus, unum simplex, alterum circumscriptum. Simplex enim in quatuor ge-  
 nera distribuitur, nam & nudum quoddā sponsionis genus nominatur, cum  
 utrinq; dicitur: Ego te coniugem despondeo, alterum in quo dotale symbol-  
 lum, siue *ἀγγελίον* ut Græci dicunt, aut quid tale præ manu datur, tertium quo  
 pronubus anulus coniugalia auspicia continet, quartum, quod iureiurando  
 confirmatur. At cum sponsio circumscribitur, tum sunt pactionum genera  
 distinguenda, propterea quod aut honestum est pactionis genus, aut turpe.  
 Honestum enim necitur hoc modo, si P. Cethegus pepigerit se Fabiam dū-  
 cturum modo parētibus libuerit. At turpe pactionis genus bipertitum est,  
 ut si Q. Cæcilius dicat se Posthumiā ductum ire, si ueneficijs fecunditati  
 offecerit, uel si sponsionem facit cum Gellia Seruilius, si ad furta, & peculatū  
 adiutrix fuerit. Rursusq; ex eo genere certatio nascitur, an tacito consensu,  
 connubij iura obstringantur, nam multi hac etiam recētiori expolitione tol-  
 lerabiles Theologi, connubiū mutuo consensu contineri uolunt, quod uer-  
 bis aut signis quibusdam constare uideatur, ob eamq; causam mutos etiam,  
 & elingues coniugio colligari posse dicunt. Quorum è numero magnus &  
 nobilis autor Riccardus eos etiam absentes, qui ne de facie quidem inter se  
 norint,

norint, utrorumq; nomine, aut ex chirographo iugari posse cēset. Sed omiſſa conſenſuum diſſimilitudine, de his quę connubia impediunt dicendū erit. Itaq; intelligendum eſt, errore connubia impediri, eius autem genus in quatuor eſt partes diſtributum, quarum una ab homine, altera ex fortuna, tertia ex cōditione, quarta ex pœotete elicitur. Ab homine enim ducitur hoc modo, ſi Fabia agit ex ſponſu, quando ſcilicet ſe putat Q. Cæcilio nupſiſſe, qui ſit repertus Cerhegus, à fortuna, ſi quem Cræſum opinaret, Codrum eſſe intelligat, à cōditione, ſi pro ingenuo ſeruum eſſe ſentiat, à pœotete, ſi quem probum crederet, improbum cognouerit. Quo loco dicimus mancipia, erogaſtulaq; uenalia, coniugio implicari nequire, propterea quod ſponſaliorū ius, unum alteri ad æs alienum perſoluendum aſtringit, cum autem is qui aſtringitur nullo modo ſoluendo ſit, per facile intelligi poteſt, hac ignorantia ne propoſita ius ſponſaliorum diſſolui. Eadem ratio eſt habenda uoti, in quo diuo Thomæ uiſum eſt, duplex eſſe uoti genus, unum ſimplex, alterū, quod rite in ſacerdotijs comitijs à candidatis fiat. In quorum altero connubium futurum, nō obſignatum diſſui, in altero utrumq; dirimi opinatur, ubi magna eſt ei cum Scoto contentio. Quo circa data eſt cauſa indagandi, an is qui rite in comitijs cādidatus uouerit, Pont. Max. recuperatoria uenia liberari poſſit, cuius quidem loci multa ſunt à Petro Paludenſi, à Durando, & Aureolo diſputata neruoſius, maximeq; eius quæſtionis genus perſequitur, ex Theologorū omnium conſurrectione notus Albertus, quem locum uberius complectemur, cum ſeparatim de Pont. Max. poteſtate dicemus. Nunc autem uidendum eſt, qua nam propinquorum colligatione connubia impediri dicantur. Nihil eſt enim peruerſius, & quod magis à ratione deſciſcat, quam filiam ſociam cū parente iugari, cui ſit ſubiecta lege naturæ, quando quidē ab eo uelut à ſeminario dimanet, ob eamq; cauſam naturæ lege, ſunt parentum coniugia ſublata. At cœleſti iure præſcriptum eſt, nequa primi, aut ſecundi limitis neceſſitudo attingatur, idq; ob eam cauſam factum eſt, ut libidinum occaſio tollatur, quando quidem eiufmodi propinquorum genus in contubernio uiuat, in quo lena inſidiatrix Venus, amatorumq; uirus exciſtetur. Sed ſenatus conſulto, tertia, quartaq; limitum propinquitas, tanquam inceſta adimit, propterea quod uſq; eo arcte naturalis neceſſitudinis nexus obſtringatur. At poſt eam neceſſitudinum decretam metam, libera promiſcua connubia, ad euaneſcentem amorem reuocandum fieri poſſe uoluit. Eodemq; prope modo de conſobrinorum, ſobrinorumq; colligatione diſtinguitur. Atq; huic etiam generi finitimus eſt de adoptione locus, cuius interuentu coniugia impediri dicimus. Nihilóq; ſecius de impuberibus, de ameniſſimis, de ueneficijs, atq; de inceſtis diſputatur. Sed maxime hoc loco quæritur, an in uxoria actione ob mœchatū, uir uxori repudium remittere poſſit. Noſtris autem placet ſeptem excipi genera debere, quibus ob adulteriij pro-

brum, minime uxori repudium remittere liceat, nam si uir pellicatus postuletur, aut si coniugem ad mœchandum impulerit, fieri nullo modo potest, quin uxori talio, actioq; uxoria detur. Nec etiam quicquam est causæ, cur uxori repudij multa irrogetur, si quãdo satis de uiri nece liquet, alteri nubat, ac ne illud quidem ei obfuerit, si uis illata sit, aut dolose uiri nomine attrecta fuerit, nec multo sanè secus agendum erit, si uir post probrum uxorem attrectarit. Ex quo nihil est etiam cur modo de eorum genere dicatur, qui in hæreseos cœno obfignatis sponsaliorum tabellis, uxoribus repudia remisserint. Copiose enim & cumulate hæc nostri aperiunt, nam non modo de se cubatione & cœlibatu, sed etiam de æris alieni persolutione, uberrime perquirunt, quando scilicet & quomodo æs dissolutum esse intelligatur.

*De resurrectione.*

*Distinctio VII.*

**A** Pertum est autem quemadmodum homines à culpæ noxa uindicantur. Deinceps dicendum est, quemadmodum in reuiuiscendo pœnæ interitu liberentur. Itaq; inquirendum est primum, nunc ubi sit animarum receptator locus. Pleriq; enim cōtractius urgent hoc modo. Anima sine corpore haud corporea loca petit, atqui anima seiuncta, corpore uacat, nulla ergo ei debet ascribi receptatrix sedes. Nos autem quãquam dicimus spiritus naturas à corporum concretione seuocari, res tamen corporeas affirmamus à deo intermedia spiritus natura regi, ob eamq; causam in spiritus corporumq; natura cognationem, conspirationemq; quandam, quam Græci sympathiam uocant uersari uolumus, ut sublimioribus naturis præstantiora quædam corporum genera illustrêtur, quod priscum philosophorum genus fecisse scimus, qui sunt orbium ordinem cœlitum natura dimensit. Nam quanquam è corpore excedêtib; animabus, nullum sit tributum corpus, quædam tamen his corporeorum locorum genera, liminum cognatione statuuntur, in quibus tanquam in loco uersantur, quatenus scilicet res corporeæ in loco uersari dicantur. Itaq; quemadmodum in corporibus quædam deorsum suo pte pondere feruntur, quædam superiora capeffunt, qui locus utrorumq; agitationis finis dicat, sic his loci genus præmij aut multæ congruentia decernitur, quod earum actionis finis dicatur, itaq; non sine causa uolumus animam tartarum, aut cœlum quasi domicilium capeffere. Atq; ex hoc etiam disputatio ducitur, an in anima excessu uitæ, actus sensilis potentia resideant. Multi enim censere Augustinum uolunt in eo qui est de spiritu liber, animam cum è corpore excesserit, ex opinatione, iracundia, & appetentia aut lætandum effuse exultare, aut ad dolendum languide demitti, atqui cum hæc genera sensiles uires esse intelligant, cōstare inter omnes dicunt, animam corpore uacantem sensilibus uiribus affici, ac in quodam actus genere uersari. Sed præsto adest tenebrarum laterna diuus Thomas, qui illum librum insititium esse arbitrat. Nos autem dicimus quibusdam uideri  
solere

solere actuum sensilium uirium duplex esse genus, quorum quosdam extrinsecus ab anima agitari, quos negant animæ elapsæ residere, quosdam autem interiores quibus per se anima fungat, omnino residere opinant, quod quidem à Platone manauit, nam Plato ut diximus animam corpori, ut naui nauam annectit, in quo claudicans & uatraz ab Aristotele uexatur, qui ostēdit animam nec sibi motum afferre, nec ab his quidem munijs moueri, qui ceruicendi, sentiendi, & id genus sint, quatenus scilicet munia illa motus tantum annexi dicantur, ex quo intelligi maxime potest, animæ, cum è corpore excesserit, sensilium uirium actus nullo modo residere. Contra quem Platoniorum omnium tanquam auium contra uulpem commune est bellum, maximeque hoc uulnus acu suere conat. Macrobius, nequa cicatrix in Platonis uultu resideat. Atque hoc loco eadem est inferiarum habenda ratio. In quo quidem constituendum est charitatis colligatione, quod sit arctissimum uinculum Senatus, non modo uiuos, sed etiam eos qui è uita migrarint deuinciri, in primisque intelligendum, malorum etiam parentalia opitulari mortuis. Sed doctorum hominum est adiecta contentio, num damnatis piacularia suffragia opitulentur. Plerique enim Traianum Cæsarem à diuo Gregorio herebi pœna liberatum uolunt. At cum perspicuum sit diu eum apud Orcum fuisse, in promptu esse dicunt, reis in herebo parentalia suffragari posse, in qua quidem causa aliud diuo Thomæ, aliud alijs uisum esse scio, diuus enim Thomas qui ut in pictura Apelles præclare sentit quid sit in dicendo satis, probabilius uideri dicit Traianum diui Gregorij piaculari suffragatione reuixisse, uimque gratuitam consecutum, qua à pœna scelerumque nexu liberaretur, itaque placet illi præfiniti temporis mulctam esse irrogatam, alij autem qui uel à Porreetano, uel ab Origenis familia manarunt, nullo modo existimant Traiani animam mulctæ noxa liberatam fuisse, sed animaduersionis, uexationisque iustitium, ad iudicij præstitutam diem indictum esse uolunt. Quibusdam etiam uideri solet ante mundi funus, parentalia reis opitulari posse. Nonnulli scelerum genera partitione seiungunt, suffragationisque accessione pœnam tolli putant. Multi inferias non quidem leuationem, aut detractionem mulctæ, sed dolorum solatia, & fomenta afferre opinantur, in eoque æstuantis geruli similitudinem adiungunt, qui uideatur pressu ponderum, ad facilius ferendum leuari, si laticis aspersione suffundatur, quanquam nihil sit ex pondere detractum. Cum quibus quidem omnibus multo melius actum esse dicetur, si minus ingenia exacuissent, ut quædam arborum genera meliora sunt neglecta quam culta. Nos autem munitiorē ad uerum ingrediemur uiam, si negauerimus reis in Ditis antro funebria iusta suffragari, quandoquidem satis perspicuum sit haud senatum pro reis apud tartarum parentare. Sed omissis suffragationum omnium generibus, quibus Theologorum personant scholæ, perquirendum quidem est de ostentis, quæ sententiæ dicundæ

tempus antegressura dicantur, diuus enim Thomas qui præter cæteros, omnem hunc illustrauit iuris dicundi locum, affirmat Christum splendidissima specie in mundi rostra descensurum, ne autoritas censori desit, ex quo intelligi, fore ut uocationis ius, quædam insignium genera uelut fascès, antecedant, quæ homines ad parendum impellant, ob eamq; causam quædã ostenta diei dictionem antegressura opinatur. Sed quæ nam sint prodigiorum genera futura, haud facile prælagiri posse censet, quod uideo placuisse Riccardo, qui negat illa quindecim ostentorum genera, quæ Iudæorum monimentis decantentur ad ueritatis similitudinem accedere. Itaq; non sine causa serparatim quæri solet, an in imo seculi calce, sint solis lunæq; deliquia futura. Nos enim id bipertito metimur, siquidem id aut accessu dei, aut ante iuris dicundi tempus, fieri necesse dicimus. Si enim id eius interuentu fieri uoluimus, fatèdum erit id tum non ademptione luminis, sed largioris lucis splendore perstringi debere. At si ante hoc euenturum dicemus, necessitas fateri coget, utrorumq; deliquia futura, quæ quidem si natura euentura dicerentur, intelligi posset, ea tum in prodigiorum genere numerari non debere, quandoquidem satis notum sit, multa sæpe eiusmodi genera, nature necessitate accidisse. Quare intelligendum est potius ea ad hominum metum, contra nature necessitatem euentura. Siquidem natura fieri nullo modo posset, ut utrorumq; simul deliquia futura dicerentur, cum naturalibus causis perspicuum sit, lunæ interposito, solis eclipsim fieri, & terræ obiectu occultari lunam. Sed permagni refert, an aliqua sit mundi expiatio futura. Nos enim qui mundum hominum causa factum esse dicimus, fatendum esse uolumus, cum hominum corpora in gloriæ curriculo constiterint, cætera quoq; mundi corpora, in absolutiorè speciem mutatum iri. Eodemq; modo indagamus, an euenturum sit, ut mundi expiatio ex igne nascatur, in quo docemus eam expiationem, iniquationem culpa contractam, concretionisq; labem eluturam, ad absolutionemq; gloriæ futuram uiam, idq; ratione probatur. Nam cum ignis sit omnium primordiorum genere præstantior, germanissima gloriæ cognatione cõiungitur, ut præclare in lucis candore patet. Atq; is quoq; non perinde ac initia cætera aduentitij concretionem recipit, propterea quod maxime ui agendi cietur. Quin etiam cum æther à domicilijs nostris longissime absit, intelligi facile debet, non æque à cætera nobis uenire usu, ob eamq; causam, nec perinde item ut cætera inquinari. Ex quo illud etiam colligitur, quod mirificam uim in dilatado, partiendo, & perpurgando nanciscitur, ut in auri argentiq; bracteis facile perspici potest. Quare multi haud quidem pumili Theologi, sed qui proceriorum comparatione decrescunt, non dum satis constituere possunt, an ex igneo elemento sit futura deflagratio. Riccardus enim in eam arcem confugit, ut cum olim cataclysmum, & eluuiõnem aquei elementi fuisse confirmet, concedi sibi uelit, ut eodem

ut eodem prope modo, incendium ex igneo elemento futurum dicatur, in quo est ei à diuo Thoma porrecta manus. At plerique argumentis confirmant elementum quod in æthere sit, ex orbe suo ad mundi rogam defluxurum, delabendiq; modum auctu, & incremento metiuntur, quando quidem ignis rei ad exar descendum aptæ adhærescens augeatur, idq; tum maxime euenturum putant, cum ignea uis reliquorū principatum nanciscetur. Quidam etiam qui in Theologorum equirijs longius absunt ab ijs qui antegrediuntur, quam ab ijs qui subsequuntur, circa mediam ferè regionem conglobationis radiorum ignem oriturum opinantur, quemadmodum in flagrantibus speculis conglobari dicunt, speculorumq; uice cauas nubes futuras esse censent, quibus radiorum repercussus excitetur. Quæ quidem aspidis latebra, facile à nobis detegetur, si effectus corporum cœlestium præfinitos status & aspectus sequi affirmetur. At si ex corporū cœlestium ui, ignem oriturum dicatur, fateri erit etiam necesse, eius deflagrationis tēpus à Chaldæis præfagiri posse, quo quidem nihil longius à senatus sententia distat. Itaque intelligendum est ex ignei elementi uisione, flagraturum mundum. Sed pertinere ad quæstionem potest, an ignis sit omnia primordiorum genera consumpturus. Multi initia rerum in materia mansura arbitrantur, sed in absolutionem mutatum iri uolunt, ex quibus aërem & terram naturæ formam habitura. Igni autem & aquæ naturæ defuturā formam dicunt, quando quidem eam in cœli formam mutatum iri censeant, ac ita ignem, aërem, aquam, cœli nomen habitura opinantur. Quos quidem iure diuus Thomas ut anniculos infantes ludit, qui dum incitatus feruntur, suo pte pōdere quo properant labuntur. Nam nec physicis rationibus probari posse dicit, inferiora corpora uim ad cœli formam nancisci, nec item de senatus sententia affirmadum esse absolutionem mundi, partiumq; integritatem incolumem futuram. Quocirca multo tutius dicemus in natura esse rerum primordia mansura, quæ tabe scelere hominum inuecta, expiatum iri cogantur. Quo quidem constituto quæritur, an quempiam eorum qui in selectorum patriatatum conscribuntur, sit expiaturus ignis. Autore ad hanc rem uti possum Riccardo, qui fore negat ut ignis quempiam ex selectorum genere exurat, cui nihil sit expiabile concretum, sed eos potius cessatione meatus interituros censet. Nam quanquam cœlum cum moueri desierit, haud omnem uim suam amissurum opinetur, eam tamen uim habiturum negat, quæ sit ad uite perennem propagationem apta. In quo Rabbi Moses similitudinem inducit, qui eque uelit cœli meatus conuersione extincta, labefactari mundū, ac hominem corde à motu deserto, mori, quanquam ne hoc quidem satis à Riccardo conceditur, qui negat meatus cessatione cœlestia corpora, aut primordia rerum euertere. Quibusdam etiam antequam cœli conuersio desinat, omne genus hominum interiturum uidetur, idq; ante meatus uacationem ignescen-



nem ignescentis aëris flagrantia euenturum, qua omne sit humanum perituum genus. Nonnullis quoque placet, quosdam ex selectorum albo futuros, qui nondum uitæ uectigal perpenderit, quorum alios qui expiatione egerint, igne expiatum iri, alios ne uisulandos quidem fore. Nos prorsus intelligi uolumus duplex esse ignis futuri genus, unum quod ui naturæ nitatur, alterum quod quatenus iuris dicundi tempus antecesserit, dei iustrumento sit in uindicando usurum, nam id quatenus ui sua cietur, perinde probos ut improbos exusturum dicimus, at id quatenus sit instrumentum futurum diffimillimo iure usurum esse uolumus, siquidem fontes ultoris ignis natura plectentur, probi autem quibus nihil sit expiabile concretum, sine dolore ad bustum agentur.

*De eadem resurrectione.*

*Distinctio VIII.*

**S**ed ne quod huiusce quæstionis prætermittatur genus, intelligendum est maxime, an necessario sit humanorum corporum resurrectio futura. Inuenti enim multi sunt, qui quasi Platonici itineris orbitam sequerentur, omnem hominis naturam anima constare uoluerunt, quæ corpore tanquam instrumento quodam uteretur. Quo constituto consentaneum uideri dicebāt, anima sola felicitatis complexu cumulata, haud hominē naturali felicitatis appetitione fraudatum iri, ex quo satis esse argumētū, humanorum corporum resurrectionem nullo modo futuram. Quibus quidē ita ab Aristotele obuiam est itum, ut ostenderet animam corpori, ut materiae formam annecti, quod cum ita sit, præclare sciri potest sine hac uita hominem nullo modo beatum fore, ex quo efficitur ut abesse non possit, quin humanorum corporum sit futura resurrectio. Atque etiam cum anima corpori natura annectatur, quando quidē suapte natura corporis forma dicatur, fateri necesse est, eam contra naturam corpore uacare, quod autem contra naturam est, id etiam nec æternum esse potest, ergo nec anima æternū corpore uacat. At cum æterna dicatur, fieri nullo modo potest, quin in corpus tanquam in thecam, & domum remigret, ex quo efficitur ut animarū æternitas corporum resurrectionem futuram reposcat. Quare hi si in istiusmodi quæstionibus tacerent, dimidio minus ingenij egerēt, nec in tanta claritate lippirēt. Sed maxime in hoc genere uersatur, an resurrectio sit in mundi calce futura. In quo sanè intelligi debet effectorem rerum deum, ita molitū esse mundum, ut uellet quodam ordine, à sublimioribus, ualentioribusque corporibus inferiora, & crassiora regi, ex quo facile intellectu est inferiorum & concretorum corporum materiei, cœli meatus, uarietatem, & cōmutationem dominari. At contra naturam fieri diceretur, si mediante cœli motu eadem materia ad id perueniret, quod nullo modo extabesceret. Itaque ob eam causam uolumus resurrectionis tempus ad mundi finem prorogatum iri, quo cœli conuersio meandi finem nanciscetur, Sed erit tamen negare necesse, præstitutam

stitutam resurrectionis horam ullo modo sciri posse. Sed dubitari hoc loco potest, an cineribus humanorum corporum, naturalis animæ appetendæ proclivitas resideat. Quo in genere, mea quidem sententia, intelligendū est, naturali proclivitati agentem naturę respondere, quandoquidē haud quāquam natura rerum necessitati desit. At cum cineres nullo naturæ agente, rursus animæ copulari possint, in promptu esse debet, nullam his naturalē animæ appetendę proclivitatē dari. Quanquam maxima oritur apud doctorum hominum studia certatio, num anima in reuiuiscēdo idem numero sit susceptura corpus. Multi enim philosophorum qui diu in hac cogitatione sincipita contraxerant, animam quidem corpore uacantem, rursus corpori annecti uoluerunt. Sed dum annectendi modū exquirebant, teterrime ceciderunt, propterea quod animam naturæ ortu rursus corpori copulari censebant. Atq; ut aliquid etiam noui appingerent, eam non in idem quod exuerant, sed in aliud corpus immigrare cēsebant, quod modo idem, modo esset specie dissimile. Nam sui dissimillimis tum animam copulari dicebant, cum turpissime extra ratam resurrectionis mentionem uitæ stipendia conferant, ob eamq; causam excessu uitę ex corpore humano in earum pecudū corpora transferri, quarū essent uitam in corporibus imitati, itaq; quosdam ob perditam libidinem canum corpora induere, quosdam ob latrocinia & fraudes in luporum, aut uulpium corpora migrare. At qui sese à uitij seuor cauissent, ob eamq; rem cum è corpore excessissent, aliquid felicitatis adipisci scerentur, tum his ad sui simillimos regressum patere, ac rursus humano corpori agglutinari censebant. Quod quidē malū plura capita, quā Hydra nanciscitur, quorum è multis, unum in animæ copulatione, alterum in sensu, intelligentiæq; dissidio consistit, siquidem animam haud quidem corpori, ut materiæ formam, sed ut nauis nautam annecti uolebant, nec intelligentiam à sensu, nisi ex aduentitio distare opinabantur, ut si diceretur hominem inter cætera animantia intelligentiæ præstantia excellere, propterea quod is ob præclarum corporis habitum, uim sensilem maiorem nancisceretur, quo cōstituto animam posse dicebant in quēdā pecudum corpora migrare, idq; ex cōmutatione animę humanę in ferinam naturam accidere. Quorum arida & ieiuna ratio cum satis sit ab Aristotele repulsa, nihil attinet modo ut in eos Theologica sica exacuatur. Sed dicendum est potius animas iisdem numero corporibus, quibus excesserint copulatum iri, quandoquidem animæ ad ea corpora suapte natura ferantur, quibus animalē uitam infuderūt. Ex quo præclare Auicenna ait animam quę corpori cuiuspiam inesse cœperit, ita naturalē proclivitatē nancisci, ut illi uni adhærescens, à cæteris refugiat, in eoq; tuendo occupetur. Quocirca omnia mēbrorum genera exuscitatum iri dicimus, ut naturæ absolutio cumuletur, quanquā pleriq; uelut Callicrates, aut Myrmicides pusillorū operū artifices, crines & unguis ut sudorem

& lotium expoculentorū esculentorūq; reliquijs gigni uolūt. Atqui cum nihil horū nec quod sit aliquid tetri habiturū exsuscitatū iri opinent, pro concesso sumūt, nec unguēs quidē aut crines reuicturos. Quo sanè loco intelligendū est, quædā esse in corporibus principis naturæ uoluntatis, ut ea quæ necessaria ad naturæ munia dicuntur, quædam uero esse secundæ uoluntatis, ut ea quæ ad incolumitatem, & decorum pertinent, quæadmodum frondes in arborum genere uidemus. Ex quo est causa cur Aristoteles frondem corticis operculum, corticem uero fructum esse arbitretur, quod non multo secus hominum corporibus accidere dicimus, quibus natura crines, unguēs, barbam, & id genus ad ornatum dedit. Itaq; ne quid alterutrius naturæ uoluntatis absit, utrunq; reuicturum uolumus. Atq; etiam præteriri nullo modo debet, quæ nam reuiuiscantium sit futura conditio. Multi enim usq; eo graues sunt, ut omne genus hominum ætate floescente reuicturum negent, quandoquidem reuiuiscantibus felicibus nihil deum erepturū dicant, quod ad naturæ humanæ expletionem pertineat. At cum ætas maxime ad hominis absolutionem pertineat, afferre se fatendi necessitatem putāt senes in adolescentia nullo modo reuicturos. At nobis quidem haud senectus ex canis, & rugis, uel ex corporis conditione, quæ ætate exacta languescit, sed ex natura animæ sapientia oriri uidetur, quæ illi ætati ob diurnitatem inesse putatur. Ex quo intelligi uolumus in selectorum genere cum ætatis sit defutura infirmitas, ob magnitudinem sapientiæ, senectutis mansuram autoritatem, omnēq; genus hominū in intermedia quadam ætatis tempestiuitate exsuscitatum iri, ut pueritiæ quæ nondum est humanam absolutionē nacta, & senectuti, quæ iam ab extrema naturæ expletionē abest, quod deest addatur. Sed multo intelligendum est magis, an hi qui in selectorum genere numerantur, naturam sint patibilem habituri. In quo nostri cōuersis hastis obuij cōcurrunt, siquidē bonus autor Aureolus quasi habeat scire quid omnino patibile dicatur, conatur probare id quod in beatorum genere ferendi necessitatem non habet, nullo modo à quapiam patibili forma oriri. At pseudoaquinas Durandus ne id quidem à quapiam adherescente forma nasci opinatur. Numen enim diuinum felicibus affuturum putat, quod qualiscunq; aduentitij actionem arceat, quæ patiendi necessitatem afferat. Itaque uenit illi in mentem, quod quemadmodum patibile uicissim cum tabescibili congruat, ita uicissim inter se congruere quod horum neutrum sit. At cum id quod in beatorum genere non extabescit, nullo modo sit ex quapiam formæ adhesionē oriturum, ita ne id quidem, quod patiendi necessitatem non habeat. Atque etiam Henricus Gandensis ne quid de spinarum aculeis remittere uideretur, confirmare uoluit, id quod corpus gloria præditum ferendi necessitate liberet, eiusmodi esse oportere ut corpus ita tueatur, ne quid interius aut ex aduentitio patibile ferat, nisi quid

nisi quid à deo manarit, idq; ex primordiorum aut cœli ui nasciturum negat, propterea quod haud quaquam cœlum in qualiscunq; corporis copulationem ueniat, ex quo effici, id quod uult, quiddam supra naturæ complexum futurū, quo corpora gloria prædita patiendi necessitate liberentur. In quam sententiam Scotus non tam sibi correpedum putat, ut Henrico adsit, quam ut à diui Thomæ ratione desciscat, dum negat id quod beatorum genus ferendi necessitate liberet, ex principatu animæ, uel ex cœli meatus uacatione oriri, quanquam homo affluens & locuples diuus Thomas, ut aqua, eo uberius scatet quo altius effoditur. Nobis uero nihil est negotij in eiusmodi disceptatione contrahendum. Sed nonnulli quasi in hanc quæstionem, uelut in suillam, salem indidissent, ne tabesceret, quinti cuiusdam corporis materiæ adhibuerunt, quæ humanorum corporum copulationi agglutinaretur, ad primordia in harmoniam quâdam temperanda, ex qua principia legitimâ animæ materiam efficerent. Sed cum uiderent humanum corpus in uita ob primordiorum principatum patiendi necessitate affici, quantum corpus in resurrectione dominaturum esse dixerunt, quo corpus humanum uelut cœlum, patibile nullo modo constaret. Quod quidem non modo ab Areopagitis nostris, sed etiam ratione exploditur, cum perspicuum sit, quintū corpus in materia humanorum corporum coagmentationi nullo modo copulari. At si quispiam diui Thomæ sententiam sequatur, facile opinari poterit, per inde corpus imperanti animæ gesturum morem, ut anima principi sit obsecuta deo, eamq; ob causam cum affirmet nullam in corpore gloria prædito commutationem, contra eam aptitudinem futuram quæ ab anima absoluitur, fateri coget, ea corpora patiendi necessitate liberatum iri. Quo loco dicimus eorum corporum perspicuitatem nullo modo è quinta quadam natura, sed ex animæ gloriæ affluentia, nascituram, eaq; agilitatem habituram, qua in cœlo moueantur loco.

De iudicio,      Distinctio IX.

**S**ed restare uidetur ut totum sententiæ dicundæ locum persequamur, quam quidem iure generatim in omnes deum laturum dicimus, ut & præmijs afficiantur probi, & flagitiosa sceleratorum reorum immanitas uindicetur. Itaque præteriri hoc loco non debet, an iudicium sit tanquam in foro, uocis disceptatione futurū. Durandus enim quantum causæ cognitionem tacitam futuram opinetur, sententiam tamen uocelatum iri uult, quando quidem Christum in tribunali non modo diuinitus, sed etiam humanitus dydicaturum dicat. Quibusdam autem placet mente & uoce rerum testificationem fore, propterea quod ita conscientiæ theatrum perspicuum fore dicunt, ut necesse sit cuique futurum tanquam in speculo testari id, cuius sine recuperatione aut prouocatione arguatur. Atq; etiam cœlites hoc iudicij tempore affuturos censent, qui tanquam custodes & testes

& testes in iudicium uocentur, idq; à Platone confirmari uolunt, qui autore L. Apuleio dicat uocationem cœlitibus in resurrectione dari, eosq; non modo delectis & descriptis patrocinaði, sed etiam accusandi reos, negotijq; exhibendi ius habituros. At uero homo in omni Theologia tardigradus diuus Thomas, quanquam affirmet nihil sibi satis pro certo in eiusmodi disceptatione liquere, probabilius tamen uideri dicit, iudicium in accusatione reorum, uel in patrocinio proborum, aut in sententia dicenda tacitū futurum, propterea quod si nominatim genratimq; omne genus humanū cēsendum esse diceretur, negari nullo modo posse affirmat, quin in cēsurā esset temporis incredibile conterendum spacium. Sed maxime in controuersiam cadit, quanam sit specie censor hominum Christus in mundi forum descendurus. Nos enim cum uideamus ob eam causam iudicium esse constitutum, ut quibusdam ad cœlum iter secludatur, quibusdam cœli penetralia pateant, consentaneum esse dicimus, ut qui hominibus aditum in cœli templa patefecerit, is etiam ad ius dicendum quod sit rerum humanarū limes, humana specie accedat. Atq; ex hoc etiam sciri poterit, an in ipsis rostris Christi diuinitas sit à perditorum genere cernenda. Aquinatum enim auxiliaria cohors fatendum esse uult, dei naturam, naturam esse ueritatis. At cum maximā uoluptatem esse sentiat ueri noscendi, quando quidem natura hominum mentibus insitū sit, ut uehementer intelligendi cupiditate flagrent, facile in promptu esse dicunt, diuinitatem sine animæ lætitia cerni non posse, sed cum perspicuum sit in perditorū genere lætitiā esse nequire, cum in misero tetroq; angore uersentur, effici uolunt ut nullo modo diuinitas à flagitiosa sceleratorum manu cerni posse dicatur. Cui toti rationi uehementer aduersatur, clientum gregibus stipatus Scotus, contra quem Durandus argumentorum aceruum obstruxit, maximeq; Scoti terebri aciem retundere conatur Capreolus, nec multo minus acute Godofredus, & Bernardus Gānacus in hoc genere uersantur, nos uero ne tantalum quidem à D. Thoma recedendum putamus. Verum contentio esse potest si indicto iustitio, quædam mundi sit futura nouitas. Pleriq; enim qui Empedoclem non ut cometen, sed ut solem admirantur, statum hodiernum uolunt naturalem esse rerum. Atqui si res in alium statum transferri dicantur, eundem statum naturalem esse negant, sed quod nec naturale sit, id etiam Aristotele autore, nec æternum dicant, manifestum esse eum quoq; nouitatis statum, ex mundo quandoq; casurum. Id si ita est, facile erit etiam mundi conuersionem quandam inducere, ex qua innumerabiles uicissim mundi nascantur, quo sanè nihil dici potest in omni etiam physiologia hebetius. Quare hæc quidem opinio in Origenicorum umbra extabuit, quod longissime à naturæ ratione abesset, & nonnullus in esset hæreticorum odor. Quanquā magnū est nobis cum quodam recentiu philosophorū genere certamen, num reuiuiscēte mūdo cœlestis meatus sit uacatio

uacatio futura, siquidem multi qui quasi in physicis non longius quam unius  
 passus interuallo Auerroim antecedentem urgeant, solis circumuectione  
 mundum collustrari opinantur. Atqui si cœli conuersio circūferri desierit,  
 concedi sibi uolunt, aliquā telluris partē summa cute caliginosam, & atram  
 futurā, quod maxime à reuiuiscētis mundi ornatu abhorrere dicunt. Quo  
 rundam etiam opinio est, cœlestia corpora orbe nouo meliora effici debere.  
 At si cœli meatum uacaturum affirmetur, effici etiā ut mundus multo quoq;  
 deterior futurus dicatur, cum motus multo sit cessatione præstantior. Atq;  
 ex his etiam multi, si motum defuturum affirmetur, id non aliam ob causam  
 euenturum dicunt, nisi quatenus à motu, senectutis aut defatigationis cause  
 cœlo afferantur. Quod cum fieri nullo modo possit, quandoquidem & mo-  
 tus naturalis sit, & cœlū haud quaquam patibile dicatur, fatendū esse peren-  
 nem meandi motionem nullo modo defuturam. Nos uero qui nō argumen-  
 torum numerum, sed selectum quærimus, cum per facile autore Aristotele  
 dicamus motum ob quempiam finem esse constitutum, intelligi etiam uolu-  
 mus, omnem motum ob quippiam extremum constitutum, ultimo adepto  
 quieturum, quod si ita est, erit etiam fateri necesse, aut cœli meatū nunquam  
 suum adepturū finem, quod frustra fieri dicere, aut omnino quandoq; quie-  
 turum. Atq; etiam cessationem multo motione præstantiorē esse putandum  
 est, nam ut quæq; res stabilior dicit, eo effectoris rerum dei similior uideri  
 debet, quem immobilē esse, summū, supra est probatum à nobis. At cum in-  
 feriorū generum motus ad quietem natura ferantur, satis erit intelligi quo  
 ætheria corpora præstantiora dicant, eo magis eorum motus natura ad me-  
 andi uacationē circumscrip̄tū iri, quanquā hoc loco perspicuū esse potest nō  
 natura, sed uoluntate agitantium cœlitū opificiq; deo parentiū, cœli cessatu-  
 rum motū. Itaq; non sine causa sciri debet modo ab his cœlitibus orbes ad ra-  
 tos cursus moueri, ut eorum meatu afflatus tēperationisq; nouatio gignat,  
 quæ ad ortū & tabem maxime pertineat, eosq; eatenus moturos quoad de-  
 scriptorū hominum selectus cumulet, sed tum mouendi munia ab his relictū  
 iri, propterea quod hominibus sint, nullā uim tuendæ uitæ in meando datu-  
 ra, siquidē haud quaquam necesse futurū dicimus, ut ultra humanū propage-  
 tur genus, uel animantia, aut arborum genera ad usum hominū gignantur.  
 Quare multis dubitatio accidit, an eadem cœli plaga sint cessaturi orbes,  
 qua geniti esse dicantur. Nam quibusdam qui tanquam quædam animanti-  
 um genera, si capita occuluerint, latere se totos oppinantur, fas omnino esse  
 placet, cœli orbes præclaro, & rato quodā ordine cōsistere, sed cum ad ueri-  
 tatis similitudinē accedat eodē quoq; ordine, eodemq; statu cœli, esse præ-  
 atos, manifestū esse eodē quoq; statu quo geniti dicant, cessaturos. In quo qui-  
 dem non est ita cœli partienda descriptio, ut plagarū genera distinguantur,  
 cum perspicuū sit quemcunq; cœli statum, absolutiorem aut deteriorē fieri  
 nullo

nullo modo posse, quanquam quosdam orbium habitus inter se magis certis quibusdam effectuum generibus, quam alijs congruere affirmetur, ut si Solis & Martis in leonis corde connubium aptius ad ariditatem inferius gignendam, dicatur, quam Iouis, & Saturni copulatio, ut Chaldaicis est literis mandatum. At cum primo globos orbescq; cœli genitos esse dicimus, fatentur etiam cogimur alia tum effectuum genera ad inferiora regenda esse questita, quam quæ modo flagitetur, & item alia modo quam dudum, ac rursum alia in mundi calce, quam modo. Quocirca necesse est orbem ea cœli plagam cessaturos, quæ ita primordiorum aptitudini congruat, ut nullo modo is status extabescere posse dicatur. Cum autem initijs ea sit conuētura aptitudo, quæ primo ortu orbibus nullo modo congruere potuisset, facile cognosci potest, haud quaquam ea cœli plaga deserturos motum, quæ geniti fuisse dicantur. Itaq; intelligendum est potius orbem ea plaga meandi finem habituros, quæ ita sit conciliatura initia, ut agendi uicissim, ac ferendi necessitate liberentur. Atq; etiam ex his occasio disputandi ducitur, an cœli globi lucis accretione augetur. In quo placet nostris lucem non modo hominum causa, sed etiam ad facultatem effectoris tanti operis cōtemplandi esse factam. Itaq; dissoluto iudicio, negatur selectorum corporibus à luce res ad usum necessarias suppeditatum iri, nam cum selectorum genus opificem & parentem deum contemplaturum dicatur, intelligi simul potest, mente eos spirituum corporumq; effectus metiri debere, maximeq; eorum oculos corporearum rerum spectaculis & admiratione lætatos, ob eamq; causam consentaneum est, ut nouatis hominibus, cœlestium quoq; orbium lux accretione augetur. Eodemq; modo affirmatur rerum primordia, flagrantia lucis, splendidiora futura. Sed existere controuersia hoc loco potest, an cuncta sint animantium beluarum arborumq; interitura genera. Quarum quidem rerum quadripartita est descriptio, nam quædam esse animantium genera dicunt, quæ per se nullo modo extabescant, quo in genere dæmones, cœlites, cœlestiaq; corpora numerantur. Alia sunt genera eorum, quæ per se labefactantur, ut beluæ, arbores, metalla, & quæ eius generis dicuntur. Tertium genus est quod corpore extabescit, & parte principe labefactari non potest, quo homines soli continentur. Quartum uero genus est eorum, quod cum partibus tabescibile sit, totum tamen corrumpi non potest, non quod eorum tota natura per se tabefieri non possit, sed quia his ob ratum mundi ordinem causa labefactrix desit, ex quo genere rerum primordia numerantur. Sed cum perspicuum sit ei generi status qui per se labefactari non possit, nullo modo id congruere, quod per se totum, ratioq; mundi ordine, ac suapte sit natura tabescibile, ob eam idcirco causam præclare sciri potest, beluarum, arborum, metallorum, ac eiusmodi genera, nullo modo mansura.

De beatitudine

**N**Vnc autem sequitur ut de felicitate statuatur. In quo quidem intelligendum est primum quodcumque ab hominum genere expetatur, id omnino finis causa expeti, quæ est amissis & libri p̄dix operis humani. Siquidem perspicuum esse potest, quod quodcumque ab homine expetitur, id necesse sit boni ratione expeti, quod quidem nisi perinde ut absolutum bonum expetatur, quod est appetendorum extremum, intelligi poterit id omnino expeti, ut pergens in bonum absolutum, quandoquidē omnis exorsus in sui finem statuatur, ut præclare ex his sciri potest, quæ uel ab artificiorum genere, uel à natura dimanât, ex quo perfacile iudicium est, omne absolutionis exordium, ad absolutionem cumulatam statui, quæ finis extremi causa fiat. Sed quoniam confitendum est felicitatem extremum esse bonorum, quod ab hominibus expetatur, perquirendum quidem est, quonam portissimum in genere uerferetur, siquidem illi ipsi philosophi cum consentirent in corporis, externorum, & animæ bonis felicitatē oportere poni, in eo maxime discrepabant, quid esset ex tribus generibus optabilius, quidue magis excellentis beatæq; uitæ specimen conficeret. Nam in tanta uarietate multi minuti philosophi, qui ad lectorum fulcra discumbūt, felicitatem dicunt bonis corporis cōstare, quasi ab incolumitate corporis membrorumq; integritate, seiungi non possit. In quo non uidēt homines felicitate inter omnia animantium genera excellere, & bonis corporis à multis superari, ut perspicuum est nos pernicitate à ceruis, uiribus à tauris, agilitate à felibus & pardis superari, neq; sentiunt corporis felicitatem diuturnā esse non posse, & quod diuturnum non sit, id nec beatum quidem esse posse. Ab his non longo intervallo absunt Epicurus, & Aristippus Socraticæ disciplinæ lotura aspersus, qui summum bonum in uoluptatum affluentia constituunt, dum non agnoscunt corpus lagenam & quadrantal esse animæ, cui tanquam materia formæ, & imperfectum absoluto subiicitur, nec intelligunt uoluptatē sensibus, non ratione contineri, quando à uoluptate impediatur ratio, ut præclare in libidinosorum lurconumq; natura patet, & quod rationi officit, id nec absolutum esse posse. Itaq; hi artibus felicitatis elisis, in tanto robore doctrinæ, culicis morsum ferre non possunt, & tanquam absynthij laticem potarint, nihil nisi suaue in uita perquirūt. Nec uero sapientiores fuerunt, quibus summum bonum uidebatur honos, quasi parenti deo nihil tribuatur maius, nec alia merces magis ab hominibus flagitetur. In quo nullo modo superba stoliditas intelligere potuit, honorē mercedem non esse uirtutis, sed mercedis loco suscipi ab hominibus, cum uera uirtutis merces sit solida, non lubrica, & quasi precaria felicitas. Nam si homines honoris cupiditate, labores & pericula adirent, fateri cogerētur, ambitionis non uirtutis causa ad id fuisse compulso, felicitas enim non est bonum alteri subiectum, sed id cui subiecta

K sunt omnia.



sunt omnia. Cum autem honos sit testimoniū uirtutis, per facile intelligi potest, eum in actu uirtutum, non in extremo bonorum esse ponendum. Nec multo quoque secus qui gloriam appetendorum finem esse dixerūt, tanquam felicitatem ut chlamydem ad poplites fufam, non talarem adamarent, confirmare conabantur optabilius esse bonorum, quasi gloria splēdida sit commemoratio nominis hominum, quæ propter laborum periculorumque perperationem præstantibus tribuatur, sed cum felicitas sit uerum bonum generis humani, non cognouerunt gloriā falsam esse posse, cum quiuis falso esse possit in gloria uulgi consensu excitatus. Eorum autem opinio quæ magnitudinis falsæ typum sibi conficiens, in potentia uitam beatam sitam esse censet, facile exploditur, cum præclare notum sit, felicitatem nihil prauī admixtum pati, & potentiam æque in malis ac in bonis esse posse. Sed præter cæteros præstans quoddam philosophorum genus, felicitatem ut thesaurum Draco complectitur, existimans ultimum bonorum ab his perfectum, qui essent in scientiarum inspectione uersati, quod esset inspectio quidam cottidianus cibus, quo beatissime expleretur anima humana. Nam cum felicitas sit opus uirtutum perfectarum, quæ maxime ad scientiarum inspectionem pertinent, concludere nitebantur, summum bonorum in scientiarum inspectione consistere. Quæ argumenti angustia celeriter perumpitur, cum fateri necesse sit, inspectionem principiorum ueritatem trāsire non posse, quibus omnis scientia continetur, cum autem inspectionis principia (ut ait Aristoteles) sensibus percipiuntur, sequitur inspectionem sensuum cognitione non egredi, quod uero sensuum cognitione nō exit, nec felicitatem quidem hominis aboluere potest. Quam ob rem necesse est, ut illi ipsi philosophi, summum bonum in nullo horum generum poni posse fateantur inuiti, cum perspicuum sit, quodcumque commenti sunt, mortalis conditionis finibus circumscribi, & deletō corpore, deleri etiam uitæ beatæ sensum. Nos autem amissa uis ponderis, ueritatisque depulsa fame, summi boni integritatem persequimur. Itaque intelligendum est primum felicitatem hominum, nullo modo in aliquo genitorum genere consistere, propterea quod felicitas expletum, & summum est bonorum, qua appetitio sedatur, nec enim appetendorū exitum diceretur, si in ea aliqua appetendi ansa resideret. At cum uoluntas, quæ est animæ appetitio bonum uniuersum expetat, fateri necesse est eam à nullo nisi à bonorum uniuerso sedari. Quod quidem cum haud quaquam in aliquo genitorū genere, sed in parente rerum deo consistat, à quo cumulate hominum uoluntas expletur, satis erit intelligi in eo solo hominum felicitatem esse sitam. Sed pequirendum est hoc loco, an felicitas in aliquo uoluntatis actu suapte natura uersetur. Scotus enim egregie acutus scriptor, felicitatem magis uoluntatis actu, quam intelligentia cōtineri putat, eiusque disciplinæ incredibilis multitudo appendix felicitatem arbitratur in præstātissimo actu

actus genere uersari. Sed cum præstantiorem uoluntatis quam intelligentiæ actum opinetur, satis argumenti esse censet, felicitatem uoluntatis actu contineri, idque hoc modo confirmat. Si quidem illa inquit actus genera præstantiora uidetur, quorum causa seruitutis iuga depellimus, quam ea quorum causa libertatē non nanciscimur. At cum homines uoluntatis non intelligentiæ actu liberi dicantur, quandoquidem intelligentiæ obiectu cogatur, facile sequitur felicitatem in præstantiori actus genere uersari. Contra quos Durandus perbelle omnibus ingressibus qua adiri posset, rationū præsidia collocaret, nequa effugia paterent, si enodatius intelligentiæ uoluntatisque libertatem secreuisset. Nobis autem cum in felicitate duo postulanda esse placeat, unum quod felicitatis natura sit, alterum quod ei per se accidat, confitendum uidetur, felicitatem ut felicitatis naturam in uoluntatis actu nullo modo esse sitam. Atque etiam causa uidetur esse querendi, an intelligentiæ genita suapte natura dei possit naturam intueri. Diuus quidem Thomas naturarum genera seiungens, comprehensio inquit noscentis nature suæ modo constituitur, si igitur nature modo alicuius rei notæ, noscentis nature modo egreditur, necesse est ut illius rei notio percipientis naturam effugiat. In quo acriter est ei cum Scoto conferenda manus, qui syllogismum ad amussim disserendi reuocans, male ab eo connexum conclusum putat. Sed ego ad hanc questionem pertinere arbitror, ut altius hoc totum repetatur genus. Nam cum plerique philosophorum felicitatem esse uellent in pernoscenda cœlitum natura semota, ab eorum sententia causa nonnullis decedendi fuit, quod nullo modo censerent sub intelligentiam possibilem (audeamus iterum hoc uerbo uti) cœlitum cadere posse naturam, quasi ita longe ab intelligentiæ notione, eorum natura abesset, ut nihil uideretur esse posse disiunctius. Post uero ex eo genere multi cum affirmarent ab hominum intelligentia nosci, quodcumque comprehendere posse diceretur, facile intellectu esse censebant, cœlitum naturam ab hominum intelligentia percipi posse. Atque ex his etiam bonus autor Auicenna quasi Herculis nodum dissolueret, cœlitum naturam à nobis non quidem ex quadam eruta, sed ex impressa ab his similitudine intelligi posse uoluit. Qua tamen commentitia sententia haud quaquam fit nobis dei abdita natura nota, cum perspicuum sit, nulla impressa similitudine ab hominum intelligentia, ita percipi posse deum, ut sine intermedijs, eius natura cernatur. Quare à ueri iudicio propius abest tota illa Aristotelea manus, ex quo genere maxime ab Auerro, & Aphrodisieo Alexandro propria quædam sunt indagata solertius, nam cum in omni notione formam necessariam esse opinetur, qua quale quidque sit intelligatur, aut ea forma cernatur, qua intelligentia ad cœlitum percipiendam naturam absoluatur, nullo modo quid esse putant, quod intelligentia, à rebus concretis eliciat. Nec item similitudinem à cœlitibus in intelligentia insculptam esse dicunt, ut Auicennæ

cennæ est uisum, sed ipsam cœlitum naturam esse uolunt, quæ intelligentiæ ut forma annectatur. Quorum quidem sententia quanquam proxime ad ueritatis similitudinem accedat, multum tamen est ei Theologica lima detrahendum. Itaque intelligi maxime debet, ab intelligentia genita minime ob naturæ diuinæ infirmitatem percipi posse deum, quasi non sit per se natura cognobilis, sed id ex intelligentiæ genitæ imbecillitate oriri, quæ suapte natura ad genitarum rerum notionem præfinitur, quanquam ne hoc quidē perinde hominum generi, ac cœlitum naturæ contigit, si quidem cœlitum naturæ seiunctæ nihil suapte generis ratione deest, sed naturæ diuinæ collatione desit, quæ extra eorum genus constituitur. At hominum intelligentiæ suapte generis ratione infirmitas inest, propterea quod tenebricosa quadam caligine obducitur, idque etiam cognobilis naturæ longinquitate accidere dicimus. Nam quanquam affirmetur omnium intelligentiarum generi præsentem esse deum, haud tamen omnium generi, ut forma cognobilis adesse probatur. Siquidem id tum accidere dicimus, cum ita est intelligentiæ informata aptitudo, ut naturæ diuinæ sit tanquā cognobili formæ iugabilis. Quā obrem multo pressius dicemus intelligentiam hominum, lumine quodam gloriæ in diuina natura cernenda egere, nā quodcumque ad id extollitur, quod naturæ suæ finibus exit, necesse est ut illius habitu informet, quod terminos naturæ suæ transit, at cum intelligentia haud quaquam suapte natura sit dei intuendi capax, præclare sciri potest necesse esse ut semper dei nutu augeatur intelligendi uis, qui auctus, lumen quoddam supra naturæ complexum esse dicatur. Ideoque aliqua nostrorum dissensione certatur, an intelligentia genita in deo cernendo pernoscat, quæcumque agat, acturusue sit. Diuus quidem Thomas nusquam se tutius futurum putat, quam si eo loci rationes deducat, quibus id palam negetur. Sed accessit assiduus luctator Godofredus, qui ut id efferat quod habet ab Henrico Gandensi satiuum, cuncta à dei spectatore cerni uult, quæ in deo suapte natura eluceant, non autem quæ mente diuina continentur. Contra quem Bernardus Gannacus diuini Thomæ causam tueri conatur, maximeque eum illis angustijs urget, quibus ab eo Augustinus ad argumenti societatem accitur, sed hæc alias sunt à nobis differenda latius. Hoc autem loco multo uerius dicemus extremum absolutumque bonorum diuinæ naturæ spectatu contineri, cum perspicuum sit, hominem nunquam esse posse cumulate absolutum, quoad ei appetendi, aut indagandi quippiam resideat. Etenim homini (ut ait Aristoteles) naturalis appetitio residet indagandæ causæ, cum in conspectu quosdam rerum effectus fieri uidet, nec causam esse ignorat, quæ quidem appetitio conquirendi causam parit, ut si quispiam cometem norit, necesse esse uidet, ut is ex quapiam omnino causa dimanet, quam cum admiretur, nec intelligat, ob eam admirationem inquirendi cupiditate flagrat, nec unquam sanè appetitio sedatur, nisi

fit ab eo

fit ab eo causæ indagata natura. Eodemq; modo si hominum intelligentia nondum primam naturæ causam attigisse dicatur, intelligi maxime potest, naturalem ei appetitionē residere indagandę causæ, nec dum eam esse complexu bonorum absolutam, ex quo quidem constare inter sanos debet, necesse esse, ut in absoluto complexu bonorum, ab intelligentiæ primæ causæ natura attingatur. Quo sanè loco tam multa de omni feliciū statu, deq; muneribus coronisq; eorum à nostris sunt disputata diuinitus, ut longius mens humana sine patefactione diuina progredi non possit.

*De pœnis damnatorum.*

*Distinctio XI.*

**S**ed ut nihil instituto operi deesse uideatur, de his dicendum erit quæ maxime ad profligatos, perditosq; reos pertineant. Itaque primo uindendum est, an anima corpore uacans, corporeo igne torrerī possit. In eiusmodi quæstione diuo Thomę animam à corpore secretam corporeo igne uexari posse placet. Cuius quidem sententiæ subito accurrit Durādus, affirmans facile eam sententiam probari posse, si modo anima in loco suapte natura esse dicatur, cum diuinitus relegendur loco, quanquam nondum satis sibi liquere dicat, quonam modo retinendi uis in ultori illo igne resideat. Itaq; dum cuiusmodi solet, similitudines in differendo colligit, in id concludendi genus remigrat, ut fieri minime posse uelit, quin dicatur sententia illa Aquinatea falsa. Contra quem bene frugi Theologus Petrus Paludensis diuo Thomę patrocinium suscipere conatur. Atq; etiam multi quasi aliquid acrius ex philosophorum amne expiscari uideantur, quanquam animam à corporeo igne torrerī negent, ab ea tamen uindicem ignem tanquam noxiū rapi uolunt, in illiusq; complexu eam luctu, tetraq; formidine uexari. In quo non sentiunt, si hoc eis concedatur, spectatu uideri, non uerum esse animę perpeffum. Quare pleriq; Arabeo adipe peruncti, haud quidē in igne, sed in ademptione optati boni, animæ perpeffum esse uoluerunt, quod quale sit, quiuis è philosophorum plebe cognoscere potest. Quorundam autem opinio est nullo modo ui rapacis igneæ naturæ animam corpore uacantem perpeti, sed eam quatenus ignis dei instrumentum dicatur, patiendi necessitate affici, idq; uario similitudinum genere confirmant. Nam multa ui principis agentis actione nasci dicunt, quæ illis minime quoquo uersum congruant, ut præclare in naturę calore cernere licet, qui animæ ui alimēta in membrorum incrementum uertit. Atq; etiam à cœli orbibus, cum anima uacent, ui tamen agitantium cœlitum uitam inferius gigni dicunt, ut ex his facile intelligi potest, quæ tabe liquefacta gignuntur. Nec id multo etiam minus in operibus artium nostrarum sciri posse, ut maxime in malleo, uel serra, aut in eiusmodi genere perspicitur, quæ sint tundendi, aut secandi omnino expertia, nisi uis ab agitante opifice adhibeatur. Nonnulli etiam uim quandā spi-

ritus supra naturæ complexum ultori illi igni insitam esse putant, qua maxime animæ uexentur, quæ quidem sententia præclare est ab imis fibris à Riccardo reuulsa. Nos autem his explosis sententijs multo uerius dicemus, ignis esse, spiritui tanquam loco collocatum copulari, at quatenus funestus ille ignis dei instrumentum dicatur, insitum illi esse affirmamus, spiritum quodammodo nexum continere, ob eamque causam ignem qui sit nequissimorum hominum corpora exulturus, corporeum esse debere censemus, quandoquidem copori, nulla pœna magis quàm corporea congruat. Quare iure eorum philosophorum sententia ut uetus pictura euanuit, qui excessu uitæ multam tantum irrogari opinabantur, in quo sanè multum Auicenna emacuit, qui erat in numero excellentium philosophorum reponendus, si potuisset sine hac exceptione laudari. Nā cum animas excessu uitæ corporum similitudine perinde plebs uellet, ut somniantium imaginationi similitudo imprimatur, non uidit imaginationem uim esse quandam corporeo instrumento nitentem, ex eoque fieri non posse, ut uisum imaginatione ortum & que in anima à corpore seiugata, atque in somniantis anima nascatur. Itaque cum labyrinthi exitum sine lini glomere inuenire conaretur, inuoluitus in alia opinionis prauitate uersatur. Si quidem cum animam corpore uacantem, cœli quadam parte, organi uice uti suspicetur, cuius ob id corpus humanum simile uelit, ut anima rationis cōpos abfoluitur, quæ sit agitantium cœlitum similitudine germana, non intelligit eam sibi accipiendam esse plagam, ut ei necesse sit in ieiunam illam & insulsam philosophorum sententiam incurrere, qui animas ad syderum orbis regredi uoluerunt, & ab Aristotele hebetiorum philosophorum irrisore desciscere, qui æque animam præfinito organo corporeo, ac fabrum ferrarium malleo uti censet, ex quo perspicuum sit haud quaquam animam in uaria corporum genera meare, ut Pythagore uisum fuisse scimus. Sed potest esse contentio, an ultor ille ignis sit futurus æternus. Plerisque enim multo uendibilior ratio uideri solet, si ignem in aliena materia esse opinentur, & suapte natura effici æternum putent, nam semper ab eo depasci materiam suam uolunt. At quoniam apud heresum cœli afflatum esse confirmant, quo semper in tellurem aqua, & tum pars aëris, tum pars eiusdem uicissim ignis conuertatur, ob eam idcirco causam æternum esse posse dicunt, propterea quod quem admodum ex una sui parte materiam arripi censent, ita & que eodem afflatu rursus gigni arbitrantur. Quibus sanè aliquid concedendum putaremus, si rationes induxissent, quibus probaretur post iudicium ignem futurum sempiternum, cum præclare notum sit in rerum primordijs tabem ac ortum dissolutio iudicio cessaturos. Itaque tutius dicendum erit uindicem illum ignem in aliena materia consistere, uicque supra progredientem naturam æternum futurum. At si quispiam in rerum institutione materiam opinetur ita naturæ habitu, cœlique afflatu molitum esse deum, ut exardescat, atque igneæ auuiditati partem suam

flum suppeditet, nec consumi ullo modo possit, is haud quidem multum à di-  
 ui Augustini sententia desciverit. Sed quærendum uidetur, quanam mundi  
 regione tartareæ sedes locentur. Nonnulli enim in Theologia Mathemati-  
 ci, parum cōsentaneum uideri uolunt, inferorum sedes eo loci esse sitas, quo  
 præstantissimus cœli afflatus constituitur, at cum præstantissimus afflatus  
 mediam mundi sedem, quod Græci *κέντρον* uocant, obtineat, cum ex qua-  
 cunq; cœli parte radiorum interuētū ad perpendiculū ferantur ad centrum,  
 cumq; id radiorum genus quod ad perpendiculū feratur, cæteris multo uai-  
 lentius dicatur, si has infernas sedes in telluris uisceribus locari confirmet,  
 facile intellectu esse eas in centro, aut quamproxime esse sitas. Ex quo præ-  
 clare sciri posse absurdum esse, ut Orcus sub telluris uertice statuatur, quod  
 quidem facile refelli potest, cum satis perspicuum sit, præstantiorem esse cœ-  
 li afflatum, qui in periferiā quā qui in centrum feratur, ac item excellentio-  
 rem eum omnino uideri qui supra tellurem, quam qui infra feratur, si id no-  
 strorum domiciliorum collatione metiamur. Itaq; quoddam philosophorū  
 genus herebum sub telluris orbe, supra summam tamen cutem, ex aduerso  
 uertice esse uolunt. Atq; etiam Aristoteles qui omnibus superioribus philo-  
 sophis equum ob ueternum adimendum putat, Pythagoræ placuisse dicit,  
 cruciametorum carnificinam igneo in orbe esse sitam, eamq; in media mun-  
 di sese locatam. Nobis uero existimandum est consentaneum uideri herebi  
 infernam sedem, sub telluris uertice esse constitutam, nam quemadmodum  
 grauiora suapte corporis natura inferiora dicuntur, ita terrena deorsum  
 suo pte pondere feruntur, ac quemadmodum excelsissimum cœli templum  
 felicitum hominū lætitiæ apposite apteq; describimus, ita uolumus funestis  
 perditorum luctibus telluris uiscera congruere. Quo sanè loco nequissimo-  
 rum reorum nefaria uoluntas ostenditur, nam primum eos dicimus orcum  
 uelle humano genere compleri, probosq; omnes demonum carnificum ani-  
 maduersione sempiterna uexari, eodemq; modo illis odiosum esse deum.  
 Cumq; primus naturæ motus finis uniuersi appetitio sit, eam ob causam pu-  
 tandum est, ab his suapte natura finem uniuersum expeti. At cum extremū  
 & ultimum felicitas dicatur, manifestum esse potest, ab hoc perditorum ho-  
 minum grege, felicitatem expeti, sed ita eam appetitionem tenuem, & per-  
 imbecillam esse dicimus, ut magis cumularum ærumnarum, quam con-  
 solandi causas afferre uideat, cum appetitio eius opinati boni, quod acquiri  
 nullo modo queat, angor sit potius & ærumna expetentis. Atq; etiam intel-  
 ligendū est, eos adeptæ scientiæ reminisci posse, ppter ea quod in patratōrū  
 scelerū mediatione, ac in acerbissima animaduersione pōderanda uersent,  
 & tum cogitationes ad prætermissorū præclarorum munerū memoriam  
 traducant, tum bonorum genera expendant, quibus se priuatos esse intelli-  
 gant, quæ amara meditatio acrius mœrorū miseriarumq; luctum exagitat.

Et cum omnia ærumnarum genera complectantur, tum nihil acerbius ex omnium calamitatum genere ferunt, quam quod à parente rerum deo contuendo arcentur. Quamobrem sæpe inter nostros est nata dissensio, an deus suppliciorum uexationem æternam futuram uelit. Multi qui nauteam ex Origenea sentino hauriunt, non modo hominum, sed etiam demonum supplicia in tempus circumscribi putant. At quidam quasi eorum ulceribus malignata leniora adhibeant, diuos modo fontibus in cœli patrocínio suffragari dicunt. At cum dissoluto iudicio inflammatiores ad opitulandum fore opinentur, cum tum absolutior sit futura charitas, plane bene liquere, eos tum precandi suffragandiq; patrocínium suscepturos. Sed cum eorum minime sit inanis peritura precatio satis esse notum, ita placari posse deum, ut quandoq; sit reis acerbissima suppliciorũ iuga depulsurus. Qui quidẽ haudquaquam ex integris essent effecti claudi, si recordari uoluissent, diuos modo facinorosorum reorum patrocínium suscipere, ut in autorem deum à flagitiorum colluione reuocentur, cum nondum sit reuocandi præteruecta facultas, intellexissentq; excedentibus sine gratia manibus nullum tempus reuocandi dari, nullumq; dissoluto iudicio suffragandi studium futurum. Sed hoc perduellionum transfugarumq; genus omittatur, nam cum eorum stolidi ambitio in tanta dissensione uerfetur, ut nihil possit eorũ mendacijs contra omnem etiam philosophiam inuolutius inueniri, nihil attinet, ut in eorum arundinibus repellendis, ancilia nostra adhibeantur.

*Quarti Sententiarum libri finis.*

Habes Pont. Max. Theologumenon sententiarum typum. Ex quo iudicare poteris, quanta cæterorum membrorum laxitas existat. Nam de deo, de ortu rerum, de instauratione, ac de sacris, æque contracte est à nobis explicata disputatio, ac in parua sepe tabella orbis magnitudo exprimit. Ammonere enim philosophos & humaniores uoluimus, ut uberius & illustrioribus literis hoc scribendi studium aggrediantur. Equidem nihil minus consentaneum esse puto, quam politioem philosophiæ esse rudem, aut philosophum infantem, cum utriusq; maxime utraq; studiorũ natura intersit. Nos enim interim Pont. Max. minime eiusmodi copulandi munus intermitteremus, siquidem & de potestate Pontificis iam quasi superfætantes ingressi sumus, quos sanè libros arbitror tibi Senatuiq; non iniucundos futuros, multaq; etiam separatim edere conamur, ne cui Theologiæ loco splendidus ornatus desit, in quibus quidem libris, sicubi unquã est à nobis titubatum, id totum tibi Senatuiq; remittimus, ut tanquam membrum luxatum reponatur.

Hieronymi

# HIERONYMISA

117

VONAROLAE FERRARIENSIS DE VE

ritate fidei, Liber primus.

## PROOEMIUM.



**L**ORIOSVM crucis triumphum contra huius seculi sapientes garrulosq; sophistas, arduū profecto ac supra vires, tēporibus tamen nostris utile opus ac necessariū diuina ope fretus aggredior. Quāuis enim ex innumeris domini nostri Iesu Christi operibus ac celebratis toto orbe miraculis, sacrisq; Theologorū monumentis fides omni ex parte adeo fundata & stabilita sit, ut de illa amplius indagari nedum ambigere superfluū curiosumq; uideatur, pleriq; tamē hac tēpestate mortales ita peccatorū sordibus uoluntantur, ut ad ueritatis lucem caligātes coelestia pro ridiculo habeāt, ac diuina miracula quasi deliramenta contēnant. Nos itaq; quos nimirū zelus domus dei comedit, praeterita ac poenę aboleta in memoriā reuocantes quasi somniculosos excitare conabimur. Licet autē fides ex causis principijsq; naturalibus demōstrari non possit, ex manifestis tamē effectibus ualidissimas rationes adducemus, quas nemo sanē mentis inficiari poterit. Non quod fides his tantūmodo innitatur, cum teste Apostolo, donū illa sit dei non ex operibus ne quis gloriē, sed ut earum subsidio nutātes basibus solidatis cōsistant increduli, ad recipiendum supernaturale fidei lumē disponantur, fideles autem his instructi armis contra impios oppugnatores procedant, passimq; illorū insipientiā detegentes simplices ab eorū faucibus incautosq; eripiant. Neq; uero est cur hac de re fidei merito derogari quis putet, propterea quod tritū illud sit, fidem non habere meritū, cui humana ratio praebet experimentū. Ad eos enim hoc tantū refertur, qui non nisi rationibus coacti credere uolunt. Qui autē primū diuino munere constantissime fidē amplexi se insuper atq; alios in ea rationibus cōfirmare cōtendunt, hi sunt praecipue cōmendandi. Principe Apostolorum Petro ita nos exhortante. Dominum autem Christū sanctificate in cordibus uestris parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quae in uobis est, fide & spe. Quia ergo rationibus duntaxat disputare contendimus nullius auctoritati innitemur. Atq; ita in toto opere progrediemur, ac si nulli hominum quamlibet sapienti, sed soli rationi ex his, quae uidemus & experimur, credendum sit. Rationi enim naturali omnes assentiri coguntur. Quoniam uero cum sapientibus huius seculi nobis modo agendum est, quos domestici & nudi sermonis lectio plerunq; fastidit consuecte simplicitatis nostrae metam, paululū in huius operis stilo, pro illorū satisfactione transgredimur.

De modo





Portet autem nos ad cognitionem inuisibilem per uisibilia deuenire, omnis enim nostra cognitio incipit à sensu, sensus uero ea solum, quæ extrinsecus sunt accidētia cognoscit. Intellectus autem subtilitate sua rerum substantiam penetrat. Quarū consideratione ad cognitionem immaterialium & inuisibilem rerum eleuatur. Dum enim substantiam & proprietates, ordinem, causas & motum rerum uisibilem speculatur per hæc in substantiarum separatarum & dei notionem quodammodo manuducitur & sublimatur, quæadmodum etiam per accidentia & motus operationes uel hominis extrinsecas ad latentis animæ interiorisq; hominis ac inuisibilem sui met partium intelligētiam peruenit. Colligentes igitur philosophi præ oculis uniuersum, cælos scilicet & ornatum eorum atq; influxum, nec non elementorum proprietates, actiones, mixtionēq; eorum multimodas, compositarum rerum uarietates, motus, & proprias passiones, mirabilem deniq; ordinem & mundi huius uisibilis magnitudinem & pulchritudinem, ad inuisibilia suspicienda mentis aciem erexerunt. Quibus inuentis eorum naturas & proprietates qualitercunq; potuerunt, inuestigare conati sunt. Sicut ergo ipsi philosophi res naturales esse opera dei cognouerunt, per quæ in eius uirtutis & gloriæ cognitionem perueniri potest, ita quæ fiunt in ecclesia Christi sensibus & ratione perceptibilia, ostendere uolumus esse eiusdem opera dei, per quæ ad notitiam maiestatis & gloriæ Iesu Christi, qui nobis inuisibilis est peruenire possumus. Quem admodum igitur omnia, quæ deus fecit in uniuerso, philosophi aggregauerunt, oportet quoq; nos colligere quæcunq; Christus in mundo operatus est. Et sicut ex miris naturæ operibus philosophi coacti sunt, confiteri deum esse primam omnium causam, & opus naturæ esse opus intelligētiae non errantis, hoc est dei. Ita ex admirandis Christi operibus ostendere uolumus eundem Christum crucifixum, esse primam omnium causam, & ipsius operationes esse dei operationes, qui errare non potest. Nec tamen propterea asserere uolumus nos ob has rationes credere. Neq; enim harum argumentationum uirtute Christiana mens ad credendum impellitur. Alioquin de huiusmodi rebus non fides, sed opinio haberetur, uirtute autem hæc credimus luminis ex deo nobis supernaturaliter infusi. Deinde his rationibus, fidelium animos alacriores reddimus & cōfirmamus. Incredulis aduersarijs demonstrantes fidem à nobis non leuiter & inaniter, sed grauitè sapientissimèq; teneri. Ut autem melius uniuersa diuersorum temporum ecclesie opera tam præsentis quàm præteritæ in unum collecta ante oculos statuamus, ad similitudinem & comparationē uniuersi, sub effigie currus triumphalis singula inferius describemus.

De triumpho

*De triumpho Christi, unde fidei argumenta eliciuntur. Cap. II.*

**D**Eus enim cum sit infinite potētiae, sapientiae & bonitatis, nō potest per unam tantum creaturam nisi imperfecte cognosci. Philosophi siquidem in tantę maiestatis notitiam ex ordine uniuersi potissimū deuenerūt, qui ordo nō ex una dūtaxat re sed ex innumeris ferè cōstat quas non multa cū difficultate prę oculis simul statuere potuerūt, cum sint omnes naturali quodā uinculo ita connexę, ut alia ex alia pendeat. Virtus quoq; & sapientia Christi, non ex uno eius opere statim poterit apprehendi. Verū si omnia illius gesta & effectus qui inde emanarunt, conspectui nostro pariter offeramus, non unam tantum rationem, sed multas ex ipsis colligentes, comelletur nimirum cuiuslibet hominis intellectus fateri, Christū crucifixum esse uerum deum. Quia si unica operatio & argumentatio minus sufficiat, omnes tamen simul collectę eam uim habebunt, ut quispiā nisi proteruę mentis dissentire non possit. Verum quia pręterita & pręsentia Christi opera non facile conspectui sese offerunt, sicut naturalia, cum quibus quotidie uersamur, & quę miro sub cęlo ordine connectuntur, oportunum duxi ea ad sensibilem imaginem sub specie currus triumphalis redacta cuiuslibet etiam rudi ingenio quasi palpanda proponere, ut non tantum singula seorsum, sed cuncta pariter cōtemplemur. Primum itaq; ante ora constituamus currum quatuor uectum rotis, & super eo more triumphantis Christum spinis coronatum. Innumeris probris & contumelijs atq; atrocissimo & turpissimo supplicij ac mortis genere superatis plagarū liuorem totiusq; cruentati corporis cicatrices & uulnera ostendentē, quibus non alijs armis cūcta subegit & captiuā in altū duxit captiuitatē. Eiusq; uertici micantibus radijs lucidissimus immineat globus trina facie trinitatē effingens, qui totū ipsum Christū eiusq; ecclesiā inenarrabili circūfuso splendore pręsus illustret. Christus uero leua crucē teneat cū cęteris passionis suę aculeis & instrumētis, utriusq; testamēti uolumē dextra cōplectens. Iuxta pedes cū super posita hostia stet calix, & circa ipsum distincta uasa aquę, uini, olei, & balsami cū reliquis sacramentorū ecclesię signis. Mox infra gradū Christi sedat pijsima eius mater uirgo Maria. Ad hęc infra ipsius uirginis gradū circunquaq; disposita sint aurea, argentea & crystallina uasa, cęlaturis & gēmis ornata, preciosis non nisi ossibus et cineribus referta mortuorū. Ante currū statim apostoli & prędicatores omnes quasi uehiculū trahētes assistāt. Pręeūtibus patriarchis & prophetis ueteris testamēti cum innumera uirorū, & mulierū caterua. Currum circūstet amplissima utriusq; sexus & cuiuslibet cōditionis agmina martyrum, circa quos sint uniuersi doctores sacri libros apertos utraq; manu gestantes. Currū dehinc sequat infinita multitudo utriusq; sexus & omnis generis & sortis hominū, Iudæorum scilicet, Gręcorū, Latinorū ac Barbarorum tam diuitū quam pauperum, sapientū, eruditorum, idiotarum & cuiuslibet ætatis

ætatis plaudentium. In circuitu autem horum omnium tam præcedentium  
 quam sequentium triumphalis pompam currus ponamus innumeras hosti  
 um turmas ecclesiam totis uiribus oppugnâtes. Imperatores scilicet, reges,  
 principes & potentes huius seculi. Sapientes quoq; & philosophos, & hære  
 ticos, ac ex omnium gentium & linguarū populis, seruis & liberis, maribus  
 ac fœminis infinitam sortis cuiuscunq; frequentia. Iuxta hos prophana deo  
 rum simulacra & idola constrata, & diruta & comminuta describatur. Nec  
 non libri hæreticorum combusti confutataq; cæterarum sectarum dogma  
 ta, cultus deniq; omnis aliarum religionum deiectus & euersus. Huiusmo  
 di ergo currus ante oculos nostros descriptus & cõstitutus, erit quasi quod  
 dam uniuersum, unde nouam philosophiam elicere ualeamus. Pro prima si  
 quidem causa & pro inuisibilibus, ad quorum cognitionem per uisibilia ni  
 tuntur philosophi peruenire, in uertice Christi radiantem globum lucidi sũ  
 mum statuimus uice sanctissime & indiuidue trinitatis. Quam summum de  
 um esse confitemur. Atq; ipsum Christum, qui nobis inuisibilis est, cæteris  
 undiq; supereminẽtem. Cui innumeris angelorum & animarum beatarum  
 choros assistere credimus. Ad quorum cognitionẽ & scientiam ex his, quæ  
 supra & circa currum uisibilia collocauimus peruenire conabimur. Sicut au  
 tem philosophi post inuisibilia cœlum dicunt esse principalem omnium, quæ  
 infra ipsum generantur causam: Ita & nos crucem & passionem Christi post  
 diuinitatem ponimus principalem causam gratiarum ecclesiæ & nostræ sal  
 utis. Et sicut post cœlum succedunt elementa: Ita post passionem Christi ser  
 quuntur ecclesiastica sacramenta. Et quemadmodum elementa uirtutem or  
 mnem habent à cœlo, ita sacramenta uirtutem à passione Christi cõsequunt  
 tur. Post elementa uero semina in mundo & agentia particularia ponimus.  
 Pro seminibus ergo in triumpho nostro doctrinam accipimus Euangelicã,  
 sanctorumq; opera & exempla, quorum ossa ac cineres nos memores red  
 dunt. Eorum namq; monumentis, meritis & exemplis ecclesia quotidie clari  
 ris ac fructuosis operibus fœcundatur. Insuper pro particularibus agẽtib;  
 descripsimus Apostolos, Patriarchas, Prophetas, Martyres, ac Doctores,  
 qui dum uiuerent, uniuersum terrarum orbem suis prædicationibus in Chri  
 sto regenerarunt. Sancti enim dum Christo cooperantur particularia agent  
 tia recte uocari possunt. Eorum uero scripta bona opera & exempla, quæ sa  
 pissime in ecclesia recoluntur, nobis semina bene uiuendi proculdubio exi  
 stunt. Postremo in hoc mundo corporea sequuntur effectus pro quibus am  
 plissimam hominum multitudinem cuiuslibet conditionis descripsimus ad  
 Christum exemplis & adhortationibus sanctorum cõuersam, quæ cum pie  
 tum etiam sanctissime uixit. Sed quia in rebus naturalibus omnis motus est  
 de contrario in contrariũ, & generatio unius est corruptio alterius, in omni  
 generatione pugnantia inuicem contraria requiruntur. Vbi semper maior  
 præualeat

præualet uirtus. Propterea hostes Christi & ecclesiæ eorumq; errores uin-  
diq; Christo duce fugatos & euulsos in hoc mundo descripsimus. Porrò ex  
quatuor rotis quatuor mundi partes intelliguntur per fidem & ueritatem  
Christi mirifice illustrate. Sicut ergo philosophi præ oculis habentes ordi-  
nem uniuersi & eius effectus considerantes admiratione & ardore dicendi  
ipsas naturalium effectuum causas perquirendo, paulatimq; ab inferioribus  
ad superiora ascendendo, ad cognitionem diuinæ maiestatis & inuisibilium  
peruenerunt. Ita & nos si triumpho & descriptionis huius imaginem præteri-  
tosq; & quotidianos effectus hinc elicitos diligentius perscrutati fuerimus,  
incipiemus admirari & eorum causas inquirere, & per hoc ad diuinitatem  
Christi & inuisibilia maiestatis eius cognoscenda gradatim transferemur.

*Positiones omnibus concedendæ.*

*Cap. III.*

**V**T autem in hac nostra disputatione congrue procedamus. Scien-  
dum est, oportere disputates in aliquo semper uel in quibusdã con-  
uenire. Alioquin si in omnibus dissideret nõ haberet disputatio lo-  
cum. Ea uero, in quibus semper conueniunt disputantes, sunt omnibus æque  
notissima. Quæ uel sensu, uel inductione cognoscuntur. Vel eis uirtute lumi-  
nis intellectus agentis, cum proponuntur statim assentimur. Licet in multis  
etiam possint conuenire disputantes non æque omnibus, sed ipsis tantum-  
modo notis. Oportet ergo nos notissima quedã quasi fundamenta proponere.  
Quæ si negarentur, omnis nostra disputatione solueretur. Quia contra negan-  
tes principia non est disputandum. Siquis enim negaret aliquid moueri, uel  
ut Zeno, cum eo phycus disputare non posset. Cum phycus omnia uel  
quædam moueri præsupponat. Conueniamus ergo in hoc primum scilicet  
Iesum Christum à ludæis fuisse crucifixum & ab omnibus ferè gentibus pro  
deo habitum & adoratum, hoc enim cunctis tam fidelibus quam infidelibus  
planè constat. Quod Hæretici, ludæi, Mahumetani & omnes gentilium &  
barbarorum linguæ fatentur, & ab initio perpetua successione Christiani  
eum ad hæc usq; tempora ita coluerunt. Libri quoq; de ipso Christo eiusq;  
ecclesia quocunq; idiomata æditi tam fidelium quam aduersariorum ubiq;  
terrarum uulgati abunde nobis perhibent testimonium. Nulla deniq; mun-  
di regio, aut angulus uix relictus est ullus, ubi Christianarum ecclesiarum mo-  
numenta non extent. Nec aliquis ferè inuenit in orbe locus, in quo uel Iesus  
Christus crucifixus tanquam uerus deus non adoretur aut retroactis tempo-  
ribus ibidem non fuerit adoratus. Vel saltem ubi nesciant à Christianis eum  
dem ut uerum deum hætenus cultum & in presentia coli. Vnde infideles eum  
uocant deum Christianorum. Quamobrem delirum & stultum foret id ne-  
gare, quod omnium ora scripta, uestigia & antiqua monumenta testantur.  
De alijs consequenter in triumpho designatis idem asserimus. Videlicet de  
cõfessione & adoratione sanctissimæ Trinitatis, Crucis, Eucharistiæ, uirginis  
L Marie

Marie atq; sanctorum, quorum cineres & ossa loculis recondita pretiosis in toto terrarum orbe notissimum est à Christianis summa in ueneratione haberi. Vt etiam hæcenus habita sunt. Atq; etiam notū est Apostolos crucis Christi præcones extitisse, & ante eos Hebræi populi Prophetas & Patriarchas, hinc Martyres & sanctos ecclesie doctores. Infinitam quoq; monachorum, clericorum, religiosorum, & secularium multitudinem Christū inuolubiliter confitentium in hunc usque diem præcessisse. Tyrannos quoq; & Philosophos Oratores aliosq; innumeros constat cōtra ecclesiam & fidem Christi acerrime pugnasse. Ex prædicatione item crucis Christi prostrata deorsum simulacra, mundi sublato errores. Regem deniq; Romanorum piscatori colla subiecisse, & innumeras hæreticorum turbas cum libris & iniquis suis dogmatibus ad nihilū redactas esse, luce clarius est. Hæc ergo & his similia quæ in tractatu nobis occurrent. pbare non oportet. Sed ea tanquā omnino uera supponimus, ueluti etiam quæ oculis cernimus naturalia uel prima scientiarū principia, quæ ab omnibus affirmantur, non probamus, quia lumine intellectus ea statim apprehendimus constantissimeq; tenemus. Neminē enim sanē mentis putamus talia negaturū, quæ publico cōspectui manifeste se offerūt. Perspicuum nanq; est non solum à populo ritè Christiano, qui non paruam orbis possidet partem, uerum etiam à plerisq; latissimarum regionum populis, licet uarijs implicentur erroribus, in India et alijs mundi partibus penē omnia hæc indubitata fide summaq; ueneratione coli, & quotidie renouari. Quin imò Mahumetani, gēs innumerabilis, apud quos certa extant fidei nostræ argumenta, proculdubio Christum apud se regnasse mirabiliaq; multa fecisse testantur. Neq; eum modo haud impunè blasphemant, sed eiam uenerantur. Si ergo dementis est ea negare, quæ cunctis perspicua sunt, & manibus quodammodo attriētantur. Profecto quæ diximus, negare nemo poterit nisi omnem prorsus effugiat ueritatem, eiq; impudenter ac insipienter obstitat.

*Solutio obiectorum contra dictas positiones.*

Cap. IIII.

**S**ED obiciat fortè quispiam, mirabile esse neminem historiographorum gentilium hæc suis scriptis mādasse, quæ profecto si uera essent, non fuissent ab eis silentio prætermissa. Quis enim non admiretur eos diligentissime bella regum & magnorū uirorum gesta descripsisse, hoc autē Christi opus, quo nullum maius nullumq; mirabilius ac magis in toto terrarum orbe prædicatum celebratumq; inueniri potest, prorsus omisisse. Tametsi à multis contradicentibus testimonium facti confirmatum sit. Dum ea quæ scriptis suis carpunt, ostenderint potiusquam confutarint. Respondemus tamen falsum esse quod nemo gentilium Christi & ecclesie opera commendauerit. Quin imò ex his plurimi doctissimi & grauissimi uiri elegantè copioseq; scripserūt, quæ auditis & perspectis Christi operibus eiusq; sanctorum,

sanctorum, ad fidem conuersi sunt. Ac libros innumerabiles de eorum laudibus ædiderunt, ubiq; terrarū postea uulgatos. Sicut in ecclesia legi quotidie cernimus. Quod si rursus obijciatur non hæc dum in gētilitate permāserunt, sed post christianitatis uotum eos tractasse, atq; ideirco haberi de ueritate suspectos. Respondemus hinc magis fidei nostræ ueritatē declarari. Cum non solū perpetuis chartis laudes & opera Christi & ecclesiæ extulerint. Sed re ipsa imitari non dubitarint. Dum relictis erroribus & idolis suis plurimi eorum pro hac ipsa fide proprium inde sanguinem effuderūt. Non enim Christi & ecclesiæ præconia, Christiani solum ab infantia in fide hac instituti celebrarunt, ac talia passi sunt. Verū etiam innumeri diuersarū nationum & linguarū eruditissimi ac præstantissimi uiri non nisi post maturos annos fide suscepta eadē peregerunt. Quid autē mirum: Si increduli, contumaces atq; superbi, qui etiam inspectis miraculis donū fidei ex proprio demerito non receperunt, in arcum prauum cōuersi sunt, nihil omnino de tam magnifico opere scribere curātes. Sed eius doctrinā deprauare conantes summo studio elaborauerunt, ut Christi memoriā & ecclesiæ funditus delerent. Maius autem robur ipsius fidei ueritati & Christi doctrinæ prestiterunt, qui ex infidelitate ad sacrum baptisma cōuersi eam non solum efficaci prædicatione scriptisq; ac bonis operibus cōmendarunt, sed etiam immania tormenta pro ea defendenda atq; seruanda cōstantissime pertulerunt, quā si in errore infidelitatis perseverātes magna super his uolumina ædidissent. Præterea huius rei duplex causa reddi potest, uidelicet dei prouidentia & hominū cæcitas. Credimus enim deum omnia tam spiritualia quā corporalia mouere omniumq; habere prouidentia (ut paulo post ostendemus.) Neminemq; idcirco ad scribendū moueri posse, nisi à deo prius moueatur. Cum nihil agere possit causa secunda, nisi à superiore sit prius mota. Quæstionē ergo ad primam causam resoluentes, querentibus quare deus gētiles historiographos ad Christi & discipulorū eius opera describenda minime cōmouerit, respondemus, quod cum deus omnia recto ordine agat, utitur medijs conuenientibus ad operū suorum productionē. Cum ergo opera Christi & ecclesiæ sint mundissima & diuina (ut inferius probauimus) gentiles uero essent immūdi & peccatorū sordibus pleni, non erat conueniens ut talibus medijs deus ad opera sua exaranda uteret. Ad hæc cum Christus sit ueritas, & ad hoc uenerit in mundū ut testimoniū perhibeat ueritati, nō decebat ut uiri nugaces pleni mendacijs, cuiusmodi extiterūt Poëtæ Oratoresq; gentiliū, immaculatā hanc ueritatē contrectarent, qui suos principes carminibus & orationibus mendacissime sæpe exornant, & homines scelestissimos non nunquā ad sidera extollunt. Ideo libros suos mendacijs implessent, & limpidū ueritatis fontem cœno confudissent. Oratores quoq; gentilium utebantur eloquentia ratione naturali inuenta, Magisq; linguam suam magnificare, quam ueritati insistere

tati insilere cupiebāt. Cum ergo Christi opera sint supra rationē humanā, ut deinceps probauimus, non cōgruebat tales uiros, qui solo lumine naturali ducebant, eis se immiscere, quæ lumen naturale transgrediuntur. Causa quoq; fuit eorū cæcitas. Peccata siquidē excæcant homines. Cumq; ij essent peccatis obruti, & præsertim uento superbiæ tumidi atq; inanis gloriæ cupidī, obscuratū est insipiens cor eorum, & magnalia dei cognoscere nequiuērunt. Ita ut nec illuminationes cæcorū, nec suscitationes mortuorū, nec alia Christi miracula & discipulorū eius aduerterēt, aut alicuius existimatiōnis putarent. Ideoq; de huiusmodi rebus nihil scripserunt, sed tanquā cōtempribilia aut supersticiosa neglexerunt. Præterea cum christiani idolorū euerisionē principibus & populis suadere conarētur illorū cultū detestantes, à Poëtis & Oratoribus, qui ab in cunabulis in prophanorū deorum laudibus & fabulis enutriti erant, & in ijs ingeniū attriuerant, summo odio habebātur. Tum quia illi studiū & operā se perdidisse cōspiciebant. Tum ut tyrannīs, qui sæpe christianis ualde infensi erant, magis placerēt. Ideo de admirandis Christi operibus, aut nihil profus, aut in contēptum potius contumeliāq; scripsere. Postremo cū uideamus oratores ac poëtas omnes & huius seculi sapientes ardētissimo studio apud principes atq; magnates laudē, gratiā beneuolentiāq; captare, ppter quod eos extollētes eorūq; aduersarios deprimētes multa mendacia cōfingunt, his artibus nil fauoris aut præmij apud christianos, qui ueritatis sunt amatores & paupertatis cultores, sperare poterant. Itaq; nemo mirari debet si Christi opera tacuerunt. Verū postquā terrenum imperium cœpit ecclesia possidere, non defuere uarij scriptores, qui principū ac præsulū laudes, uel maxime falsas carminibus & historijs celebrarūt. Talibus aut ueritas non eget. Satius ergo fuit ut intactā illam indigni autores ac uani testes omnino reliquerint. *De ordine procedendi. ca. v.*

**C**um itaq; inuisibilia dei per uisibilia cognoscātur, sciendū est quedā inuisibilia dei esse, quæ per eius uisibilia opera naturali uirtute luminis intellectus agentis cognosci possunt. Ad quæ etiam philosophi peruenerūt, ut deum esse & ipsum esse unum & actū purum, & similia. Quædam autem inuisibilia dei nulla ratione humana inuestigari possunt. Nemini enim dubiū esse debet infinita esse intelligibiliū diuinorū secreta, quæ humanæ rationis capacitātē penitus excedūt. Cum uideamus in specie humana, in qua homines quo ad naturā sunt æquales à magnis philosophis subtilia quædam intelligi, ad quæ nullo modo puerorum uel rudium hominum intellectus ascendit. Cum ergo deus homines excedat infinite, in eo pariter infinita necessario sunt, quæ nullus creatus intellectus penetrare aut scrutari queat, præsertim cum in rebus sensibilibus cognoscendis, quas assidue tractamus defectū scientiæ nostræ experiamur, proprietates eorum plurimas ignorantes. Quanto ergo magis in deo id existimandū est, cum rerum sensibilibium

bilium effectus, per quos in eius cognitionē deuenimus, non modo primam causam non adequēt, uerū etiam ab ea remotissime distent. Qua propter ex ijs de deo per quē pauca intelligere ualemus. Quæ igitur sola fide tenemus, supra humani ingenij uires esse dicimus. Ut deū esse trinū, & ipsum esse hominē & cætera huiusmodi, quæ per rationes seu per effectus naturales inuenire non possumus. Ex effectibus tamen supernaturalibus possumus aliquo modo de eis fieri certiores. Nā sicut effectus naturales nos in cognitionē dei perducunt, & has propositiones esse ueras indicant, uidelicet quod deus est idemq; unus & infinitus neq; tamen per ipsos cognoscimus deum, sicuti est, nec eius substantiā uidemus. Ita etiam per supernaturales effectus possumus fieri certiores de ueritate harū propositionū, scilicet quod deus est trinus, & quod dei filius deus est & homo. Attamen per ipsos cōprehendere non ualemus deum trinū & deum hominē prout est. Quia ergo gratia præsupponit naturā. Primo agemus de ijs dei inuisibilibus, quæ per effectus naturales inuestigari possunt. Deinde de ijs quæ per supernaturales effectus aliquo modo percipiunt. Verū quia plures & philosophi & catholici doctores de primis inuisibilibus sufficientissime tractarūt, pauca super his afferemus, cum ab illis adeò sint efficaciter probata, ut nullus pateat dubitationi locus.

Deum esse.

Cap.

VI.

**P**rimū itaq; necessariū est probare deum esse. Sed quia multitudinis usus in nominādis rebus tenēdus est, & de subiecto oportet prius scire quid nominis, necesse est primū intelligere quid per nomen dei accipiant homines. Certū est autē quod omnes dei nuncupatione intelligunt quoddā summū, quod quidā primum motorē, alij primā causam & primum principiu rerum, alij uero summū bonū uel primā ueritatē nuncupauere. Siue ergo per deū intelligamus primū motorē, siue primā causam uel primū principiu, uel summū bonum, uel primā ueritatē, uel aliquid huiusmodi, manifestū est per philosophorū demonstrationes nos oportere confiteri deum esse, quas pro ordine libri breuissime perstringemus. Sēsu enim percipimus aliqua in hoc mundo moueri, omne autē quod mouet, necesse est ab alio moueri. Cum nihil possit esse simul in actu & in potētia secundū idem, sed in motibus & motis non est procedere in infinitū. Quia nō esset aliquod primū mouēs & per consequēs nec aliquid aliud, quia mouētia secunda nō mouēt nisi per hoc quod sunt à primo mota. Necesse est igitur deuenire ad unū primum motorē, quem deum uocāt. Simile argumētum adducunt ratione causæ efficientis. Inuenimus enim in his sensibilibus esse causarū efficientiū ordinem, nec tamen in eis inuenit nec est possibile, aliquid esse causam efficientē sui ipsius, quia sic esset prius seipso, quod est impossibile. Cū ergo nec in huiusmodi causis sit procedere in infinitū ex eo quod secundæ causæ non agunt nisi in uirtute primæ, necesse est dare aliquā primā causam efficientē, quam



omnes cōmuni cōsensu deum nomināt. Præterea cū in rebus aliqd inueniat magis aut minus, bonū, uerum, & ens, nō potest hoc esse in diuersis, nisi pro ut magis uel minus appropinquāt alicui summo bono, uel summo uero, uel summo enti. Oportet ergo esse aliquid in rebus optimū, uerissimū & nobilissimū ens, quod deum simili modo appellant. Videmus insuper ea, quæ cognitione carent, operari propter finē. Quia semper aut frequentius eodem modo operantur, ac fines suos per debita media consequuntur. Vnde patet quod non à causa sed ab intentione alicuius intellectus ea dirigentis sic procedunt, quem intellectu deum uocant. Quibus etiam hoc signū addere possumus, quod nulla inclinatio naturalis frustra esse potest, ut liquet per omnia naturalia tam animata quā inanimata discurreti. Naturaliter autē omnes homines inclinātur ad credendum aliquē esse huius uniuersi gubernatorē, quē deum uocant. Cuius signū est quod nemo unquā nisi mente captus cōsistere in hoc potuit, ut firmiter sentiret deum non esse. Nulla deniq; gens tam fera tam barbara est, quæ nō deum aliquo modo fateatur, quod per omniū ætatum curricula in hæc usq; tēpora ubiq; terrarum obseruatū est. Quod autē omnibus & omni tempora conuenit naturale esse uidetur. Cæterum quia in repentinis cuiusq; habitus & inclinatio naturalis maxime dignoscit, ex hoc naturaliter nobis insertam dei cognitionē comprehendere possumus. Videmus enim in repentinis periculis omnes homines, ubi se humano auxilio destitutos conspiciunt, naturali quodā instinctu non ratione eos mouēte, ad superiora cōverti. Quia naturaliter ad suam causam cōuertitur effectus. Quā obrem manifeste patet naturaliter nobis insertum esse, quod sit aliquod primum rerum principium & gubernator uniuersi, quem deum appellant.

*Deum non esse corpus, nec corporis formam, nec aliquid compositum. Cap. VII.*

**D**eum uero non esse corpus nec corporis formā nec aliquid cōpositum, sed actum purū nemo philosophorū ambigit. Corpus enim (ut ipsi philosophi probāt non mouet nisi ab alio motum. Si ergo deus esset corpus, non esset primum mouens immobile. Præterea non esset etiam in entibus nobilissimū, manifestum est enim spiritum esse corpore nobiliorem. Item cum actus simpliciter ex natura sit prior potentia, quia nihil potest reduci in actum nisi per ens actu. Si deus esset corpus, esset ens in potentia, & sic non esset primum ens. Non est etiam alicuius corporis forma. Idem quod per se habet esse, nobilius est eo, quod esse habet in alio. Omnis autem forma corporis existit in alio. Cum igitur deus sit ens nobilissimum eum prima essendi causa, non potest esse alicuius corporis forma. Præterea ipsa corporis forma non est ipsa res, quæ ex ea & materia componitur, sed est essendi principium. Totum ergo cōpositum est aliquid, quod nec est forma tantum nec materia sola, & est perfectius quam materia & forma, cum totum sit perfectius suis partibus. Si ergo deus esset corporis forma, nō esset ens per

ens perfectissimum. Quia aliquid esset eo perfectius. Præterea quod uenit in alicuius compositione, non est primo & per se agens. Nō enim manus agit, sed homo per manum. Si ergo deus esset corporis forma, non esset prima & per se agens & per consequens non esset prima causa. Sicut autem deus non uenit in alicuius rei compositionem, ita nec ipse compositus est, sed actus purus: Non enim esse dei & sua essentia differunt, alioquin esset ens per participationem & non per essentiam, & sic aliquid eo prius esset, quia omne quod est per participationem, dependet ab eo quod est per essentiam. Cum igitur deus sit primum ens, à quo dependet omne ens, oportet quod quicquid est in deo sit essentialiter in eo, id est, quod non differat à sua essentia, & sic sequitur deum esse actum purum. Item cum omne cōpositum sit posterius suis cōponentibus & ab eis pendeat & ex necessitate causam habeat. Quia ea quæ sunt secundū se diuersa, non cōueniunt in unū nisi per aliquē causam ipsa uerientē, sequeretur deū non esse primū ens, à quo omnia alia entia deriuantur nec primam causam efficientem, quod iam improbatum est.

*Deum esse perfectum & summum bonum, infinitæ potentie ubiq; immutabilem & æternum. Cap. VIII.*

**S** ergo confiteamur sicut oportet deum esse actum purū, ipsum quoque esse perfectum & summū bonum, & infinitæ potentie & ubiq; immutabile & æternū confiteri ualidissimis rationibus cōpellemur. Deum namque esse perfectum & summū bonum si ipse est actus purus manifestissima ratione probatur. Esse enim per se subsistens cōtinet totam perfectionē essendi. Quæadmodum si quis per se calor esset, totam contineret essentialiter caloris perfectionē. Cum ergo deus sit actus purus, & esse per se subsistens, nihil de perfectione essendi ei deesse potest. Omnium autem perfectiones pertinent ad essendi perfectionē. Quia res dicuntur perfecte per hoc, quod aliter quo modo habent esse, unde sequitur nihil bonitatis & perfectionis deo deesse. Sicut autem ex hoc quod deus est actus purus, sequitur ipsum esse summū bonum. Ita ex eodem sequitur ipsum esse infinitum & infinitæ potentie. Infinitum enim dicitur aliquid ex eo quod non est finitum. Vna quæque autem forma in se considerata ad multa communis est, & per hoc dicitur infinita. Cum uero recipitur in materia, fit forma huius rei determinata, & sic dicitur finiri. Cum igitur deus sit actus purus, & esse suum non sit in aliquo receptum, sed sit per se subsistens. Manifestum est quod deus non est finitus. Sed maxime formalis & infinitus. Id autem, quod est maxime omnium formale, est ipsum esse. Et cum unum quodque ea ratione, qua est in actu & perfectum, sit principium alicuius actiui (patitur autem unum quodque prout est deficiens & imperfectum) cum deus sit perfectissimus & actus purus, manifestum est quod ei maxime competit principium actiui, & habere potentiam infinitam. Ipse enim se toto agit & nihil habet po-

tentiæ passiuæ. Ex hoc etiam sequitur deum ubiq; esse indiuisibiliter. Oportet enim omne agens ei coniungi, in quod immediate agit, quia mouens & motū simul esse oportet. Cum ergo deus sit prima & uniuersalis omniū causa & sit actus purus & suum ipsius esse, oportet quod omne aliud esse productū sit proprius eius affectus. Sicut igniri est proprius ignis effectus. Et cum deus sit omniū causa non solum in fieri, sed etiam in esse, ipsum deum ad esse rebus oportet non solū prima inchoatione, sed quā diu in esse cōseruantē. Et cum esse sit unicuiq; rei maxime initiū (est enim formale respectu omniū que sunt in re) affirmare oportet deum omnibus in rebus ualde intimū esse. Cū insuper deus sit omnino inuisibilis, utpote quia est actus purus, necesse est fieri ipsum esse in quolibet re & in quolibet cuiuslibet rei parte totū & indiuisum. Ex his quoq; que dicta sunt, cōcludit̄ ipsum esse omnino immutabilē & æternū, quia actus purus nullā potest recipere mutationē, oportet em̄ id quod mutatur esse, aliquo modo in potentia, quia motus est actus entis in potentia in quantum huiusmodi, ut philosophi probāt. Hinc itaq; arguit̄ ipsum esse æternum, quia nisi esset æternus, esset mutabilis, & per consequens in eo esset potentia passiuā, & sic non esset actus purus, quod superius redargutū est. Præterea si deus non esset æternus, uel principiū uel finē, uel utrunq; simul haberet. Sed hoc est impossibile, quia si haberet principiū, iam nō esset ipse deus, sed eius principiū, quia non esset actus purus, sed haberet esse ab alio receptū. Si sine clauderet, consequenter esset mortalis uel in nihilū resolubilis. Atq; ita non haberet potentiā infinitā, sed aliqua præesset illi potentia. Que in nihilū uertere illum posset.

*Deum esse unum.*

Cap. 18.

**D**Eum quoq; esse unum ex eisdē principijs cōstat. Illud enim unde singulare est hoc aliquid nullo modo est multis cōmunicabile. Cum ergo deus sit ipsum suum esse suāq; natura & actus purus, aliunde quā à natura sua habere nō potest ut sit deus, & ut sit hic deus. Ergo illud, unde deus est hoc aliquid, est ipsa natura. Quare eius natura non est pluribus cōmunicabilis. Impossibile est igit̄ plures esse deos. Præterea cum deus totā in se contineat essendi perfectionē (ut dictū est) si essent plures dii, oporteret eos inter se differre. Aliquid igitur cōueniret uni, quod non alteri, & si hoc esset priuatio, non esset simpliciter perfectus. Si uero perfectio. Alteri eorū deesset. Impossibile est ergo plura esse quæ cōprehendant totā in se essendi perfectionē. Plures ergo dei esse non possunt. Quin & entia cūcta uidemus esse inuicem bene ordinata, dum alia alijs deseruiunt. Quæ autem diuisa sunt, in unum ordinem non cōuenirent. Nisi ab uno aliquo ordinarētur. Melius enim in unū ordinē multa per unum quā per plures redigunt̄. Oportet igitur primum, omnia in unum ordinem redigēs, unum tantū esse, quod est deus. Cuius etiam argumentū est, quia in naturalibus ubi manifeste apparet aliquod regimē, ut in apibus, per unum multitudinē ordinari uidemus.

Et cum

Et cum ars imitetur naturam, conspicuum & omne hominum regimen, cuiuscunq; conditionis aliquo modo reduci ad unum. Nullumq; regimē posse durare, nisi ad unius regentis arbitrium quouis modo reducatur.

*In deo esse intellectum perfectamq; rerum cognitionē, eumq; non necessitate naturæ agere, sed uoluntate.* Cap. X.

**E**X prædictis etiam perspicuū est in deo esse intellectū & cognitionem rerum perfectam, & nihil ipsum ex necessitate agere, sed per intellectū & uoluntatē. In rebus enim naturalibus uidemus quod rerum natura cognoscentiū maiorem habet amplitudinē & extensionē natura nō cognoscentium. Non cognoscentia enim non habent nisi formā suam. Sed cognoscentia apta sunt habere etiam formam rei alienæ. Nam species cogniti est in cognoscēte. Cum ergo coarctatio formæ, sit per materiā patet quod immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognitiua, & ideo secundū immaterialitatis modū, est modus cognitionis. Vnde plantę ppter suam materialitatē nihil cognoscunt, sensus uero cognitiuus est, quia receptiuus est specierū sine materia. Multoq; magis intellectus, q̄a magis recedit à materia. Cum ergo deus sit in summo immaterialitatis gradu, q̄a est actus purus, sequit̄ quod ipse sit in summo cognitionis. Vnde oportet dicere quod deus omnia perfecte cognoscit. Quia uero (ut sepe dictū est) deus est actus purus & summe simplex, non potest dici quod cognoscat recipiendo specierū, quē admodum sensus & intellectus noster. Sed quod ipse sit suus intellectus & sua sapientia, & quicquid cognoscit per se ipsum cognoscit. Cum ergo secundū immaterialitatis modum sit cognitionis modus, & ipse sit in summo immaterialitatis, sequit̄ quod ipse se ipsum perfecte cognoscat, totamq; suam uirtutē cōprehendant. Imō quod sit ipsa cognitio & sapientia. Cum aut̄ alicuius rei uirtus perfecte cognosci non possit, nisi omnia cognoscant, ad quæ se uirtus extendit, uirtus uero diuina se extendat ad omnia, q̄a est prima causa omniū effectiua, & infinite potētia, patet quod deus cognoscendo seipsum omnia alia cognoscit. In seipso enim omnia alia à se uidet, in quantum eius essentia omniū aliorū ab ipso similitudinē cōtinet. Quod ex hoc patet, q̄a ppria uniuscuiusq; natura cōsistit, prout aliquo modo diuine perfectionis est particeps. Cum ergo deus seipsum perfecte cognoscat, oportet, eum quoq; modos omnes cognoscere, quibus ab alijs sua perfectio est participabilis. Atq; ita singulos cognoscit rerum omnium essendi modos. Ideo stulta est positio quorundam dicentium à deo superiora solum, non inferiora nisi uniuersaliter confuse cognosci. Ridiculum quippe est asserere quod homo aliqua cognoscat, quæ non cognoscit deus. Neque minus stultum est dicere hominem aliqua perfectius quam Deū cognoscere. Si ergo hæc inferiora distincte & particulariter homo nouit, quomodo poterit quis affirmare à deo hæc uniuersaliter tantum, & confuse intelligi. Certe uidemus

te uidemus in rebus naturalibus quod quanto aliqua uirtus est eminentior & perfectior tanto etiam ad plura se extendit & penetrabilior est. Cum itaque diuinus intellectus sit summe perfectus & eminentissimus, negari non potest, quin omnia penetrans profundissime cognoscat. Cumque sit immutabilis & eternus, cogimur confiteri non solum ei fuisse omnia presentia postquam facta sunt, sed etiam ante quam fierent. Non enim ipse accipit scientiam a rebus, sed ipsius scientia est causa rerum. Ideo dicimus quod deus non per necessitate naturae, sed per intellectum & uoluntatem omnia agit. Cum enim intellectus & natura agant propter finem, natura uero finem et media non cognoscat, necesse est ut agenti per naturam praestituatur finis, ad quem a superiori aliquo intellectu media necessaria ordinentur. Quare oportet agens per intellectum & uoluntatem prius esse agere per naturam. Et cum primum in ordine agentium sit deus: Necessario sequitur quod ipse per intellectum & uoluntatem agat. Praeterea omne agens per naturam, uno & eodem modo semper operatur, nisi impediatur, quia agit secundum quod est tale, & quam diu tale est, non nisi tale facit. Si ergo deus ageret per naturam, cum in se omnem contineat essendi perfectionem, oportet ab eo produci aliquid indeterminatum & infinitum in essendo, quod fieri non potest. Praeterea secundum hoc effectus a causa agente procedunt secundum quod in ea praexistunt, Quia omne agens agit sibi simile. Cum ergo deus sit totus intellectus, eius effectus in ipso praexistunt secundum modum intelligibilem. Et sic per modum intelligibilem ab eo procedunt, quod est procedere ab intellectu determinato per uoluntatem. *Deum habere rerum omnium prouidentiam. Cap. XI.*

**S**igitur haec ita se habet, nemo poterit iam dubitare deum non solum habere rerum omnium naturalium prouidentiam, sed etiam rerum quarumcumque humanarum uel minimarum. Prouidentia enim est ratio ordinis rerum ad finem. Deus autem est prima omnium causa in effectum plus influens quam secunda. Quia ergo deus in omnibus rebus operatur non necessitate naturae, sed intellectu & uoluntate, cum sit summa sapientia, cui competit cuncta bene, ordinatque recteque disponere, patet, nihil deum agere, quin sit optime ordinatum. Oportet ergo in deo esse rationem ordinis omnium rerum ad finem, omniumque gerere prouidentiam. Videntes itaque philosophi in cunctis naturalibus rebus mirum ordinem, intellexerunt stultum esse dicere: Deum earum prouidentiam non habere. Verum difficultas fuit rationalis creaturae in rebus humanis. In quibus omnia uidentur esse confusa. Sed si recte consideretur, profecto conperimus non esse minus stultum dicere: Deum non habere prouidentiam hominum, quam naturalium rerum, quarum ipse homo est finis. Quanto enim aliqua sunt in uniuerso nobiliora, tanto plus participant ordinis. In quo bonum uniuersi consistit. Si igitur res naturales & quo ad substantiam & quo ad operationem cadunt sub ordinem diuinae prouidentiae: Multo magis homo cum operationibus suis. Insuper per quae sunt propinquiora fini, magis sub ordine continentur, qui est ad finem, quam

nem, quam remotiora, quia illis medijs alia ordinantur ad finem. Homines autem eorumq; operationes propinquius ordinantur ad deum sicut ad finem quam actiones aliarum rerum naturalium: Ideo magis subeunt ordinem diuinae prouidentiae, quam res naturales. Præterea gubernatio diuinae prouidentiae ex amore diuino prouenit, quo Deus tanquam prima causa res à se factas & à se dependentes amat. Quanto ergo deus aliqua maiori amore prosequitur, tanto magis sub eius prouidentiam cadunt. Certum est autem quod magis homines amat quam res naturales, ut scitur ab effectu. Quia potiora eis bona contulit. Item ex cognitione effectuum tendimus in cognitionem causarum. Cum ergo omnia pendeant à deo tanquam à prima causa, secundae quoq; causae sunt effectus primae. Videmus autem naturalissimum esse omnibus secundis causis suorum effectuum habere prouidentiam, quia tota uirtute conantur eos per debita media ad finem perducere. Quod quidem non nisi ex magna eorum prouenit bonitate. Signum ergo est quod prima causa multo amplius quam secunda suorum habeat effectuum prouidentiam, à qua cum homo sit eius effectus, omnes eius operationes dependet. Ergo deus tam hominum quam humanarum rerum habet prouidentiam.

Præterea si deus rerum humanarum prouidentiam non haberet, cum omnia agat per intellectum & uoluntatem, aut hoc eius impotentiae in prouidendo tribueret, quod est falsum, cum ipsius potentia sit infinita, & omnia operetur in omnibus, aut eius circa res humanas ignoratiae, quod superius est improbatum, aut ipsius uoluntati, quod est contra eius bonitatem. Nemo enim bonus despicit opus suum, nec aliqua causa suum effectum. Neque uero recta aut sapiens est illa actio, quae ignobiliora procurat, & nobiliora prorsus omittit. Item cum deus sit causa æquiuoca, excellentissimo modo cuncta bonitate exuperat. At uero in humanis aduertimus quod excellentis bonitatis & sapientiae uiri praesertim si facultas detur, rebus humanis prouidentiam adhibent. Multo itaque magis deus.

*De fine hominis, ad quem diuina dirigitur prouidentia. Cap. XII.*



Via uero ad prouidentiam pertinet res ad fines suos per debita media mouere & ordinare cum non omnium sit unus proximus finis. Necesse est diuersimode ad suos fines per eam diuersa moueri. Quae igitur ratione caret ad suos fines deus naturali mouet inclinatione, quae prouenit ex forma, ita ut potius agantur quam agant. Homo uero qui est liberi arbitrii, aliquid de diuina prouidentia participat, & ideo ad finem suum à deo ita mouetur, ut etiam seipsum moueat ad illum, & in hoc deo cooperetur, operationes suas dirigens ad aliquem optatum & praestitutum sibi finem. Ad ipsum ergo hominem attinet omni studio ac diligentia inquirere ultimum finem, ad quem diuina prouidentia rationale animam ordinauit & mouet. Nec non debita media, quibus certissime ad ipsum deo disponente

disponente peruenitur, ut se & sua omnia recte instituere & ordinare possit. Philosophi itaq; magna diligentia hæc inuestigare conati sunt. Et sicut natura ex imperfecto gradatim tendit ad perfectum, ita & ipsi in elucidanda ueritate successiua inuestigatione magis profecerunt. Antiquiores enim de hac materia imperfecte disseruerunt. Posteriores uero noua prioribus cōferentes ueritatiq; propius accedentes aliquid melius enuntiarunt. Qua propter excellentissimi philosophorum rationibus efficacissimis diffinierunt humanæ uitæ finem esse diuinorum cōtemplationem. Hæc enim sola & propria est hominis operatio, ad nihil aliud ordinata tanquam ad finem, sed propter se ipsam desiderata, hominemq; deo & substantijs separatis coniungens. Ad quam homo ipse est magis sufficiens sibi quam ad omnes alias operationes, quia ad eam rerum exteriorum adminiculo minus eget. Hæc insuper est rerum finis omnium ad hominem pertinentium. Ad cōtemplationis enim perfectionem exigitur corporis incolumitas, ad quam omnis ars humanæ uitæ necessaria ordinatur. Et cum ad eam pariter quies à perturbationibus passionumq; sedatio per prudētiam & uirtutes morales, & ab exterioribus tranquillitas requiratur, ad quam totius uitæ ciuilibus regimen coordinatur, manifestū est, si hæc recte considerentur, omnia tam naturæ quam artis officia ad ueritatis cōtemplationem tanquam ad finem ordinari. Cum igitur hæc ita sint diuinam prouidentiam mouere homines ad uirtutes morales, ut per eas ad sui cōtemplationem perueniant, & bene beateq; uiuant. Verum quia unum quodq; mouet deus secundum inditæ formæ exigentiā, cum hominē libere uoluntatis fecerit, ipsum quoq; non nisi inuiolata libertate mouet. Si ergo proprio arbitrio mouentis dei inspirationi non repugnauerit, certissime ad finem suum per debita media perducetur.

*Finem hominis ultimum in præsentī uita non esse. Cap. XIII.*

**S**ed fortasse subtiliter considerantibus difficile imò impossibile uidebitur homines in præsentī uita huiusmodi beatitudinem cōsequi. Non enim tenuissima quæq; diuinorum cōtemplatio hominem beatum reddit, quia beatitudo est ultima hominis perfectio. Vnde perfectissimam eius operationem esse oportet, quæ in cōtemplatione dei perfecta pro humanæ conditionis captu consistit. Ad quam pauci uel fortè nulli hominum poterunt peruenire, cum talis cōtemplatio summum postulet humanæ cognitionis gradum, quo paucissimi perueniunt, uel ex mala corporis dispositione, quia cum anima nostra medijs phantasmatibus & corporeis instrumentis cognitionem acquirat, pleriq; ad eò obtusi & complexionem naturali male affecti sunt, ut uix parua capere possint. Vel propter rei familiaris necessitatem plurimos à sublimi cōtemplatione cœlestium uel retrahentem uel impediētem, ne ueris studijs inhæreant, quæ totum hominem sibi detrahunt. Cum ergo oporteat ad hanc cōtemplationem hominē esse natura bene

bene dispositum, & à mūdānis curis & implicationibus penitus absolutum, inter mortales huiuscemodi paucos uel raro comperies. Qui etiam si reperiantur, ad puram hanc diuinorum cōtemplationem non nisi longissimo tempore propter eius profunditatem poterunt peruenire. Cum enim spiritalia per sensibilia cognoscamus, multa præintelligere oportet antequam ad summum intelligibile perueniamus. Vnde philosophi Metaphysicam, quæ circa diuina uersatur, tradunt ultimo loco discendam, præsertim quia ad eius contemplationem ( ut dictum est ) puritas cordis & omnium passionum animæ sensibilis necessaria sedatio est. Anima enim sedendo à passionibus & à motibus corporis quiescendo fit prudens. Quo magna assuetudine & peruigili cura per paucis uix in senectute peruenire contingit. Cum itaq; multi adhuc iuuenes ex hac uita decedant, pauci quoq; admodū uel ferè nulli uirtutibus & diuinorum contemplatione incumbant: Superest ut etiam pauci & ferè nulli hanc felicitatē assequantur. Subtilius quoq; inuestigando pauciores inuenias, qui ad rerum diuinarum cognitionem cōtemplationemq; perueniant. Multipliciter enim ob infirmitatem intellectus nostri etiam in rebus naturalibus falluntur homines. Tum quia sensus, à quo nostra omnis incipit cognitio, nos plerunq; decipit, unde multi solem paruę quantitatis esse arbitrātur. Imaginatio quoq; obnubilat intellectum, ita ut multis difficile fuerit credere esse aliquas substantias incorporeas. Discursus etiam ipsius intellectus minime rectus nos frequentissime fallit, ex quo per sæpe aliquā probabilē & interdum sophisticā rationem pro demōstratione recipimus, quod excellentissimorum uirorum inter se dissidentium opiniones uariæ attestantur. Item passionēs animæ & prauæ consuetudines, uariæq; hominum affectiones, eos etiam à cognitione ueritatis earum rerum impediunt, cum quibus assidue uersantur. Quāto igitur magis ex huiusmodi impedimentis diuinorum contemplatio impedietur: Inuenimus itaq; paucissimos hominum fieri posse beatos, quod ualde absurdum est, cum beatitudo sit ultimus humanæ uitæ finis, qui ad omnes pertinet. Quod si nulla alia beatitudo, nisi quæ in humanis haberi potest, mortalibus concederetur, profecto pueri & iuuenes & ferè totum genus humanum quasi necessario illa priuarentur. Sed diligentius adhuc animaduertentes arguemus in hac uita ueram hominis beatitudinē inueniri non posse. Nam cum beatitudo sit summum hominis bonū, non admittit secum aliquid mali. Cumq; sit per se sufficiens bonum, oportet illa acquisita nihil amplius homini deesse. Sed quis in hac uita inueniri potest: qui ita sibi sufficiat ut re nulla indigeat, & ab omni infortunio maloq; sit illesus ac tutus? Cum humana natura sit multipliciter serua, multisq; casibus ac detrimentis, obnoxia. Vnde sæpius apparentē plurimorum felicitatē calamitas intercipit ut de Priamo legitur, & quotidiana experimenta nobis ostendunt. Præterea uel si quis hanc beatitudinē assequatur, non

M quatur, non



quatur, non videt qua ratione possit uere dici beatus. Nam beatitudo cum sit ultimus finis, est quies cordis humani. Omnes autem homines naturaliter scire desiderant, & ideo hoc desiderium cum sit natura insitum, quiescere non potest donec ad optatam perueniat cognitionem. Plurima uero sunt & penes infinita etiam in rebus naturalibus desiderata, quorum cognitionem nunquam humanus assequitur intellectus. Quod ex hoc maxime argumento colligi potest, quia scilicet cum innumeri excellenti ingenio philosophi, ab exordio mundi ad haec usque tempora rimari omnia naturae secreta conati sint, multo tamen plura supersunt ignorata, quam scita sint ab eis uel cognita. Idem quoque ipsi fatentur maximam horum partem, quae scimus, minimam eorum esse, quae ignoramus. Unde adhuc se ultimas rerum differentias nescire testantur, quarum loca in definitionibus, nomina accidentium ponunt. Si ita ad id intellectus noster caligat ad naturalia, quanto minus ad supernaturalia penetranda poterit eleuari. Quae igitur ipsius dei cognitio naturaliter nobis in hac uita conceditur per exigua est & ualde incerta. Ideo naturale hominis desiderium in tam hebeti & modica rerum naturalium diuinarumque cognitione quiescere non poterit, quin imo quanto magis in hac cognitione proficiet uehementiori affectu ad eam feret, quia omnis motus naturalis in fine uehementior quam in principio existit. Et sic semper tanto uehementius cor humanum in deum mouebit, quanto in eius cognitione magis profecerit. Nunquam ergo quiescere poterit cum ad eius perfectam contemplationem in hac uita nequeat peruenire. Quia (ut inquit philosophus) sicut se habet oculus nocturnae ad lucem solis, ita se habet intellectus noster ad manifestissima naturae. Ceterum si quis in hac cognitione diuinorumque contemplatione post multos diurnosque labores hanc animi quietem adipiscatur, adhuc non constat quomodo hic possit uere dici beatus, cum ad eam instante iam morte peruenerit, quam omnino uitare non potest. Videmus enim cunctis hominibus a natura uel maximum inesse desiderium perennitatis, cum uel per sobolis propagationem uel per alia opera immortales effici uehementer desiderent. Non potest autem uir sapiens morte non tristari. Si nulla esset alia uita praeter hanc, quam uiuimus. Non enim potest uir sapiens malum non odisse, quod uero malum potest ei maius aduenire quam preciosissimae ac beatissimae uitae tantoperae concupitae priuatio per mortem: Cuius meditatio frequenter sapientem decet. Nec potest de morte ipsa non quandoque cogitare cum non brutorum uita, sed rationali utatur. Profecto eum qui pro huiusmodi uita acquirenda tanto studio cura & labore tempus omne contriuerit, illamque postmodum celerrime omnino incertoque termino ac uario euentu sit amissurus, beatum dixerit nemo. Ex praedictis itaque colligitur, nisi aliam uitam posuerimus nihil homine infelicius esse ac miserabilius. Caetera enim non difficile ter fines suos duce natura consequi uidemus. Homo uero infinitis animi corporisque circumuallatus perturbationibus ac molestiis beatitudinem tanto desiderio

derio peroptatā inuenire nō possit, aut si quis inuenerit tandē post diurni tēporis uigilias & sudores maximos nequeat retinere. Hoc aut quā sit absurdum in nobilissima omnium creatura uel rudissimus quisq; poterit iudicare.

*Animam hominis esse immortalem.*

Cap. XIII.

**S**I quis ergo prædicta recte consideret, non poterit dubitare aliam esse uitam, & animam esse immortalem. Si enim deus rerum humanarū prouidentia habet, ad quem pertinet res ad suos fines per debita media perducere, cum finis hominis non sit in uita præsentī, oportet aliam concedere uitam, in qua homo beatitudinē assequatur. Præterea hominis operatio, quæ est intelligere, cum ad immaterialia & uniuersalia se extendat, indicat aliquid in homine immateriale & incorruptibile esse. De quo diuersi diuersa sensere. Sed reuera nisi hoc incorruptibile esse ponamus animā intellectuam, eamq; esse hominis formā, infinitos inde prouenientes errores euitare non possumus. Homo enim speciem sortitur per hoc quod est rationalis & habens intellectum. Si ergo substantia intellectualis non sit hominis forma, non apparet qualiter homo speciē suam sortiatur per hoc quod est intellectualis uel rationalis. Vnumquodq; enim à forma speciem suscipit. Et ideo in homine ponere oportet aliam formam, à qua esse acciperet. Si ergo hæc non esset forma intellectualis, homo à brutis specie nō differret per hoc quod homo rationalis est, bruta uero irrationalia. Quod omnes negant.

Præterea operationes uitæ cōparantur ad animam. Sicut actus secūdi ad primum. Actus autē primus in eodem præcedit tēpore actum secundum. Si autem scientia est ante actum cōsiderandi. In quocunq; igitur aliqua uitæ operatio inuenitur, in eo animam ponere oportet, quæ ad illam operationē comparat, sicut actus primus ad secundū. Anima enim est principiū uitæ eiusq; operationum. Sed homo propriam habet atq; excellentē supra quam cætera animantia operationem. Quæ est intelligere & ratiocinari. Hæc itaq; sua ipsius est hominis, qua homo est operatio. Oportet igitur in homine ponere huius operationis principium informans hominē, quod scilicet se habeat ad intelligere & ratiocinari, sicut actus primus ad secundum. Omne insuper seipsum mouens cōponitur ex mouente & moto, mouet autem seipsum homo, sicut cætera animalia. Cum ergo primum principiū motus in homine sit intellectus & uoluntas, hominem cōponi necesse est ex substantia intellectuali tanquā ex forma, & corpore tanquam ex materia. Item si substantia intellectualis, quam uocamus animā, non esset corporis forma, nulla appareret ratione, quomodo puer uel infans homo dici posset, cum adhuc operationes non habeat intellectus, nec etiam appareret quomodo dici posset hominem intelligere, si homo non esset aliquid compositum ex anima & corpore. Actiones enim sunt suppositorum. Intelligere igitur & ratiocinari non esset propria hominis operatio. Sed alterius intelligentiæ quæ ab homine haberet

ne haberet esse distinctum. Nisi forte cum Platone dicatur hominē ex anima & corpore non esse cōpositum. Sed esse solam animā corpori sicut motorem mobili coniunctam. Quod si quis concesserit, infinitis implicabitur laqueis. Primo enim homo nō erit animal sensibile. Deinde sequeretur post discessum animā à corpore corpus eiusq; partes eiusdem speciei remanere. Recedēte enim motore à mobili, species mobilis non uariatur. Præterea hominis corpus non uiueret per animā intellectiuā, nec per coniunctionē animā intellectiuæ homo generaretur. Mobile enim applicationē motoris ad ipsum minime generat. Vbi ergo esset hominis generatio? Si nec ipsa anima generatur, nec corpus quod generat est homo: Vbi ergo patres? Vbi filij? Hæc & huiusmodi absurda urgēt eos, qui ponūt animā intellectiuā nō esse corporis formā. Cum ergo cognitio ueritatis sit obiectōrū solutio. Et quæ dicunt animam intellectiuā esse formā corporis omnes euadunt difficultates, manifestum est hanc esse uerissimā sententiā. Non enim absurdū est animam intellectiuā esse corporis formā. Supremamq; illius partē esse à corpore, id est, ab organo corporeo separatā. Cum enim ipsa anima naturaliū sit formarū suprema & immaterialiū ultima, non est mirū si utriusq; sapit naturā extremā, ut sit partim separata partimq; cōiuncta. Vnde à quibusdā nexus mundi appellat, quod per eam suprema imis in naturæ ordine copulētur. Cum ergo ita sit, necesse est dicere eam esse immortalē & incorruptibilē. Omnis namq; substantia intellectualis incorruptibilis est. Perfectiones enim oportet cum suis perfectibilibus habere proportionē. Propriū uero hominis perfectiuū, ut homo, aliquid est uniuersale & incorruptibile. Quia ppria eius perfectio est intelligere. Cum ergo intellectio proprie eloquēdo uniuersaliū incorruptibilumq; sit, asserere oportet animam intellectiuā incorruptibilemq; esse. Præterea animæ humanæ perfectio in abstractione quadā à corpore consistit. Ita quod quanto magis ad incorporea & immaterialia attollitur, tanto amplius perficit. Fatuum est ergo dicere eam in separatione à corpore corrumpi, Nihil enim ex eo corrūpitur in quo magis perficit. Nec simul potest aliquid ad perfectionē corruptionemq; tendere. Quod si dicatur eius perfectionē in abstractione à corpore per operationē cōsistere, corruptionem uero per eius separationē secundū esse, inanis est responsio. Quia rei operatio ipsius esse substantiamq; demonstrat, unumquodq; enim prout est operat, & propria rei operatio sequitur propriā ipsius naturā. Non potest igitur alicuius rei perfici operatio, nisi prout eius substātia perficitur. Si ergo hominis operatio, ut homo est per abstractionē à corpore perficitur, nulla ratione dici potest substantiā animæ intellectiuæ corrūpi, dum separatur à corpore. Est etiam natura insitū hominibus cunctis, ut quodāmodo credere cōpellantur animam esse immortalē, Vnde nemo potest sine titubatione in sententia mortalitatis animæ permanere. Quod patet ex sollicita omniū inquisitione.

Omnes

Omnes enim homines naturali inclinatione & uehementi quodam affectu hoc intelligere cupiūt. Tum maxime philosophi in hac perscrutatione uersati attritiq; sunt. De qua materia Poëtæ pariter & alij tam docti quam indocti uaria cōscripsere. Si ergo deus & natura nihil agunt frustra hæc hominū tam uehemens inclinatio & naturale intelligendi desiderium uanum esse non potest. Quod si anima sit mortalis, profecto contra euenit. Quia non solum inanis est huiusmodi naturalis inclinatio & sollicitudo, sed tristitiæ deceptio nisq; somētum. Cum ergo absurdū omnino sit hoc deo & naturæ ascribere, palam fit ex tali desiderio animā esse immortalē. Quod ideo homini à deo insertum est, ut sit de alia uita sollicitus: Ad quā proficiscens uerē beatitudinis finem tantūmodo consequi potest. Et sic concludit id desiderium non esse uanū, sed perutile & necessariū. Quēadmodum ergo (ut superius diximus) negantes animā esse corporis formā: Ita & qui immortalitatē negant insolubilibus laqueis detinentur. Nam præter ea, quæ dicta sunt, difficile erit imò impossibile intelligere quomodo homo sit animal rationale, liberoq; arbitrio præditus, & quā iustis legibus delinquens puniatur. Quis sit eius finis, quæ uē diuina circa eum sit prouidentia. Cōpluraq; alia quæ enumerare ac differere prolixioris operis esset. Hæc autē omnia ex cōtraria & uera sententia facillime soluantur. Sed quia alia, de qua nunc agitur, uita humanæ facultatis metam excedit, hic primū claudemus librū. Ut sublimius fidei tractandę officio accingamur. Quia ubi desinit ratio, ibi incipit fides. Quā si ueram probauerimus, nulla de immortalitate animæ supererit dubitatio.

# HIERONYMISA

VONAROLAE FERRARIENSIS DE

modo procedendi, Liber II.

PROOEMIUM.



**M** superioris libro de his tractauerimus, quæ ratio naturalis per se capere potest, quantum huic intentioni nostræ sufficere putauimus. Reliquū est ut ad ea conuertamur, quæ rationē ipsam naturalem excedunt, ut tam per hæc naturalia, quā per ea quæ à Christo facta sunt, fidem christianam uerissimā esse ostendamus. Et quia presentia melius quam præterita cognoscuntur, faciliusq; præteritis quam presentibus fides abrogari potest, primo rationū fundamenta ponemus in his, quæ cum quotidie in ecclesia à christianis fieri cernantur & ad sensum pateant, negare nemo potest. Loquor autem non de malorum christianorum operibus, qui potius ab ecclesia seclusi sunt; Sed de his quæ à bonis fiunt, qui non

M 3 tantum

tatum nomine sed operibus sunt christiani. Deinde rationes adducemus super his stabilitas, quæ gessit Christus, & quæ omnibus exploratissima sunt. Præsentia siquidē præteritis fidem alstruent manifestā. Quia uero principalis effectus, ad quē omnis ecclesiæ tendit institutio, est iustitia & irreprehensibilis uita dicente Salvatore nostro, ego ueni ut uitā habeant, & abundantius habeant. Primo probabimus Christi fidē esse ueram per rationes in ipsa bona christianorum uita. Secūdo in huiusmodi uitæ causa. Tertio demū in eius effectu uerę fundatas, & in his omnia ferē, quæ in ipsius dei nostri ecclesia militante nunc fiunt, suo ordine cōplectemur. *Aliquā uerā esse religionē. Cap. 1.*

**V**T igitur præcedētibz sequentia cōnectamus, ex his quæ dicta sunt, necesse est quēlibet hominē confiteri aliquā in terris ueram esse religionē. Religionē autem uocamus debitū cultum deo exhibitum tanquā uniuersali omnium principio & gubernatori. Omnis enim effectus quendā exhibet suæ causę cultū, dum ad eam sese conuertēs ipsamq; quodāmodo inuocans ei se subijcere ac similit̄ efficere conat̄. Quod nihil aliud quā retributionē quandā honoris ostēdit, ut ab ea magis magisq; perficiat̄. Cū ergo deus sit uniuersalis omnium causa, à quo cœlū & natura atq; omne bonū est. Patet in homine naturalē instinctū esse oportere, ut se ad deū conuertens ipsum inuocet, eiq; se subijciat, & quoad possit ei similis fiat, & ab eo perficiatur. Quod nihil aliud est quā deum colere. Cum ergo naturalis inclinatio uana esse non possit, necesse est cōcedere aliquā inter homines ueram inueniri religionē. Ad hæc, cum ad ipsum deum colendū sicut omnis effectus ad suā causam homo naturaliter inclinatus, rationalis sit, suiq; arbitrij, non agitur quēadmodum cetera naturalia. Sed seipsum agit. Et quia in multis naturalis ratio deficit. Si propterea tantū homines oberrēt, ut nullus adhuc uerus dei cultus inueniat̄, auferatur oportet ab hominibus dei puidētia. Cum in hoc quod per necessariū & naturale est, eis minime prouideat. Quandoquidem per uerum dei cultum ij ad suum finē perducunt. Hoc autē superius planē redargutū est. Item cum sciamus omne hominum genus in quolibet æuo tam exacto quā præsentī fuisse diuino cultui diuersimodę deditū, hoc esse natura inditū certum est. Naturale enim est, ut alias diximus, quod omnibus & omni tēpore conuenit. Si ergo nullus habeat in mundo uerus dei cultus, frustra sit oportet hæc naturalis hominis inclinatio. Cum ad suum finē peruenire non possit. Ex quo sequerēt̄ ipsum deum magis irrationabilibus creaturis quā rationali homini prouidisse. Præterea cum omnis causa quoad fieri potest in suum effectū bonitatē suam perfectionemq; transfundat intendens eum modis omnibus pro captu recipientis sibi similit̄ reddere & ad se trahere. Deus cum sit summæ bonus & prima omnium causa proculdubio perfectioni hominum, quorum gratia omnia naturalia instituit, prorsus intendit. Cum igitur ipsius hominis uera perfectio in subijciendo se deo & in eo uenendo

rando potissime consistat, quoad religionem maxime pertinet. Hinc sequitur aliquam in mundo ueram religionem dari oportere.

*Duplicem esse dei cultum. Cap. II.*

**C**um autē deus possit dupliciter ab hominibus uenerari, spiritu uide licet & corpore, duplicē quoq; cultum ponere debemus. Interiorē scilicet & exteriorē. Interiorē dicimus eum, qui deo per operationem intellectus & uoluntatis exhibet. Exteriorē uero qui per corporis officia ceremoniasq; & sacrificia impeditur. Cum igitur materia sit propter formam, nemini dubiū est exteriorē cultum ad interiorē ordinari eiq; seruire. Interiorē autē uerū dei cultū dicimus esse rectitudinē ac perfectionē uitę hominis interioris quę deus maxime honorat. Quod sic pbamus, omnis causa in sui perfectiōe effectus maxime honorat. Vnde artifices in operū suorū cōsummatione pbantur, nullus autē effectus homine nobilior inuenitur, qui quāto perfectior fuerit, tāto magis suā causam, id est, deū honorabit. Eo autē perfectior erit quo sanctius uiuet. Sāctitas uero est interioris hominis perfectiō, qua etiā totus homo perficitur. Ergo in bona & perfecta hōis uita deo p̄cipuus honor persoluit. Et sic uerus & integer dei cultus est ipsa optimi uiri uita & operatio in deū relata. Item deū non solū p̄pter se ueneramur & colimus, sed ut ab eo etiā felicitatē & quę ad hominē spectāt, bona cōsequamur. Cultus ergo dei uerus est mediū & dispositio ad hęc bona cōsequēda. Agētia siquidē dispositionē subiecti exigūt. Cū ergo manifestū sit ad ipsam felicitatē & huiusmodi bona à deo impetrāda multo perfectius hominē per bonā uitam quā per sacrificia ceremoniasq; disponi, constat uerū dei cultum esse rectitudinē uitę. Præterea cum deus non sit corpus sed actus purus, homo per rectitudinē cordisq; puritatē sit deo similior quā per actus exteriores, & ideo perfectius deus spiritu quā corpore colit. Spiritus em̄ est deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

*Nullum christiana uita inueniri meliorem. Cap. III.*

**N**ulla autē uita melior & sanctior quā christiana inueniri aut excogitari potest. Nam inter cūcta uiuentiū genera, ea quę solā animā habēt uegetatiuā (ut plantę) infimū uitę gradū sortiunt. Animalium autē uita multis distinguit gradibus, quorū alius alio perfectior est. Ille em̄ uitę sensibilis gradus perfectior in animalibus est, qui cognitionis sensibilis est magis particeps. Cum autē intellectuua cognitio sensibile excedat, perfectiorem uitę gradum hominibus quam brutis tribuimus. In quibus etiam diuersos uitę gradus quo ad perfectionē non quo ad essentiā ponimus. Illos enim qui ratione duce in omnibus operantur, ijs præferimus qui sensibus obsequentes ratione postposita tota uia aberrant, quia quanto magis uoluptatibus addicti ab ea recedunt, tanto minus participāt hominibus, & brutis efficiuntur similiores. Qui uero magis rationi inserviūt & concupiscit

M 4 bilem partem

bilem partem coërcent, plus hominis habent quam bruti. Cum ergo uita hominis sit brutorū uita præstantior, haud dubiū est, quin inter homines illi superemineāt, qui rationē dominā, amplectūtur. Vbi etiam gradus inter se uarij differunt. Cum enim amplius intellectus per cogitationē & amorē ueritatis spiritualiū rerum quā corporearū, præsertim ueritatis de deo cognite perficiatur, quāto quis magis relictis corporalibus contēplatione & amore ad spiritualia & diuina euehitur, tanto magis perficitur eius intellectus, & perfectiorē nanciscitur uitā. Sed uita christiana ad hoc potissimum tendit, ut posthabitis creaturis omnibus tam spiritualibus quā corporeis per contēplationē & amorē se totam in deum trāsfundat, & fiat unus spiritus cū deo. Cū ergo potior inueniri nequeat uita quā hæc, quæ hominē suo principiū & ultimo fini cōiungit, patet nullā uita christiana eam meliorē. Præterea reſta hominis uita, ut homo est (ut supra iam diximus) pro ipso rationis modo gēstimat. Quanto ergo rationabilior uita fuerit tātō dignior iudicabit. Quare cum ueri christiani nihil omnino cōtra rationē agere uelint fateri necesse est inter exterarū gentes ac nationes nullā christianæ uitæ esse præferendam. Item bona hominis uita ad contēplationē dei tendit & ad eam ordinatur, in qua purgatissima mētis serenitas exigitur. Humanis nanq; passionibus & affectibus subiectus minime aptus est contēplationi rerum diuinarū. At nulla uita inueniri potest, quæ liberiores purgatiorēq; reddat hominē quam christiana. Cum relictis omnibus soli deo sese coniungere laboret. Ergo nulla huic dignitate atq; excellentia præstat.

*Ultimo christiana uita sine meliorem nullum excogitari posse. Cap. IIII.*

**S**ed ut melius ostendamus christiana uita meliorē inueniri non posse. Cum duo ad bonā uitam principaliter requirātur, uidelicet finis bonus, & quæ ad finē sunt cum ipso fine proportionē habentia, demonstremus, primo nullū finem humanæ uitæ eo, ad quē tendunt christiani, dari meliorē nec magis rationi consonū. Deinde ea, quibus ad eum finem ab eis pergitur, perfectissima esse probabimus, & cum ipso optimam habentia proportionē. Quo igitur ad finē patet. Nā duplex est hominis finis, uidelicet finis cuius, & finis quo, hoc est ipsa res ad quā tenditur, eiusq; fruitio. Cū igitur nihil præstantius ac melius deo possit excogitari. Atq; christiani humanæ uitæ finē statuāt deum, cuius gratia omnia faciunt, perspicuū est quo ad hoc nullum finem inueniri posse meliorem. Fides quoque ad uisionem & fruitioem dei non per creaturas sed per essentiam aspirat. Quo nullus perfectior actus reperitur. Cum enim per apertam uisionem & fruitioem deo coniungitur homo ultima consummatione perficitur, supra quam nil amplius optare licet, cum deus sit bonum, quo nihil maius excogitari potest. Felicitatem uero humani generis esse apertam dei uisionē ualidis arguit rationibus. Iam enim superius probatū est hominē in præſenti uita beari non posse.

posse. Dum ergo beatitudo hominis sit ueritatis contēplatio, hæc expectan-  
 da est in alia uita. Si uero in futura uita ponamus humanæ uitæ finē esse con-  
 templationē primæ ueritatis cognitę non per speciem propriā sed per effe-  
 ctus in multis afficiemur difficultatibus. Primo enim nō apparet quomodo in  
 huiusmodi contēplatione humanū possit desiderium prorsus quiescere. Si eni-  
 nim anima rationalis à corpore seiuncta effectus non solū materialium sed spiri-  
 tualium quā immaterialiumq; substantiarū cognouerit, aut perfecte, aut im-  
 perfecte hanc cognitionē habebit. Si imperfecte, inde quoq; imperfectā de  
 deo cognitionē contēplationemq; assequet. Cum uero omne imperfectū su-  
 am appetat perfectionē, sicut materia formā & turpe pulchrū, in eiusmodi  
 cognitione sibi non satisfaciens anima quietē reperire non posset. Quod ex  
 hominū patet studio quorū intellectus in cognitione confusa minime quies-  
 scens omni opera ac labore ad perfectā cognitionē peruenire contendit. Sin  
 aut perfectā obtinuerit illorum effectuum cognitionē, mox desiderabit eorū  
 cognoscere causam, quia omnes homines natura scire desiderāt, & scire est  
 rei causam cognoscere. Quod aut naturale est, auferri non potest. At cum or-  
 mnis motus naturalis in fine quā in principio sit uelocior, tanto uehemētius  
 cognitionē causę desiderabit quāto perfectius ipsius effectus cognouerit.  
 Nō liquet ergo quomodo naturale hominis desiderium, nisi deū uideat, possit  
 omnino quiescere. Quod etiā hoc pbatur experimēto. Cernimus enim nul-  
 la re finita animi capacitātē impleri posse: Posito enim quocunq; finito intel-  
 lectus noster aliqd ultra semper apprehēdit. Vnde præsupposita qualibet li-  
 nea finita numeroq; finito, nunquā superaddēdi facultas in animo terminat,  
 & hæc est ratio infiniti apud Mathematicos tā in numeris quā in lineis aug-  
 menti. Cum igit cuiuscunq; infra deum substantiæ amplitudo sit finita, intelle-  
 ctus noster donec diuinā substantiā attigerit satiari non potest. Quippe quæ  
 sola cum sit actus purus, ut diximus, nullo circumscribitur fine. Rationabiliter  
 itaq; poni nō potest aliū humanæ uitæ finē deberi quā eum, quē fides nostra  
 decernit, hoc est diuinæ essentiæ uisionē. Ipsum uero deū esse ultimū in quo  
 anima cōquiescit luce clarius est. Omnis enim motus naturalis ad aliquem  
 tēdit ultimū terminū, ad quē cum peruenerit mobile quiescit. Cum ergo in-  
 fra deum nulla humani cordis substantia terminare desiderium possit, dicimus  
 quod solū quādo deū de facie ad faciē intuebit, tum demū uere quiescet. Quā-  
 doquidē cū nihil deo sit maius, nihil prorsus ad satietatis cumulū accedere  
 poterit. Neq; inferiorū desiderio afficiet, tum quia penitus ea nihili pendet  
 eo quod finiti ad infinitū nulla sit proportio. Tū quia nihil est in ullo effectu,  
 quin excellentius in prima causa inueniatur. Atq; ita nihil ei desiderabile de-  
 erit. Tum quia intellectus noster exactissime perficietur, ex quo enim ad su-  
 premum intelligibile euehetur, proculdubio cætera intelligibilia, ad quæ  
 naturaliter inclinatur facillime apprehendet. Quamuis enim sensum  
 excellens



excellens sensibile corrumpat, contra tamen excellens intelligibile perficit intellectum. Sciendum est autem quod cum deus sit infinitus & extra cuiuslibet substantiæ ordinem, intellectus noster propria ipsius uirtute ad diuine essentiæ uisionem eleuare non potest. Sed aliqua noua requiritur dispositio. Quã nostri Theologi glorię lumen appellant, quod purgate cuiuslibet animæ deus infundit, ut suę habitẽ reddat uisioni, semper enim necessarijs deus occurrit. Neq; potest quicquã supra suas uires attolli, nisi eius uirtus superna ope adiuuetur: Ad ipsius autẽ dei uisionẽ uigor per solam luminis intellectus naturalis intensiõnẽ minime sufficit, propterea quod intensio formę eam non trahit ad alterius speciei operationẽ. Qualis est dei uisio creato intellectui cõparata. Oportet igitur augeri uirtutẽ intellectiuã per alicuius nouę dispositionis adeptiõnẽ. Quã lumen glorię nuncupamus. Ex quo liquet quã uere quanq; rationabiliter fides nostra de humanæ uitæ fine sentiat, & quã facile omnes cõtrouersiarum explicet nodos, quibus alij secus opinãtes multipliciter anguntur. Constat igitur siue de fine cuius, siue de fine quo loquamur, nullum meliorem rationabilioremq; inueniri aut excogitari posse eo, quem religio christiana prædicat & obseruat.

*Nullum ad beatitudinem medium christiana uita melius inueniri. Cap. v.*

**D**E medio quoq; ad cõmemoratum finem perueniendi differẽtes facile ostendemus nullum ei, quod christiana fides asserit, cõferri rationabiliter posse. Nam quod aliquo uel aliquibus medijs ad finẽ, id est, beatitudinem homo perueniat. (Cum deus & natura nihil agant frustra) nemini est ambigendum. Frustra enim esse dicitur quicquid ad eum finem, ad quem ordinatum est, peruenire non potest. Quẽadmodum frustra quis uirtutem habeat motiuam ad motum exercendum, deficientibus membris. Cum ergo natura homines beatitudinem appetant, profecto substratis medijs inani hoc flagrabunt desiderio ad eam quandoq; peueniendi. Itaque aliquod medium dari oportet, quo ad dei uisionẽ possit homo peruenire. Idq; christiani esse dicunt puritatem cordis gratiamq; diuinam supernaturaliter infusam ipsam animam omni uirtute perficientem. Cordis uero puritatem esse medium transeundi ad ueritatis primæ contemplationem nemo potest negare. Oportet enim finem cum medijs habere proportionem. Ad ipsius autem dei cognitionem magna exigitur extasis, cum sit intelligibilium supremum extrãq; omnia sensibilia. Ideoq; ad id necessaria est exquisitissima animi purgatio, id est, à sensibilibus amore & implicatione ad inuisibilibus cognitionem amoremq; eleuatio. Purum enim dicitur quod inferiori naturæ non admiscetur. Cum ergo intellectus noster ab organo sit corporeo separatus, & anima nostra sit substantia rationalis, quanto se magis à corporeis abstrahit rebus diuinisq; coniungit, tanto purior efficitur. Quicquid autem philosophi de cordis puritate, de uirtutibus

& probatis

& probatis moribus sanxerunt, non tantum exequitur ac docet christiana religio, sed multo perfectiora documenta ad cor sanctius purificandum inuenit. Non enim puritas cordis, quæ naturaliter ab hominibus cognosci & haberi potest, sufficiens est medium ad finem prædiximus obtinendū. Nam quicquid alicuius naturæ limites excedit, ei nisi per alterius actionem aduenire non potest. Sicut & aqua nisi alio mouente sursum non tendit. Videre autem dei substantiam, ut in præcedenti capitulo discussimus, omnes naturæ creatæ limites transcendit. Ideoq; cum unūquodq; intelligat per suæ substantiæ modū, ut quis diuinā essentiā uideat propria uirtus ad purificandū non sufficit, nisi actionē superioris uirtutis adiuuet. Rectitudo igitur uitæ de qua philosophi disputarūt, ad hanc beatitudinē insufficiens est. Hinc nō immerito Christiani gratiā & uirtutes à deo supernaturaliter infusas ponunt, quippe qui nulli in necessarijs unquā desit, ut per eas homo purgatissima acie ad finem dirigat optatū. Quod prolixiori sermone probare huius operis breuitati, cui maxime studemus, minime cōuenit. Cum præsertim in libro de simplicitate uitæ Christianæ à nobis edito satis aperte monstrauerimus uitam Christianā non ab amore naturali, nec ab imaginatione, nec à ratione tantū naturali, nec ab in fluxu cœlesti, neq; ab aliqua spiritali creatura. Sed à gratia dei, id est, à dono eius supernaturaliter infuso deriuare. Ne idem ergo sæpius repetamus, legant qui uolunt librū illū, & intelligent uitā Christianam esse perfectissimū mediū ad finē huius uitæ perueniendi. Ex quo sequit̄ nullā inueniri aut excogitari posse uita ipsa Christiana meliorē atq; omni ex parte perfectiorem.

*Per religionem Christianā homines certissime ad beatitudinē perducī. Cap. VI.*

**S** ergo (ut probauimus) oportet aliquā inter homines uerā esse religionem, quæ in rectitudine uitæ consistit, cum in hoc Christiana religio cunctas excellat, necesse est cōfiteri eam esse uerissimā, per eamq; deū non minus exterius quā interius rectissime coli. Quia cultus exterior christianæ religionis aut efficit aut significat interiorē. Quod si interior uerus est manifestū sit exteriorē efficere uel significare ueritatē. Cum ergo aliter alteri respondeat, uerus est cultus exterior. De quo inferius copiose magis tractabimus. Colentibus itaq; nobis deum primo propter meritam eius honoris exhibitionem, deinde propter beatitudinem impetrandā, sequitur quod à christianis uere deus honoretur, & ab his beatitudo expetatur, quodq; ad eam tandem omnino queant peruenire. Ideo qui christianæ uiuendo usq; in finem perseuerauerint, beatitudinē sibi tuto polliceri possunt. Cum diuinā in super pudentiā in rebus humanis aperte superius monstrauerimus, cuius est per debita media res ad fines suos dirigere, nullumq; mediū christiana uita perfectius possit inueniri ad beatitudinē obtinendā, dubitare nullo pacto debet, quisq; christianæ uixerit (cū christianæ religionis cultus uerissimus sit)

quin

quin à deo per illum ad beatitudinem perducatur. Præterea si deum negare esse iustum fas non est, Christianæ religionis homines, qui dei mandata seruauerint, perire non possunt. Deus enim omnium causa omnia ad fines suos mouens, aut aliquos mortalium, aut nullos ad beatitudinem perducet. Profecto nullos dicere non licet. Frustra namq; esset homo, & hinc plura sequerentur absurda, ut ex præcedentibus manifestum est. Sin aliquos. Iure Christiani, quos hominum esse optimos nouimus, non sunt posthabendi.

Nam si Christiani pietate & religione ceteris sanctiores optato beatitudinis fine destituantur, profecto nulli hominum ad eum peruenient, quia si id quod magis esse uidetur, non est neq; quod minus, Christiani autem magis uidentur fore beatitudinis compotes quam reliqui hominū. Quia, ut ex prædictis patet, sunt ad eam capessendam propinquiores. Religio ergo fidesq; Christiana omnibus est alijs præponenda. Quod si Christiani in huiusmodi religione spe sua fraudentur, dicere oportet nullam esse talem beatitudinem. Sed fabulosum ac commenticium quoddam, quandoquidem in natura uideamus omne agens si minus impediatur, in materia bene disposita formā semper introducere. At bonæ uitæ finis & ultima eius forma est ipsa beatitudo, ad quam nulla uita melius quam Christiana disponitur. Si ergo huic habilitari expetita nō datur beatitudo, profecto nulla hominis erit, quia (ut iam probatum est) alia hominis beatitudo uere esse non potest. Atq; ita nullus omnino huius uitæ ultimus dabitur finis. Cum ergo finis sit regula omnium, quæ ad ipsum ordinatur, sequeretur hominem esse animal omni prorsus ordine carens omniumq; miserimū, qui casu uiueret omni prouidentia destitutus. Quod putare maxime absurdū est. Vita ergo Christiana, id quod nobis erat probare propositū, per ueram religionem ad beatitudinē certissime tendit.

*Velex eo fidem Christianam esse ueram quod optime uitæ sit causa. Cap. VII.*



Vando ergo ostendimus ueram esse Christianam religionem ex rationibus in bona Christianorum uita perfecta q; positis. Nunc accedemus ad huius uitæ causas, idem confirmaturi. Principalis autem uitæ huiusmodi causa est Iesu Christi fides crucifixi à charitate formata, id est, quæ per dilectionem operatur. Dicente sacra doctrina: Iustitia dei est per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum. Et sine fide impossibile est placere deo. Dicimus autem fidem Christi formatam eam, qua credimus ipsum Christum crucifixum esse uerum deum & uerum hominem, filium dei unum in natura cum Patre & Spiritu sancto, in personisq; distinctum. Quem super omnia diligimus. Fides ergo cum amore in Christum, est commemoratæ uitæ causa. Quod autem ita sit, quotidiana docemur experimēto. Quod uero notissimum est, negari nequit. Manibus siquidem quodammodo attrectamus ita se rem habere. Quia Christianum uidemus & experimur tantum in rectitudine uitæ, quantum in fide Christi & econuerso

& econuerso proficere, cum hæc inter se mutuo cōuertantur, contra quoq̄ in utroq̄ deficere pariter oportet. Ex defectu nanq̄ bene uiuendi fidem formatam deperditum iri perspeximus, & econuerso. Si eiusmodi ergo perspeximus in humana uita effectum, quem post aduentum Christi ad hæc utq̄ tempora perdurasse homines tum suo quam alieno periculo didicere, idq̄ palam Christiani omnes attestantur & prædicant, iure in eo philosophari debemus ex admiratione tantæ rei causas inquirentes. Quæadmodum Philosophi inspectis rerum naturalium effectibus tum eorum causas ignorant, tes admirari primum, dehinc ex admiratione philosophari cœperunt. Primum itaq̄, effectus sua causa perfectior esse nō potest, cum cuiuslibet effectus perfectio à causa dependeat. Si ergo rectitudo ac ueritas uitæ christianæ, quæ cunctis præferenda est, pendet à fide Christi. Impossibile est ipsam fidem non esse ueram. Si autem est uera, sequitur Christū uerum esse deum, quod christiani affirmant, eiusq̄ ueram esse religionem. Impossibile item est bonum à malo & uerum à falso tanquam à causa per se dependere, malū enim prout malum, similiter & falsum prout falsum, nihil est. Si ergo fides Christi esset falsa & illius amor malus, certe rectitudo uitæ christianæ tam bonæ ab ea per se non dependeret, uti uidemus. Item si fides Christi esset falsa, nullus error posset maior inueniri. Nam dicere hominem crucifixum esse deum, si non sit uerum, extremæ demētix est cum ergo uita christiana perfectissimā sit, ut prædiximus, quomodo tanta uitæ perfectio siue rectitudo poterit à maximo errore prouenire? Cum omnis recta uitæ institutio deriuetur à rectitudine intellectus, & omnis error in affectu & operibus humanis ab errore illius obliquitateq̄ procedat. Quanto insuper aliqua natura melius est disposita, tãto susceptibilior est formæ perfectioris, forma autem & perfectio nostri intellectus est ueritas, eius autem dispositio ad ueritatem suscipiendā puritas est cordisq̄ synceritas. Ideoq̄ quanto fuerit homo à rerum humanarum affectu purgator, tanto magis ad capessendā ueritatem reijciendamq̄ quam facile discreuerit, falsitatem præparatur. Sed nullam dispositionem ac purificationem christianæ parem inuenire posse probauimus. Si ergo esset mēdax hæc fides, id sanè christiani multo promptius atq̄ clarius quam alij conspicarentur. Cuius rei oppositum cernimus. Quanto enim sanctiores indies efficiuntur, tanto eam constantius affirmant. Contra uero ex profectu fidei, uitæ perfectio pariter augetur. Ex quo fides falsa esse non potest. Præterea sicut deus tanquam primus motor & prima causa omnia mouet atq̄ producit in rebus naturalibus & corporeis. Ita etiā in spiritualibus sese habet. Ipse ergo est qui humanum mouet intellectum ad ueritatem. Nemo autem dubitare debet quin deus ueritatis lumen, præsertim circa necessaria ad salutem ijs clarius impertiatur, qui per uitæ sanctimoniam magis sunt dispositi. Quæadmodum synceri christiani, qui si in fide errarent, nullam præ-

N alijs peccato

alijs peccatoribus gratiæ prærogatiuam haberent, sed multis præstigijs & erroribus capti relinquerentur. Quod à prouidentia & bonitate dei alienum est. Finis insuper est ratio eorum, quæ ad ipsum finem ordinantur. Ideo qui peccant in fine in his quæ ad eum perducunt, eos peccare necesse est. Finis enim in rebus agendis est sicut principium in speculatiuis, cum ergo christiani non errent in his quæ ad finem spectant, id est, in rectitudine uitæ, imò cæteris longe antecellant, sequitur quod etiam in fine non errent. Sed eorum finem esse Christum omnes certissime consentunt. Nam & simillimi Christo fieri nituntur, & ad eius fruitionem totis uiribus ire contendunt. Quemadmodum ergo ipsi uerissime asserunt Christum crucifixum esse deum, cõcludendum est. Præterea deus in omnibus ordinate procedit, propterea quod omnia faciens sapienter inferiora per superiora gubernat. Hinc nobilioribus effectibus nobiliores causas præposuit, cū semper oporteat causam suo effectui esse perfectiorem. Nullus autē inter homines effectus nobilior inuenitur quam uita christiana. Necesse est ergo talē effectum à nobilissima causa provenire. Cum autem eum uideamus totum à Christo emanare, confiteri necesse est Christum esse nobilissimā causam. Causæ insuper secundæ sunt instrumenta primæ. Cum ergo uita christiana à Christo tanquam à causa proficiscatur, fatendum est Christum hominem crucifixum esse primæ causæ instrumentum ad producendū hunc eximium christiane rectitudinis effectum. Quod si Christus deus non esset, quæadmodum seipsum prædicauit, nullus utiq; homo eo posset scelestior aut execrator inueniri. Atq; ita deus ad effectum optimæ uitæ producendum pessimo uteretur instrumēto. Quod esset uehementer absurdum. Item quāto effectus suæ sit causæ similior, tanto amplius perficitur. Quia eius perfectio est per equiparationem ad causam. Videmus autem quod quanto quis Christi uestigia magis imitatur & eius in uita similitudinem exprimit, tanto fit sanctior & diuinior. Hoc autem minime fieri posset, nisi ipse Christus uerus deus eiusq; fides uerissima esset. Præterea ex effectibus cognoscimus causas, ut ex ipsis experimentis medicinas. Cum autem philosophi summo studio elaborauerint ut nobis bene uiuendi regulas traderent, in paucis tamen eos uidemus & longo uix tempore profecisse. Neq; id etiam in maximo ipsorum apprime philosophantium numero sine fide Christi effecisse, quod in multorum congregatione fidelium in omni hominum genere & utroq; sexu tam in pueris quam in mulieribus cecleriter & exacte christiana peperit disciplina, cum nulla sit philosophice institutionis ad christianam comparatio, siue de moribus siue de religione tractetur. Quid enim mirabilius est quam quod scelestissimus quisq; (sicut innu-meris tam præteritis quam quotidianis docemur exemplis) mox ut ad Christum crucifixum ueraciter conuersus fuerit, nouum prorsus induit hominē, sitq; ex superbo & inuido humilis ac benignus, ex auaro & raptore munificus &

ficus & liberalis, ex incontinente & luxurioso, continens & castus. Ac deum, quasi pro singulis uitijs mox antidota uirtutum saluberrima imbibit, multiplici bonorum scœnore præterita mala diluit atque compensat, quod æque nunquam ulla philosophorum secta impetrauit. Necessario itaque sequitur Christum esse causam principale seu instrumentalem ac certam morum & consummate uitæ medicinam.

*Doctrinam christianam, cui fides innitur, esse à deo.*

Caput

VIII.

**S**acræ insuper scripturæ lectio, auditus & meditatio est christianæ uitæ causa, nostræque religionis substantia. Scripturæ siquidem ueritas fidei est obiectum. Ideoque post argumenta super Christi fidem extructa, ponenda illa sunt, quæ ex ui sacrae scripturæ decerpta sumuntur. Primum scimus quod de futuris contingentibus non est determinata ueritas, de quibus neq; ars neq; scientia esse potest. Vnde à præclarissimis & sapientissimis philosophis determinatum est, futura contingentia à nobis cognosci non posse, sed hoc tantum ad proprietatem diuinam pertinet. Deus enim, cum sit æternus, omnia sua æternitate complectitur, omniaq; sunt eius oculis nuda & aperta. Homines uero nequaquam præscire futura contingentia possunt, nisi eis ab ipso deo reuelentur. Cum itaq; sacra scriptura cum ubique, tum maxime in ueteri testamento futura contingentia, & ad liberum arbitrium spectantia non modo generaliter, sed particulariter etiam prænuñtauerit, neque solum unius anni aut decem, sed centum uel mille, duorum quoque ac trium & quatuor millium annorum uaticinia prodiderit eorum, quæ non tantum Hebræis contigerunt & à Christo eiusq; ecclesia gesta sunt, sed quæ omnibus ferè gentibus & regnis Assyriorum scilicet Chaldæorū, Persarum, Medorum, Græcorum, Romanorum, ac aliarum nationum uel prospera uel aduersa acciderunt. Et sicut multo tempore antequam fierent prædicta sunt, ita ad unguem postmodum euenerunt. Necessè est confiteri has scripturas à solo deo, non ab hominū solertia & ingenio prodixisse. Quæ uero adhuc implenda expectantur, ex argumento præteritorum, in quibus inuiolata ueritas emicuit, pro certis habenda sunt. Atque inde colligere facile possumus deum optimum non paruam hominibus curam ac rebus humanis prouidentiam adhibere. Præterea cum deus (ut diximus) sit solus futurorum contingentium præscius non potest alicuius hominis sagacitas & industria magnorum uirorum ac regum gesta & bella, uariosque hominum casus ita disponere & seriatim ordinare, ut sint signa futurorum quoniam hominis arbitrio & uoluntati non subijciuntur. Sed præter illius spem alios & alios plerunque sortiuntur euentus. Solus ergo deus statuere potest ut aliqua ab hominibus fiant, quæ futurorum temporum gesta prorsus significent. Videmus aut in sacra pagina quod quæcunq; in nouo testamento

N a hætenus

haecenus tractata uel tractanda sunt, in prisco seu ueteri testamento effigiatim praesignata sint & expressa. Nec potest rationabiliter dici has interpretationes à christianis exortas & ad libitum coaptatas. Quia in tantarum & temporum uarietate, multiplicique uerborum positione atque autorum diuersitate non posset, ea ueteris testamenti ad nouum uniformitas inueniri, nisi aliquis intellectus singulis temporibus similia compegisset. Non enim hoc casu factum dici potest. Cum nihil in his dissonum, nihil impertinens, nihil distractum inueniatur. Sed omnia pari tenore à supremo ad minimum penitus concordent, quodque obscurae in aliquo loco tactum est, aperte in alio declaratur, ita ut uniuersa sacra scriptura seipsam aperire plane uideatur. Hoc si illius ignaris minus innotescat, secus ipsius sacrae scripturae sedulis & pijs perscrutatoribus euenit, qui de syncerissimo fonte ueritatis irrigationem mellifluam hauserunt. Pie igitur, humiliter, caste, & munde eam adeant, qui ueritatem nosse cupiunt. Et sic nobiscum proculdubio sentiant. Quamobrem huic soli scripturae allegorica competit expositio, quia ea facta à deo & à supercoelesti lumine emanauit. Allegoriam autem dicimus non fabulosam interpretationem more Poëtarum (nam & nos parabolas exponimus, nec inde allegoriam sumimus) sed sensum parabolicum & literalem uocamus, cum in fabula & in parabola non sit intentionis nostrae ea significare, quae uoces ipse per se sonant, sed ea duxtaxat, quae per concepta sub illis uocibus intelliguntur. Allegoricum autem sensum eum appellamus, qui haec tria habet, ut scilicet primo iuxta uocum significationem historia mera tam dictorum quam gestorum & narratorum absque figmento demonstraretur. Secundo quod per ea quae gesta sunt futurum aliquod aliud significetur. Tertio quod eadem gesta fuerint ad insinuandum optime conuenientata. Ex quibus patet quod talem continentiam & seriem nulla contemneret disciplina, sed solus deus cuius infinita prouidentia circa futura non fallitur. Item modus locutionis & progressionis sacrae scripturae est adeo singularis, ut à nemine ex nostris quamuis excellentissimo & in omni scientiarum genere peritissimo potuerit obseruari, soli enim, quibus spiritu sancto dictante ita concessum est, eundem modum expresserunt. Nam licet diuersa temporum interualla inter ipsos scriptores effluerunt, & alius alio elegantior extiterit, consuetum tamen dicendi genus diuini sermonis nequaquam uariatum est, quod non esse humanum sed diuinum, manifestum indicium est. Hoc autem maxime probat effectus. Virtus enim causae ex effectu colligitur. Nullus autem inuenitur in terris nobilior effectus quam uita Christiana, quae non potest (ut superius & alias in libro de simplicitate Christianae uitae ostendimus) ab aliqua naturali causa, sed tantum à dei gratuito munere prouenire. Cum ergo talis doctrina sit potissimum huius uitae instrumentum, in quo tota substantia Christianae religionis consistit, manifestum

festum est eam eiusque loquendi modum ab ipsis hominibus esse non posse. Experientia siquidem didicimus doctrinam hominum ad bene beatęque uiuendum generi humano parum profuisse. Nam ante huius in mundum luminis effusionem in profunda noctis caligine mortale genus hominum uersabatur. At postquam incalcentibus Apostolicę doctrinę radijs, & coruscantibus eorum prædicationis tonitruis omnis per id lumen nubes fugata est, hominum mentes miro serenitatis fulgore illustratę sunt. Sed nequis præterita neget, ad exempla domestica conuertamur. Nos enim ex hac doctrina eiusque modo magis quam ex ulla alia illuminari, delectari, ac demum flecti experti sumus. Quapropter ex quo nostri temporis Prædicatores ea relicta ad Philosophicas proportionēs, ac Rhetorum artes conuersi sunt, omnino parum aut nihil in auditorum frequentia & in populis profecerunt. Cum antea simplici ad populum sermone utentes solius sacre scripturę instructione & familiaritate contenti mirifice illustrando populos inflammarent. Qui aded inuicem delectabantur, ut hymnis & canticis tam in aduersis quam in prosperis iubilarent. Hinc ad bene beateque uiuendum populi uehementer excitabantur. Testis est deus quam sæpe prædicanti mihi ad populum, dum ego per argutam philosophorum doctrinam perque humanę sapientię uerba euagarer ut sciolus huius seculi, ac inflatis ingenijs sacri eloquij profunditatem ostenderem, perspexisse contigerit ex quadam auditorum impatientia ac lenta auersione, non tantum rudium, sed etiam peritorum aures minus attentas. Quotiens autem ad sacre pagine maiestatem conuerterer, siue in interpretandis uarijs sensibus, siue in eius historijs enarrandis miram singulorum attentionem omniumque in me defixa ora marimoreis statuis similia intuebar. Sed enim expertus sum, postea quam omissis quæstionibus cœpi sacram scripturam exponere, homines ea summo operę delectatos illustratosque, atque agnita ueritate efficacibus aculeis diuini sermonis compunctos uitam in melius reformasse. Itaque cum iam nulla alia lectione uel auditione delectari queant à terrenis cupiditatibus abdicati, se sequę in dies ad meliora prouocantes diuini prope efficiuntur. Idem contigit priscis temporibus, cum Christiana religio uberrime pullularet, quod & nos modo re ipsa comprobamus. Hęc est enim illa doctrina penetrabilior omni gladio ancipiti, quę totum orbem uirtutibus adornauit, cultusque dæmonum & prophana idolorum oracula subuertit, ac infinitis pulsis erroribus mirabilia perpetravit. Cuius rei mentionem inferius faciemus. Noster insuper intellectus quanto est purgator, tanto ueritatis magis est capax. Hinc excellentissima quęque & purgatissima uirorum ingenia, non modo scriptis hanc doctrinam extulerunt, sed prædicatione, uita ac moribus contestati pro ea defendenda uitam intrepidę exposuerunt. Quod



perfecto minime fecissent, nisi eius ueritatem ipsis penè oculis conspexissent, & quodammodo manibus contrectassent. Item uerum uero confortatur, & falso omnia dissident. Sed aliæ disciplinæ huic nostræ non aduersantur, imò deseruiunt. Ex quo peritissimi uiri & in scientijs quibuscunque exercitatissimi nullam philosophiæ partem ei repugnare, sed aptissime conuenire constantissime ostenderunt. Ideoque ipsis Christianis unicuique disciplinæ studere conceditur, quod minime permetteretur, si catholicæ fidei detrimento essent. Quædam solummodo superstitione, ut diuinatorie, non minusque perniciose quam inutiles artes præciduntur, quæ etiam à præcipuis philosophis explose, nec inter artes, nec inter scientias connumeratæ penitus irridentur atque damnantur. Quod si qua interdum in philosophia nobis contraria uidentur, ita aperta à nostris soluuntur, ut liquido constet philosophiam omnem tanquam pedissequam sacræ doctrinæ famulari. Veritatis enim signum est facilis solutio obiectorum. Veritatis insuper natura est, ut quanto magis impugnatur (si defensorem habeat) magis elucescat, quia cum intellectus obiectum sit ueritas, ad eam naturaliter tanquam ad propriam perfectionem inclinatur. Quanto ergo ueritas magis elucescit, tanto maiori eam delectatione complectitur. Tunc autem ueritas maxime aperitur, cum acerrime impugnatur. Quia in conflictu ipsa per se emergit. Cum ergo doctrina Christiana à summis tam philosophis quam tyrannis ualidissime oppugnata semper insuperabilis fuerit, quod infinita Christianorum uolumina comprobant consequens est ut ab ipso deo tanquam omnino uera prodierit.

Alioquin inter tot cōflictus aliquando succumbens haud tam diu durasset inuicta.

*Ab oratione & contemplatione Christianorum fidem esse ueram.*

Caput

VIII.



Quemadmodum fides ac diuini eloquij lectio, auditus & meditatio est uitæ Christianæ principium, ita inter ea, quæ præcipue uitam hanc alunt, augent atque perficiunt, potissima est oratio. Ex usu nanque longissimi temporis in religione nostrâ compertum est omnes sine intermissione orantes in supremum sanctimonix gradum euasisse, omnes quoque proficientes sæpissime orare. Atque in huiusmodi oratione contemplationeque diuina summam in deo consequi uoluptatem, ob quam cuncta, quæ ab homine appeti possunt, tanquam uilia inaniaque contemnunt. Nec id perraris tantum sapientibus uiris, sed simplicibus quoque ac rudibus tam maribus quam scæminis commu-  
ne est,

ne est, ac omnibus demum, qui Christianæ uiuere didicerunt. Ab hoc itaque effectu probare possumus fidei nostræ ueritatem. Primo quidem cum deus sit actus purus & prima ueritas atque lux infinita, quâto quis deo propius accedit, tanto amplius particeps fit diuinæ puritatis, ueritatis ac lucis. Homo autem deo non appropinquat gressu corporis, uerum puritate uitæ, mentis eleuatione & contemplatione ueritatis. Cum ergo nulla candidior ac syncerior uita quam Christiana esse possit, cumque tunc demum mens hominis purgatissima efficiatur, ubi per diuinam contemplationem in sublime rapitur, sequitur quod in ipso orationis & contemplationis actu homo fiat maxime compos diuinæ ueritatis ac lucis. Cum autem in ualescente crebrescenteque oratione uideamus Christianos homines magis atque magis fide & amore Christi succensos confirmari atque in uirtute proficere, fateri oportet Christianæ religionis fidem diuinam esse ueritatem ac lucem. Item cum intellectus ex sui natura ueritatem tãquam suam perfectionem desideret, falsum uero tanquam malum euitet, nulla boni uiri dispositio propinquior fit ad ueritatem suscipiendam, & ad eius contrarium fugiendum quam in ipso orationis & contemplationis actu. Sed tunc præcipue hanc, ut diximus fidem ardentem amplectitur. Ex quo sequitur illam nequaquam esse fallacem. Omnes insuper Christiani per Christum crucifixum ipsum in fine orationis deum obtestantes in suprema clausula plerumque addunt per dominum nostrum Iesum Christum. Vel per Christum dominum nostrum & tamen ab ipso deo maxima quæque & incredibilia impetrant. Quod si quis non crediderit, saltem concedat oportet ab illis id telle experientia impetrari, quod principaliter intendunt, uitæ scilicet rectitudinem & bonitatem uerumque animi gaudium. Ita ut pias lacrimarum emanationes quibuscunque seculi delitijs ac uoluptatibus anteponant. Certe si Iesus Christus non esset is, quem fides astruit deum, non possent in tanta serenitate & appropinquatione lucis quasi tenebris obrui, neque eos permitteret deus tam perperam decipi. Aut saltem in sua obstinatos hæresi minime exaudiret. Rursus omnis causa materiam aliquam ad formam suscipiendam disponens post ultimam dispositionem eam statim introducit. Nec materiam ipsam disponderet nisi uellet introducere formã. Nec aliquis motor agit suum mobile, finem intendens irritum. At uir iustus nisi ab ipso deo, qui est prima omnium causa, allectus primum tractusque fuerit, ad deum orando attolli non potest. Cum ergo probatæ uitæ finis orationisque sit ipsa beatitudo: Deus hominem ad bene uiuendum & orandum non induceret, nisi eum beatum efficere uellet. Si ergo Christianus in uita & oratione proficiens amplius in fide Christi & contẽplatione stabiliter, non potest eadẽ fides esse nisi à deo, per quã homines ad beatitudinẽ ducit. Omnis itẽ causa ex

audit, ut ita dixerim, suum effectuum, postulatio enim effectus est proprie perfectionis appetitus, quam exigit à causa, cum ad eam bene disponitur. Tunc uero causa nisi impediatur suam non remoratur executionem pro dispositione rei perfectionem infundens quod ex illius bonitate & facilitate provenit. Quia bonum est sui ipsius diffusivum. Cum ergo deus sit summæ bonus, proculdubio super omnes alias causas suos exaudiet effectus, eos scilicet qui ad gratias suscipiendas optime disponuntur. Sicut christianos sæpe antea diximus, præsertim in orationis & contemplationis actu. Hi uero nihil magis à deo implorant quam ueritatis agnitionem, iuxta illud Dauid cum. Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Itaque uoto suo à deo non fraudarentur. Hi autem quanto magis orant, tanto magis in proposito fidei solidantur. Ratio ergo nostra ualidior procedit. Præterea si Christus non esset deus, credere & confiteri ipsum esse deum summum esset blasphemix ac detestationis genus. Si autem Christiani per Christum obsecrant deum patrem, quem cum ipso & Spiritu sancto credunt unius esse naturæ: Quomodo deus tantum errorem ex ignorantia & simplicitate conceptum indecenter sustineat? & solita bonitate sua supplicantibus, & illi in culpa est cur impium læse maiestatis diuinæ crimē impunitum relinquat: uel saltem cur, ut uidemus, huic errori & impietati fauet: dum plurima & amplissima dona impertiens illos proculdubio clemēter exaudit. Item anima nostra ut dictum est, ueritate in primis gaudens mendacio perturbatur atque confunditur, nec in eo potest ullo modo quiescere. Si ergo posita fide Christi ut falsa, absurdior ac pestilentior nulla abusio inueniri potest, quomodo innumeri homines præsertim iusti ac sapientes in ipsa Christi crucifixi contemplatione usque adeo propter hoc non solum omnia humana despiciant, sed in ediam, labores, æstus, impropria, minas, uerbera, carceres, ac demum sæuissima queq; tormenta mortemq; non solū libentissime perferant, sed etiam si desint ardentem exoptent? Certe dignus dei est hic.

*À cultu Christianorum exteriori fidem esse ueram.*

Caput

X.

**E**Xcausis itaque principalibus uitæ Christianæ uidelicet ex fide & sacrarum literarum exercitatione ac oratione, quibus ipsa concipitur, nutricur, augetur atque perficitur religionem nostrā ueram esse ac omni

ac omni carere falsitate, ostendimus. Quæ quidem causæ sunt internæ. Nunc  
 autem externas causas tanquam præcedentium adminicula percurremus.  
 Sacramenta uidelicet ac ceremonias ipsorum sacramentorum gratia instituta.  
 Quæ omnia ad exteriorem christianæ religionis pertinent cultum. Et  
 ne singulis immoremur cuncta simul, uelut corpus unum pluribus constans  
 membris, cõplectemur. Nam cum omnes ceremoniæ ad sacramenta ipsaq; sa-  
 cramenta ad unũ principale uidelicet ad Eucharistiã referant, res una meri-  
 to dici potest. Ab hoc itaq; cultu rite obseruato uidemus magnum deuotio-  
 nis & sanctitatis incrementum christianis prouenire. Nam ab exordio nos-  
 træ religionis ad hæc usq; tempora ex archiuis, attestationibus & exemplis  
 tam priscorum quam recentium patrum, & quotidiana experientia nouimus  
 quod hunc cultum pie ac fideliter exercentes, & qui quotidie sacramenta di-  
 uinæque mysteria aut tractant aut sumunt, quam prius non habuerant per-  
 fectionem acquirunt, & in dies admirabili fiunt sanctitate diuiniore. Qui  
 uero sine fide ac religione his familiariter assuescunt, efficiuntur ceteris ho-  
 minibus nequiores. Quod, ut prisca omittamus exempla, præcipue in sacer-  
 dotibus & clericis nostri temporis planè conspicimus. Quibus si boni fue-  
 rint, nemo melior. Sin uero mali, nemo peior inuenitur. Illi enim ab omni  
 temporalium rerum affectu purgati soli deo inherant, pro cuius amore ac  
 ueritate mortem subire non dubitant. Hi uero superbia, inuidia, auaritia ac  
 flagitijs omnibus obruti eo impie uiuendo excedunt, ut quod est omnium  
 pessimum tanquam omnino perditum nequeant emendari, cum præsertim ad  
 monitione, reprehensione, adhortatione & bonis exemplis, quibus ceteri  
 resipiscunt, magis atque magis exacerbentur. Hæc cum ita se habeant, ut  
 quasi oculis præsentia negari nullo pacto possint querendum est quam  
 uirtute duo inuicem contrarij effectus ab huiusmodi sacramentis cerimo-  
 nijsque emergant. Duos enim contrarios effectus ab una eademq; causa pro-  
 uenire propter cõtrarias materiæ dispositiones philosophiæ non repugnat.  
 Terra enim solaribus radijs induratur, & glacies soluitur in liquorem. Ari-  
 bor uero fixis humi radicibus uirtute cœli flores pomæque producit, ead-  
 dem rursus euulsa pari influxu penitus exarescit. Profecto cum hi duo effe-  
 ctus ita sint oppositi, ut alter eorum sit optimus in his, qui recte (ut dixi-  
 mus) sacra mysteria uenerantur, alter uero in his, qui sacris abutuntur,  
 pessimus sit, non possunt ab inani & falsa causa prouenire. Cumque in  
 alio hominum genere id minus appareat, aliam eorum causam dare non  
 possumus, nisi diuersum contrariumque in illis dei colendi habitum. Si  
 enim Christianæ religionis cultus exterior ab ipso deo non penderet, uiri-  
 tutemque ac ueritatem diuinam in se eo modo non continerent, quo instru-  
 menta uirtutem obtinent principalis agentis, nequaquam excellentissimum  
 christianæ

christianæ sanctitatis effectum producere, fouere & consummare posset. Hoc siquidem per se non efficit. Quia cum uita christiana sit penitus spiritalis & in parte intellectiua consistat, non potest à corporeis instrumentis per se prouenire. Quid enim ad excolendum animum baptisma oliuæ ac balsami delibutio, thuris fumigatio, buccellæ & calicis oblatio & altaria, cæteraq; huiusmodi extrinseca conferrent, nisi superioris alicuius causæ essent instrumenta? Nam si hæc humano commento uel diabolica fraude ad supersticiosum ritum introducta essent, nunquam à tam prauis & uanis illusionibus tam sancta uita proueniret. At quispiam fortè obijciat, eiusmodi cultum non esse perfectionis causam, sed potius uirtutum exercitationem, & hominum credulitatem, quia illum diuinum esse credunt. Hi enim cum uitia fugare conentur bonis operibus assidue incumbentes, eiusmodi imaginatione ac exercitatione in dies magis magisque proficiunt. Nos autem contra querimus, quare alij probitatis & disciplinæ moralis studiosi, qui aut hæc sacramenta non colunt, aut ab eis per interualla temporis abstinent, longe ab illa integritatis meta differunt? Profecto si huiusmodi cultus inutilis ac falsus esset, quanto quis longius ab eius celebratione recederet à se ipso illum abijciens, tanto in uirtutum exercitatione moralium magis proficeret. Sacerdotes quoque ex eius irrisione atque contemptu non deteriores sed meliores efficerentur. Cuius rei contrarium quotidie experimur. Præterea cum deus sit summa ueritas, quanto quis eius luce magis perfunditur, tanto fit deo propinquior. Quanto autem mendacijs & erroribus magis implicatur, tanto fit ab illo remotior. Scimus autem eos qui hæc mysteria pie & religiose frequentant, diuino cultu uehementer ad eum delectari, ut sæpe extra se positi persent attonitis membris immobiles. Horum etiam immutata facies radijs sanctitatis elucens ipsos cunctis amabiles ac uenerabiles reddit. Quod & si priscis temporibus multo crebrius quam nostris (sicut legimus) uidebatur, tamen hodie quoque plerosque scimus & nouimus tali munere præditos. Nec tantum simplices sed etiam sapientes. Vnde igitur hæc extasis? Vnde sedula & iucunda meditatio? Vnde seruator ille igniti spiritus? & calida suspiria dulcè que lachrymæ cadentes. Atque in hymnis & canticis suaue sonantis ecclesiæ ineffabilis iubilatio? Profecto nisi hic cultus à deo esset ac subinde uerus nusquã plura deliria ac mendacia reperirentur. Quippe qui totus figurarum plenus est ac significatiuus. Quicquid ergo in mysterijs, sacramentis, templis: Aris, infulis, uestibus, omnium ceremoniarum apparatu, & psalmorum modulatione ac reliquo ritu continetur, ad uanitatē & cassum laborē pertineret. Quæ tamen omnia Christi colendi gratia instituta sunt. Si ergo hic cultus tot fulciretur mendacijs, uir presertim sapiens & perspicacis ingenij ex meditatione horum sacramentorum tam mirabiliter ad rerum diuinarum contemplationem non tolleretur, neque tot ac tantis cælestibus delitijs

delitijs repleretur. Ex mendacijs enim (ut prædiximus) incertior fit & obtusior intellectus, & per ea semper amplius à deo recedit. Ergo ex cōtrario effectū dicimus hunc cultum esse uerū, & diuinis charismatibus plenum. Ordo etiam & significatio eorum, quæ in ecclesia geruntur, non humanum inuentum, sed diuinam dispositionem esse ostendunt. Nihil enim in hoc cultu irrationale, nihil inane est. Sed singula ordinem suum ad proprium obtinēt mysterium. De quibus modo non est singillatim dicendum. Quanquam in tertio libro non nulla pro necessitate loci breuissime subtexemus. Si quis autem hæc diligētius scire uoluerit: Doctorum explanationes reuoluat, & singula pensitando, sinem perscrutandi non inueniet. Dum in his non minorē ordinem & harmoniam quam in uniuerso nature opere admirabitur, eiusq; cor latissime diffundetur. Quod nisi peruerse & obstinate sit mentis ac penitus obcæcate, fateri cogetur hæc omnia esse ab ipso deo, non ab hominibus ordinata.

*Ab intrinsecis christiana uitæ effectibus fidem esse ueram.*

Caput

XI.

**V**eram igitur esse Christi fidem, rationibus ex causis christianæ uitæ deductis tam internis quam externis pro nostri ingenij modocritate probauimus. Nunc iam tempus est, ut ad rationes extractas super effectus eiusdem uitæ transeamus. Vnus autem ex potissimis eius effectibus continuo subsequens est pax mentis & gaudium animique libertas. Nam præterea quæ nostrorum patrum leguntur & audiuntur exempla, nostra etiam tempestate cernitur ueros christianos nullis quassationum, aut perturbationum procellis moueri. Sed magis in confessione & fide Christi stabiles permanere, & in tribulationibus gloriari. Quærendum est igitur unde hi effectus proueniant, ut quanto quis Christo recte uiuendo magis inhæserit, tanto maiorem libertatem serenitatemque animi consequatur. Christiani porrò ipsi huius rei causam hanc adducunt. Aiunt enim quoniam ipsa hominis beatitudo in sola diuinorum cognitione & contemplatione cōsistit, manifestum est infra deum in nullo tanquam fine ultimo humanum posse desiderium terminari. Quod itaq; christiani quietē animi pacemq; possideant, non aliunde prouenire potest, nisi quia illum ultimum finem, qui uerus est, sibi statuerunt. Vnde si christianos omnes de supremo fine interrogas. Deum esse proculdubio respondebunt. Quia ergo mundana omnia in dei comparisonem pro nihilo habent, sperantes post migrationē ab hac uita deum assequi & eo frui, quicquid est in mundo contemnunt & nihili faciunt. Hinc amissis ablatisq; temporalibus bonis minime contristantur. Quādo etiā posthabita uita mori appetunt, ut deū unicū supremumq; eorū bonum adipiscantur. Et quia per essentiā, presentiā & potentiā ubiq; deus est, in eis est etiā per amorē & contēplationē, sicut amatū est in amate. Cum autē

amatū

amatum præsens est, animus delectatur & gaudet. Ideo christiani recte ui-  
 uentes ex dei præsentia, quam interne percipiunt maximo gaudio afficiuntur.  
 Et quoniam deus est infinita potestas: Vbi sentiunt deum sibi propitium,  
 nihil prorsus timentes cætera omnia uilipendunt. Ideo magna libertate fi-  
 duciaque muniti, nec blanditijs possunt, nec terroribus à proposito dimoueri.  
 Sed cum homo hanc animi serenitatem libertatemque naturali uirtute tantum  
 propter rerum sensibilibus impedimenta ac debilitatem intellectus assequi  
 nequeat necesse est inquirunt) confiteri hanc animi tranquillitatem & pacem  
 aliquo super cælesti dono nobis esse concessam. Cuius uigore deus, & pro-  
 missa beatitudo assidue coram nobis assistit. Quod autem ipsis fidelibus ea  
 sit paucis, gaudij libertatisque causa, uel ex eo planè constat, quia cum anima  
 nostra sit una, & omnes eius potentiæ in eius essentia fundatæ, quotiens per  
 alicuius potentiæ operationem prorsus occupatur in aliquo, alterius poten-  
 tiæ obsequio uti non potest. Vt si quis contemplationi ualde intendat, alia-  
 rum potentiarum officia remittat oportet. Item si quis dolore magno affi-  
 ciatur, non poterit contemplationi uacare. Si ergo christiani uana credulita-  
 te & uitæ hac deciperentur, nulla eos superioris causæ uirtus, in confirmar-  
 tione tanti erroris adiuuaret. Atque ita in puris naturalibus remanerent. Quin  
 imò ex hac ueri deprauatione naturalia aliquo modo infirmarentur. Quo-  
 modo ergo possent in maximis calamitatibus & pressuris corporisque dolori-  
 bus pacem & gaudium mentis libertatemque inuolabiliter custodire. Præ-  
 sertim quia non pauci sed innumeri hoc obseruarunt. Philosophi enim non  
 nunquam unum uel duos ad summum nobis obijciunt. Nos autem infinitos  
 utriusque sexus in toto terrarum orbe eis opponere possumus, qui hanc  
 animi tranquillitatem & libertatem in tribulationibus ac doloribus maxi-  
 mis possederunt. Christum crucifixum tantummodo inuocantes & toto cor-  
 de laudantes. Insuper tam maiorum experientia quam nostra probauimus ex in-  
 cremento fidei & sanctimoniam uitæ christianæ pacem & gaudium ac libertatem  
 augeri. Quod certe euenire non posset, nisi fides, spes eorumque profes-  
 sio uera esset, certumque inde bonum expectaretur. Quo enim magis pro-  
 ficat homo in rectitudine uitæ, eo amplius in cognitionem perducitur ueri,  
 ac boni possessionem, contrarijs euitatis. Ideoque si christianus uerum bonum  
 non comperisset in profectu huius uitæ, minime eius gaudium augeretur.  
 Sed eo magis decresceret, quanto plus cognosceret se esse deceptum. Hoc  
 autem maxime confirmatur ex uita religiosorum. Nam (ut præterita omi-  
 tamus, quæ scriptis nostris comprehendere non possent) quotidie cernimus  
 innumeros tam masculos quam scæminas perfectioris uitæ studio ad arcta  
 claustra se transferentes parentibus, cognatis, amicis, cunctisque diuitijs &  
 uoluptatibus una cum propria libertate relictis, ignotis, & alienigenis locia-  
 ri, quibus ita omnino subiiciunt, ut quo ad exteriora bona, id est, facultates  
 nil eis

nil eis concedatur præter illa, sine quibus uita humana transigi non potest. Pro superioris tamen arbitrio in diem permutanda uel auferenda, utpote singulis incerta cunctisq; communia. Quo autem ad bona corporis, incorruptam castitatē mentis corporisq; custodiunt, uigilijs, ieiunijs & abstinentijs carnem macerantes, omnemq; sensuum petulantiam restringētes. Quo insuper ad bona animi, quorum præcipua est libertas, omne à se sponte uoluntatis arbitrium abdicantes ad idem uelle & nolle cum superiore suo perpetua obligatione tenentur. Cumq; omnia bona amiserint, quibus mortales oblectari & gaudere consueuerunt, ita iucundę & hilariter uiuunt quicunq; huic perfectioni aspirant, ut in lautissimis delitijs eos degere putes, atque indies magis proficiendo tranquilliores & alacriores euadunt, in solius crucifixi hymnis ac laudibus exultantes. Quos si interrogas, confitebuntur unanimes omne ipsorum oblectamētum & gaudiū in Christo Iesu & in his, quæ ab eo pendent, esse collocatum. In primis itaq; dicimus non posse quenpiam rationibus ullis arguere hoc ex stultitia prouenire. Quandoquidem hoc ipsum non humiles ac simplices uiri tantum, sed complures prudentia atq; doctrina excellentissimi factitarunt. Qui errorem hunc (si modo erroris esset) facile discernent, cum propter ipsorum sapientiam, tum propter uitæ rectitudinem. Quoniam cum sapientia & bonitate fraus & dolus cōuenire & perseverare non possunt. Præterea cum huiusmodi uiri ad perfectionis apicem semper studeant peruenire, nec maior ulla perfectio quam ea, ad quam illi contendunt, inueniri possit, uita scilicet religiosa christiana, in qua supremus perfectionis gradus habetur, sequitur, ut nulli hominum sint eis aptiores ad supernas illuminationes suscipiendas. Si ergo fides Christi uera non esset, iam per tot tempora in tam magno uarioq; conditionum concursu saltem ab huiusmodi uiris uanitas & fraus hæc fuisset detecta. Nec possent tales ac tanti uiri in suprema animi seruitute libertatē tranquillitatemq; seruare & singulis horis laxari ac exultare. Cuius rei contrarium planè constat. Hi namq; super omnes alios fidem tum uerbis tum experimentis etiam confirmarunt, scriptisq; confirmant, & tanquam liberi sub dei gratia constituti magno gaudio perfruuntur. Procul igitur omnis est à fide Christi decipio. Omnis insuper causa ex bonitate, qua se ipsam diffundere desiderat, ad finem, quoad fieri potest, suum dirigit effectum, præsertim quando effectus ad eam conuertitur. Cui quanto magis appropinquat, tanto magis in eo quiescit & delectatur. Sed deus est summæ bonus suæq; bonitatis libentissimus ac largissimus impertitor. Ergo omnes, qui ad ipsum cōuertuntur, effectus diriget ad proprios ac meritos fines, ut in eis deniq; cōquiescant. Cum autem nulla intensior ad deum fiat conuersio quam eiusmodi probatorum religiosorum, ipsos quoq; ad finem uitæ diriget optatum, in quo pacem fructuque consequantur. Hi uero quotidie proficiendo in orthodoxa fide

○ uehementius



uehementius confirmati, inq̄ ipso Christo gaudentes penitus cōquiescunt, ut ipsum lucri faciant reliqua omnia ut uilissima posthabentes. Ergo patet eam omni falsitate carere. Alioquin ex directione illa diuina ab huiusmodi falso mentis gaudio magis magisq̄ recedentes ad ueram optatamq̄ quietē perducerentur. Omnis item lætitia in aliquo amore fundatur. Amor enim est primus actus appetitus & uoluntatis, à quo cæteri actus proueniunt. Cū ergo lætitia mentisq̄ iubilatio, quæ ex facie horum hominum non dissimulanter apparet, in nullo fluxo fragiliq̄ uel naturali animæ bono consistat, sed eam uno ore communique consensu ab amore Iesu Christi crucifixi dependere omnes affirmant. Hęc profecto lætitia non potest in aliquo errore aut uano amore fundari. Quia tanto amplius deficeret, quanto tales uiri rectius ac sanctius uiuerent. Vt enim dictum est, si nulla esset Christi fides, apertius indies perciperēt se tanquam nihil amantes penitus esse deceptos, atq̄ inde tristiores efficerentur. At morum honestas, uultus hilaritas, & resurgens in fronte sanctitatis specimen, propter quod apud omnes potissimum uenerantur, longe aliter esse ostendit. Dum illos semper felici successu alacriores intueri licet ac iucundiores.

*Ab extrinsecis christiane uitæ affectibus fidem esse ueram.*

Caput

XII.

**A**lius inde effectus ex christianorum uita colligitur in exteriori homine maxime apparens tam in moribus quam in ipsa indole diuinū pariter redolens quiddam. Propter quod multi eos reuereri, & quodammodo colere impelluntur. Vnde superbos atq̄ feroces animos uenerandus humilium aspectus compescens sepe deterruit. Quod de Attila Hunnorum rege immanissimo ac potentissimo legitur. Quem nulla hominum strage expletum hostiliq̄ acie imperterritum beati Leonis Pontificis oratio iuxta Rauennam ab Italia summouit. Atq̄ is præter ipsius morem non sine magna suorum admiratione non solum pontificē ipsum uenerari, sed etiam imperanti quodammodo obtemperare uisus est. Sic & Totila Gothorū imperator seuissimus innumeris generi humano cladibus illatis regionibusq̄ uastatis sancti Benedicti pauperuli monachi intuitum non sustinens mox in faciem procidit, uixq̄ dei seruo iubente ac subleuante sese erexit. Theodosium uero imperatorem Mediolanum à cede Thessalonicensi reuersum, Ambrosij Episcopi obiurgantis autoritas ab ingressu templi coërcuit, iniuria atq̄ pœnitentia salubriter expirauit. Dies me ante deficiat quam præclara complurium exempla afferre ualeam. Sed quod assidue in promptu cernitur probare non expedit. Sæpe enim uidimus arrogantes sceleratosque homines coram sanctis uiris animos & uerba mutasse, intimaque cordis compunctione uitam in melius reformasse. Diuinus enim ille spiritus tam mares quam fœminas, iuuenes quidem mira uenustate, senes autem ueneranda caritatis

nitie foris exornat ac pro re ipsa modo amabiles, modo formidabiles red-  
dit. Huius ergo effectus causam esse dicimus pulchritudinē animi super-  
naturalem, id est, gratiā dei intellectum & uoluntatem aliasq; animę partes  
decoratē. Quod hinc patet. Anima siquidem nostra per imaginationem  
uehementer alterans corpus, faciem oculosq; commutat, ut ex cogitatione  
uenerēa corpus ad libidinem incalescit, expensitatione autē odij ad uindi-  
ctam animus accēditur. Vnde imaginatio, sicut experientia patet, multum  
alternationis inferre corpori solet. Ex alteratione autem sensibilis appetitus  
& commotione spirituum statim facies immutatur, ex timore siquidem pal-  
lescunt homines, ob iracundiam uero ac uerecundiam rubore perfundun-  
tur, lætitiā quoq; ac tristitiā facie uultus ostendit. Quia ergo intellectus  
noster corporeis utitur instrumentis & organis, conceptus eius præsertim  
si fuerint uehementes redundare in corpus consueuerunt, præcipue in facie  
& oculis apparentes. Superbos enim arroganti inspectione. Crudeles torua  
oculorum acie, leues mobilitate oris & corporis. Impudicos lasciuo aspectu  
cognoscimus. Quædam etiam maleficęanus contagioso obtutu inficere ac  
fascinare infantes perhibentur. Mentis deniq; habitus boni uel mali præser-  
tim penitus infixi, uix ulla sagacitate dissimulari queunt, quin foris innotē-  
scant. Cum itaque omne agens agat sibi simile & omnis effectus suam expri-  
mat causam, non potest christianorum decor exterior & honesta ac reue-  
renda morum species nisi à pulchritudine animæ & ab integritate uitæ pro-  
uenire. Quæ quidem tantæ uirtutis esse quotidie cernimus, ut ad peccar-  
torum conuersionem nihil inueniatur salubrius & efficacius, sicut experien-  
tia planè constat. Experti enim sumus simplicium christianorum recteque  
uiuētium exempla multo plus hominibus profuisse, quam philosophorum  
aut eloquentium hominum uoces, uel audita seu uisa miracula. Nam sæpe  
uidimus disertissimos ac doctissimos uiros sublimia prædicantes summa  
cum attentione libentissime audiri, eorum tamen uita uerbis non responden-  
te parum eos uel nihil ecclesiæ profuisse. Sed suæ tantum eloquentiæ lau-  
dem ac sapientiæ reportasse. Maiorum quoque nostrisque temporibus mi-  
racula plurima extiterunt, quæ parum nihilominus emendationi uitæ pro-  
fuerunt. Nam maximam hominum frequentiam ad illa confluere uidimus,  
sed cum diligentius sæpe fuerim perscrutatus nihilo uel paulò meliores eua-  
fisse eos accepi. Ex perfecta autem christianorum uita innumeros scimus &  
uidimus compunctos ad deūque conuersos, nec simplices tantum, sed  
prudentes & eruditos. Quorum plurimi bonę fame ac sanctitatis odore cor-  
repti mundi illecebris ac uoluptatibus spretis ad sanctę societatis contuber-  
nium in monasteria conuolarunt. Ibiq; prioris uitæ multum pertęsi iucun-  
dissime ac sincerissime uiuunt. Ex his itaque manifestum est christianis a-  
liquam inesse uirtutem, qua tam admirabiles producuntur effectus. Corpus

nanque per se non agit in spiritum. Cuius signum est quod aliqua corpora maxime formalia ut coelestia nulla uirtute corporea patiuntur. Nam coelum ab igne sibi propinquo non patitur. Multo minus ergo spiritus per se à corpore patietur. Cum ergo quæ ex uita christiana uidentur exterius, corporea sint, non possunt hæc corporea per se in alicuius agere animam, ut eam ad tale bonum commutent, nisi per illam uirtus aliqua ad animam traducatur. Sed in catholico probatoque uiro eminens ac præcipua uirtus, qua recta uiuendi institutio exteriorque pulchritudo sanctaque conuersatio prouenit, est immaculata fides & amor Christi crucifixi. Ipsa enim fide simul & amore crescentibus exterior etiam pulchritudo ac ueneratio augetur, atque ad conuertendos homines maioris est efficacitæ. Non potest ergo hæc fides, quæ per dilectionem operatur, esse deceptio, cum ueritate falsitas careat, quæ cor hominis penetrare non potest. Veritas insuper est falsitate potentior. Sed nullum unquam remedium ad bene beateque uiuendum efficacius est inuentum quam uita christiana. Sicut philosophorum & aliorum hominum collatione docemur. Quorum doctrina & exemplis per quã pauci conuersi sunt ad bene uiuendum. Ex christianorum autem uita innumerari quotidie surgunt, & incontaminatam uitam ducunt. Huius igitur uitæ radix falsitas inanis & uacua esse non potest. Alioquin ex doctrina potius ac moribus philosophorum quam christianorum exemplis homines ad emendationem uitæ reuocarentur. Quod experimento falsum esse deprehenditur. Præterea cum deus sit primus motor, sine quo nil moueri potest, & ipse omnia sapienter agat, nobilioribus causis nobiliores commendat effectus. Nobilissimus autem effectus est christianorum uita. Cum igitur præter exhortationes & inspirationes internas maxime deus homines ad hanc excitet uitam per conspicua fidelium exempla, ut simile generet sibi simile, sicut sol & homo generant hominem, necesse est dicere quod perfectus christianus sit causa nobilissima & optimum instrumentum ad huiusmodi effectum producendum. Non ergo uirtus illius instrumenti deo cooperans, est aliqua falsitas. Sed summa ueritas. Hæc autem uirtus est fides flagrante charitate succensa, ut dictum est. Fides igitur uera est.

*Ab admirandis Christi operibus, & primum à potentia. Fidem esse ueram. Caput XIII.*

**P**Robauimus iam fauente deo ex manifestis effectibus & in orthodoxa ecclesia quotidie apparentibus christianæ fidei ueritatem. Quamuis autem plura alia possent argumenta ad eius confirmationem suaperinduci, ut tamen per stricta breuitate placeamus, aggrediemur rationes ex eis effectibus elicitas, qui præteritis temporibus apparuerunt. Quos esse ueros uniuersus orbis asseuerat. Quemadmodum igitur philosophi ex iis, quæ in

que in rebus naturalibus conspexere, causas rerum inuestigarunt. Nos quoque descriptū superius Christi triumphum è regione proponemus, & ipsorum effectuum causa, quantum ad rem pertinebit, exactissime perscrutabimur. Et sicut philosophi naturam rerum inspicientes ex magnitudine miraque ordine & perfectione totius orbis eam causam esse deum intellexerunt, quæ cæteris potentior, sapientior, perfectiorq; existit: Quam primā nuncupauerūt primūque rerum principium ac motorem. Ita nos inspecto Christi crucifixi triumpho, ipsum ostēdemus omnium aliarum religionum dñs, fuisse & esse supra quam comparari possit potentiozem. Cunctisq; alijs maiora ac meliora opera effecisse. Sapientia quoque ac bonitate inexcogitabili & immensa eos in infinitum superasse. Ex quo perspicuum erit quod hic deus magnus dominus & rex magnus super omnes deos. Exordiamur itaque ab ijs, quæ ad potentiam pertinent. Positumq; ante oculos triumphum in memoriam reuocemus. Atque ita argumētemur. Aut hic Iesus Nazareus crucifixus, quem adorant christiani, est uerus deus & prima omnium causa, aut nō est. Si primum detur soluitur disputatio. Quia si est deus, oportet fidem christianam & uniuersam eius doctrinam atq; religionem esse ueram. Sin autem secundum, sequitur, Iesum Nazarenum fuisse super omnem arrogantiam inexcogitata superbia nefandissimum. Qui purus homo mortalisq; cum esset: Se deum maximum existimari & ab omnibus adorari uoluerit. Ex quo eum mendacissimum pessimūque dicere oporteret. Quinetiam pari argumento stulissimum, quod talem tantamque prouinciam fuerit aggressus. Quid enim magis rationi contrarium, quidue insanum ac ridiculum magis inueniri potest, quam quod humilis & mendicus homo absque armis atque opibus ullis inexplite solum ac nudę linguæ mucrone, inō potius horrendę mortis supplicio contra diuinam maiestatem contendere ausus sit: Atque illi debiti honoris spolia detrahēs simul omnes homines tam potentes quam sapientes imbecillos quoque ac rudes noua & inaudita religione inuoluere tentarit? Ac simul omnes aliorum deorum cultus & ritus demoliri, mundūque uniuersum tot antea seculis certis legibus instar currentis fluuij assuetum alio statuisse diuertere ac penitus immutare. Sequitur insuper ut deum coli iusserit: Idque non solum in uita, sed multo amplius post eius acerbe necis consummationem: ea lege ut ipsum mortales non modo diligerent & adorarent, sed repugnante natura difficillima quæque ac prorsus intolerabilia ob eius amorem paterentur? Ac denique nulla poenarum atrocitate deterriti mortem ipsam ultimum terribilium per quam libenter subirent? Hic ego te sanè interrogem quisquis es, si quis mortalium hæc se facturum polliceatur, aut animo reuoluat & pectoris archanum sui tibi aperiat. Quidnam quæso quid diceres? Num alium quenquam insanire magis putares?

gis putares. Nonne eo maiore cachinno sublannandum quo minus hec fieri posse iudicares? Si igitur Iesus Nazarenus non sit deus. Qua ope fretus insipiens sacrilegusque seductor contra patrias leges, contra principes, contra sapientes, & aduersus uniuersum terrarum orbem reluctante. Contraque infernas & superas potestates. Denique contra supremum omnium conditorem a deo dimicando preualuit. Ut coequalis deo habitus sit & pari ueneratione receptus. Ac praedicta omnia inter tot repugnantia tam longo aeuo insuperabilis obtinuerit. Cur o ludaei deus uester mundi rector & custos tantum impietatis scelus permisit inultum? Hic ego uos Gentiles appello. Cur hunc dii uestri non expulerunt? Quomodo hic ad eum despectus homo cruci affixus & mortuus eam uim post se reliquit, ut tot ac tanta pepererit? Quis unquam eorum, qui pro dijs habiti sunt ne dicam hominum, huic fuit comparandus? Cum eorum rixae, sacrilegia & incestus etiam apud suos cultores nefaria existimantur. Vides ne quam impudenter quidam Apollonium Thyaneum Christo nostro comparare sint ausi? Quis uero Pythagoram, Socratem, Platonem, reliquosque philosophorum principes, uel etiam Alexandrum, Caesarem, ceterosque reges ac imperatores excellentissimos & clarissimos uiros ei conferre possit? Cum eorum nemo deum se fecerit. Nec simul omnes minimam quippiam in comparationem Christi uel eius discipulorum peregerint. Quid uero magni uersutissimus ille dux Arabum Mahumetes effecit? Hic profecto nunquam se deum asseruit. Qui tamen uerbis & gladio praepotens armis & numeribus & lasciuientia uoluptatum licentia barbaram imperitamque multitudinem sibi adiunxit. Nonne & ipse Christum honorifice confessus nihil super humanas uires atque uersutias praese tulit? Talis nempe non fuit Iesus Nazarenus. Nemo enim unquam mortaliu ad credendum ac peragendum difficiliora quam Christus ipse proposuit. Mandauit enim & uoluit ut esse deus trinus crederetur, uidelicet pater, filius & spiritus sanctus, unus deus in tribus personis realiter distinctis. Quae tamen in substantia & essentia sunt unum & simplicissimum esse. Vult etiam credi se esse deum filium dei unum cum patre & spiritu sancto. Et ipsum esse uerum hominem uirginis Mariae filium. Quam pariter uult adorari tanquam ueram dei matrem. Crucem quoque olim reorum triste supplicium in summo honore & ueneratione haberi tanquam signum nostrae salutis potissimum. In suprema insuper aeterna perpetuo testamento mandauit, ut credat eam quam panis buccellam & modicum uini post pauca consecrationis uerba substantialiter non uariatis tamen accidentibus in ipsius corpus & sanguinem uerissime transmutati, utque sic ea libamina adoremus et in cibum potumque sumamus, uelut caeleste uaticum, per quod pollicitus est nobis uitam aeternam. Neminem quoque nisi renatum ex aqua & spiritu sancto regnum dei ingredi posse, praecipit etiam ut scripturae suae absque ulla dubietate uel derogatione ad unguem in uos

labulis

labilis fides habeat, non obstantibus multis humano intellectui difficillimis. Et hæc omnia nisi quis crediderit saluari non possit. Nec sufficit horū firma & constans fides ac ueneratio. Nisi inuisibilia diligentes uisibilibus contempnis quaslibet persecutiones patienter sustineamus. In patientia enim uestra possidebitis (inquit) animas uestras. Idem suis in hac mortali uita promisit non diuitias, non honores, non dignitates, quin imò prorsus cōtraria omnia uidelicet paupertatē, ignominia, depressionem, amplius quoq; insultus, uerba, exilia, carceres, agones, atque supplicia. Quibus ipsius gratia toleratis ineffabilem nobis beatitudinem pollicetur. Proponens humanū captum excedentia, utputa gloriam in cœlo cum angelis, & corporū resurrectionē, & quod nec oculus uidit nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. His nihilominus ita se habentibus quicquid uoluit cōsecutus est pugnante contra eum toto orbe terrarū. Nam ex omni hominū genere atq; conditione innumeri hæc homines ita susceperunt prosecutiq; sunt, ut uitam quā fidem desere maluerint. Reges quoq; & principes (sicut etiam nunc uidemus) eiusdē fidei iugo humiliter inclinati infimis eius ministris paruerunt. Ponamus itaq; ante oculos nostros Christū pauperē creditumq; olim fabri lignarij filium & suo tēpore despectū. Et quid cogitet eum interrogemus. Respondeat autem. Ego in quā pauper ac mundi ueluti inquilinus statui uniuersum meis legibus orbem renouare, ea intentione ut homines me tanquam deum uerum unumq; cum patre & spiritu sancto prorsus adorent. Utque crucem, in qua inter latrones medius obprobrio miserandoq; supplicio confixus moriar, pariter colant. Atq; post mortem hanc turpissimam omnia tormentorū meorum instrumenta uestigiaq; summa cum reuerētia deosculentur, & cunctis prelata thesauris charissime ac honorificentissime recondant. Ac super cætera sacrificium panis & uini, hoc ipsum corporis & sanguinis mei esse substantiam credentes deuotissime uenerentur. Ac sacri baptismatis unda animas credant omni peccatorum labe mundari. Sequē olei & balsami unctiōne sanctificari. Postremo in nullo fas sit meæ doctrinæ derogare. Sed usque ad minimum apicem integram inuiolatamque accipant & obseruent. Insuper matrem meam incorrupta & perpetua uirginitate sanctissimam speciali prærogatiua super omnes angelorum choros euectam post deum ut mundi reginam & dominam honorent ac deprecentur. Discipulos quoque meos ex piscatoribus electos supplicibus uotis prosequantur. Eorūque ossa, cineres ac reliquias omnes adorent. Talia pauperem hunc cogitantēque atque enarrantem nonne ut stultum risu dignum censes? Si te præterea irridente perseveraret dicens. Volo ut non solum quæ dixi firmissime credant. Sed ut ij ob hanc causam cōtinentissime ac reuerentissime uiuant, & propter inuisibilem sponsonem à me traditam terrena

omnia sensibiliaque post habeant. Atque ipsorum in me ardentissimi amoris gratia egestatem, sitim, famem, labores, ærumnas, cruciatus, mortem denique seuerissima quam auidissime patiantur. Hęcquę potius eligant omnia, quàm meæ doctrinæ uel minimū iota negare. Nonne huiuscemodi hominē mente captum aut extra se positum putares? Sed si adijceret. Volo hæc omnia toto inuito mundo perficere. Nam contra reges & principes, contraque omnes siue deorum siue hominum religiones ac sectas, contra etiam tartareas potestates pugnare intendo, ex his omnino palmam ac triumphum reportaturus. Certe in effusorem risum prorumperes. At si interrogatus, qua fiducia, quibus armis hæc efficere uelit, idem respondeat, non alijs quam lingue meæ meorumque discipulorum prædicationibus. Sed quia eloquentia plerumque ad persuadendum uim magnam habet (nequid suis in operibus facundię lenocinio tribuatur) illam dicat à se penitus alienam, & se furorisque ministros nulla arte uerborum, sed sobrio & simplici eloquio hoc effuturos. Maiori nempe insanie id ascriberes. Si uero idem subiungat. Scio propter me infinitam hominum multitudinem perituram. Sed quanto plures morientur, tanto maior subcrescet credentium numerus, & fides mea propagabitur in uniuersis finibus terræ. Meorum enim martyrum sanguis tanquam semen in maximum prouentum redundabit. Vni præterea ex his piscatoribus, eiusque nunquam successoribus defuturis hæreditate continua tradam sublimis regni perpetuum sceptrum. Superbam quoque urbem mundi dominam ipsumque imperatorem ad deosculandos uicarij mei pedes incuruabo. O si hæc narrantem audisses, quibusnam furij, ne dicam insania, eum hominem laborare putares? Quibus & cachinnis obstreperes? Cogita præterea hæc addentem. Infiniti de me libri ab excellentissimis & doctissimis uiris conscribentur. Qui me doctrinamque meam prædicabunt, eamque super omnes alias extollentes totis uiribus tuebuntur. Sacerdotes uero mei præcipua in populis reuerentia solenni denique apparatu, pompa & cereis accensis eandem doctrinam pronuntiabunt. Quam intento ore humilique & nudato capite audient astantes. Nonne hæc uanissima tibi somnia uiderentur? Concludat hic demum. His tantum proculdubio quæ recentis sui, armis instructus prædicta omnia consequar. Insuperabilique manu uictor euadam. Mihi totus terrarum orbis obtemperabit, nec quisquam contra stabilimentum meæ religionis præualebit in æternum. Talia nempe illo asseuerante non hoc hominibus uniuersis, non naturæ, non toti cœlesti machine, sed soli deo diceres opus esse possibile. Cū ergo hæc omnia iam expleta cernamus, manifestū est id diuinę maiestatis tantū opus fuisse, hancque Christi fidē à solo deo esse constitutā. Nunquid em̄ magorū aut philosophorū quępiā aut Mahumetes aut alius regū potētissimus talia gessit? Aut aliqs deus gentium

gentium & nationum huic æquiparandus est: Huiusmodi quippe gesta à seculo non sunt audita. Erubescant itaq; & cõtundantur qui de Christo infideliter sentiunt. Neq; uero dici potest casu hæc euenisse. Cum & prophete & Sibyllæ multo ante hæc euentura prædixerint. Id quod antiqua ac fidelia & Iudæorum & gentium monumenta testantur. In quibus scribitur non solum hæc ab ipso deo ut futura reuelata fuisse, sed illa se deum omnino promississe facturum. Præterea sicut in naturalibus quædam causæ sunt necessariae, quædam ut in pluribus, quædam indifferentes. Ita & in ratiocinationibus per comparationem ad intellectum, quædam sunt necessaria cogentes penitus intellectum ad assentiendum, quæ demonstrationes uocantur. Quædam autẽ dialecticę probationes dicuntur, intellectũ non semper sed ut plurimum inclinantes, quibus tamen firmiter ille uinciri non potest. Quædam uero sunt ita debiles, ut uix tenuem assensum inducant. Quamuis ergo in rebus infinitis ut in Mathematicis innumere suppetant demõstrationes, in naturalibus tamen pauce inueniuntur. Sed in rebus eminentissimis, quin etiam in moralibus ferè nullæ demõstrationes habentur. Adẽ enim debile est nostrum lumen intellectus, ut proprias rerũ differẽtias ignoret. Philosophi enim accidẽtib; pro differẽtijs utuntur. Ideo etiam diffinitiones rerũ proprias ignorant. Cum ergo quod quid est, siue diffinitio demõstrationis sit mediũ, sequitur aut nullas aut paucissimas in naturalibus inueniri demõstrationes. Quare ualde difficile est hominis intellectũ in naturalibus & moralibus sciẽtijs stabilire, multoq; magis in Metaphysicis. Sed multo difficilius est intellectum simul conuertere, & affectum ad se trahere & à uitijs ad uirtutes immutare. Cum enim sensus spiritui ac rationi maxime aduersetur, operosum est ualde, ut intellectum sequatur affectus. Omnium uero difficillimũ est utrumq; concorditer adẽ terminare, ut bonorum operũ fructus inde proueniat, ad extremumq; ipsum usq; uitæ perseueret. In omni em̃ philosophorũ dogmate quot capita totidem uidemus opiniones. Eorumq; paucissimos id amare quod docent. Sed eorum ferè neminẽ bonis operibus incorruptũ uacasse usq; ad mortẽ. Quod si quis apud eos talis inueniatur pro miraculo habent. Si ergo philosophorum præcipui non ualuerunt hominis intellectum nisi in paucis sistere ad ea credenda, quæ ipsa ratio dicat, nobisq; sunt naturaliter inserta, ut deum esse, eumq; rerum humanarũ habere prouidentiam. Et bonum uirtutis esse retinendum, malum uero fugiendum, ac cætera generis eiusdem. Neq; etiam in paucis affectum cum intellectu in bene agendo ita conciliare potuerunt, ut ad extremum usq; non discreparint. Quanto minus hoc impetrare possent in his quę penitus rationem excedunt. At ipsi us Christi discipuli sola prædicatione intellectum simul & affectum infinitæ hominum multitudinis coarctarunt, & clauis quodammodo ferreis figentes ad ea credenda & diligenda compulere, ad quę non modo ipsa demon-

stratio,



stratio, sed nec aliqua humana ratio ullo modo peruenire potest. Ut terrena omnia tanquam uilissima propter regni cælorum promissionem reputauerint. Nullis defessi in bene agendo laboribus. Non blanditijs aut minis, non tormentis à proposito reuocati. Qua ergo uirtute piscatores ac literarum expertes hoc effecerunt. Non humana quidem, sed diuina. Natura enim inter mortales ultimum conatū in philosophis consummauit, nec tamen eam in illis uim peperisse deprehenditur. Certe si fides Christi esset plena mendacius, non potuissent piscatores tam mirabile opus efficere, neq; ipsa tam diu inter tot impugnantes persistere ac pollere. Item si Christus crucifixus et iusq; piscatores eo modo quo dictum est, ad amorem diuinum uniuersum terrarum orbem tam efficaciter illuxerunt id simplici sermone facere non potuerunt. Non enim simplicibus uerbis uiri præsertim graues ac sapientissimi acquiescunt. Certum est autem ipsos uerba sua miraculis confirmasse. Quæ tam multa stupendaq; fuerunt, ut naturalem uirtutem penitus supergressa, non nisi à deo fieri potuerint. Qui solus miraculorum est autor. Deus autem non mendacio sed ueritati testimonium perhibet. Christiana igitur fides, per quam ea facta sunt, mentiri non potest. Quod si quis miracula negauerit. Hoc certe est omnium miraculorum maximum. Ingentia, scilicet eaq; supra commemorauimus absq; miraculis per Christum pauperem & per rudes incultosq; piscatores eius discipulos fuisse confecta. Siue ergo miraculis Christus eiusq; discipuli fulxerint siue non, utiq; apparet in eius operibus infinita potentia omnem superans potentiam aliorum deorū. Quæ admodum autem inter causas ea prima est, quæ potentior extat. Ita inter deos eum dicimus uere deum. Qui cunctis eminentissima præstat potestate. Ut noster est triumphator inuictissimus Christus.

*A sapientia Christi fidem esse ueram.*

Cap. XIII.

**E**ius quoq; sapientiam iam ostēdamus nulli cessisse. Primum siquidem sapientia est ordinare, resq; ipsas bene disponere. In omnibus uero, quæ ad finem sunt dirigenda, sumere gubernationis regulam ex fine oportet. Tunc enim unumquodque recte disponitur, quando ad finem debitum ordinatur. Finis enim cuiusq; rei, est ipsius bonum. Vnde in artibus qui finem artis attendunt ad illumq; cætera coordinant sapientes in ea arte nuncupantur. Sicut in architectura non ij sapientes dicuntur, qui cementa, lapides reliquamq; materiam subministrant. Sed ille, qui ultimam cōpletur formam, sapiens habetur architectus. In artificialibus autem cum particularibus tantum fines, non ultimus humanæ uitæ considerentur, non poterit quispiã absolute sapiens, sed secundū quid nominari. Qui ergo supremū & cōsummatum humanæ uitæ finem penitus obseruat, omniaq; oportuna media suasque ad illum operationes disponit, iure sapiens simpliciter dicendus erit. Sed Iesus Nazarenus suis cum discipulis atque cultoribus solus

uerum

uerum humanæ uitæ finem ueraq; media ostendens efficaciter docuit perfe-  
 ctæq; adimpleuit, ita ut nullus finis melior nec perfectior christiana uita inue-  
 niri aut excogitari possit. Patet ergo quod nec inter deos, si tamen dii sunt  
 alij, nec inter homines quisquam sapientior unquam inuentus sit, aut inueni-  
 ri possit. Signum insuper scientis est docere posse. Cum enim quis ad perfe-  
 ctionem scientiæ peruenerit, facile potest alios erudire. Quemadmodum  
 cum quis ad perfectam ætatem peruenerit potest filios generare. Sed nul-  
 lus alius deus uel homo à seculo inuentus est, qui tam proficuâ sapientiâ quâ  
 christiana est, mortalibus attulerit, quiq; simul eam tam facile docuerit. Phi-  
 losophorum nanque doctrina obscura est & longo uix tempore perceptibi-  
 lis, multis quoque erroribus difficultatibusq; perplexa. Quibus uel ipsi præ-  
 ceptores incerti plerunq; anxijq; torquentur. Sicut de diuina prouidentia &  
 de humanæ uitæ fine superius dictum est. At postquam sapientissimus mar-  
 gister & saluator noster Christus ipse comparuit, non multo temporis in-  
 teruallo uniuersus mundus de prouidentia & bonitate dei, de animæ immor-  
 talitate de fine ac beatitudine hominis, de medijs ad eam perueniendi, de cõ-  
 pluribus deniq; alijs documentis aded fuit illustratus, ut etiam in puerili &  
 imbecilla utriusq; sexus ætate christiani clarius hæc intelligant, quam præcla-  
 ri philosophi indefesso studio cognouerint. In hacq; doctrina ita immobiles  
 fiunt atq; cõstantes, ut mille ad mortem usq; supplicia perpeti malint, quam  
 minimum iota doctrinæ Christi impie denegare. Præterea agētis uirtus tan-  
 to maior apparet quanto ad remotiora se extendit & citius operatur. Quo  
 itaq; potentior fuerit sapientia eo magis ac uelocius ad insipientes immutan-  
 dos sanandosq; ualebit. Non enim maxime est uirtutis aut industriæ opus sa-  
 pientes efficere homines docili ac utiq; ingenio præditos atq; ita à natura i-  
 psa dispositos. At stultos paruulos, hebetes quin & mulierculas peccato-  
 resq; grauissimos ac flagitiosissimos homines meretricesq; subito ad sapien-  
 tiam & ad uitæ rectitudinem cõuertere, humanas uires excedit. At Iesus no-  
 ster non minus ex prædictis omnibus innumeros quam ex prudentibus &  
 acutissimis uiris repente soloque ferè nutu mira quadam cordis compun-  
 ctione mutauit, & quotidie ab huiusmodi non cessat effectu. Quod non ali-  
 us deorum unquã hominũque effecit. Christi ergo sapientia & doctrina  
 cunctis est præferenda. Cum natura item sit ad unum determinata, non ma-  
 gnæ uirtutis est in rebus naturalibus per ipsius naturæ media aliquid effice-  
 re, ut si spiritalis quapiam creatura semine ignis admoto illius admiculo  
 domũ statim succendat, quod in ipsa est hominis facultate, non arduum rei  
 putaretur. At si per contrarias causas, ut puta ex glaciali aqua igne eliciat,  
 ex eaque incendium nutriat, id admirabile sanè opus magnæque uirtutis  
 existimaretur. Signum ergo summæ & infinitæ uirtutis est absq; ullo natura-  
 li instrumento posse omnia naturalia operari. Et iterũ quolibet instrumento  
 posse

posse quæcunq; libuerit uel etiã illi contraria pariter educere. Docere itaq; per debita & naturalia media sapientiam, quẽadmodum philosophi docuerunt, iuxta solitũ intellectus humani captum haud eximium admirãdumq; est. Sed per stultitiam mundi, id est, per ea quæ apud homines stultissima existimantur, tradere summam & ineffabilem sapientiam, & stultissima mundi convertere in diuinæ sapientiæ instrumenta, maximamq; in eis sapientiam collocare, difficillimum sanè opus & diuinum tantummodo iudicandum. Quod si crucis horror & obprobrium una cum subsannationibus, sputis, alapis, uerberibus & tormentis, quæ moriens passus est Christus, considerentur: Nihil hac cruce magis tetrum aut stultum antequam Christus crucifigeretur, poterat inueniri, per ipsam uero Christus orbi terrarum maximã contulit & indidit sapientiam. Ut omnis christiana professio docet, & experientia quotidiana testatur. Ergo præcipua & diuina est in Christo sapientia in alio nunquam reperta nec audita. Item cum sapientia sit diuinarum rerum, illa profecto sapientia omnibus præstat, quæ supra cæteras de diuinis rebus homines instruit. Sed nulla id magis peregit, quam sapientia Christi. Ergo ipsa cæteris est præstantior. Quod autem ita sit apparet ex scriptis ante Christum & extra eius doctrinam editis. Quæ si christianorum libris monumentisq; comparentur, pauca à philosophis dices & ab alijs autoribus esse tradita. Quin imò ad agendã perficiendamq; philosophiã plurimũ cõtulit doctrina christiana. Quæ rerum diuinarum peritiam adeò circunquaq; diffudit, ut ferè nunc omnes Christum profitentes ea sciant ac doceant, quæ ante illius aduentum uix à philosophis percipiebantur. Deinceps autẽ postquæ Apostolorum præconia suis detectis erroribus non secus erubuerunt homines, ac sese purgare contenderunt, quam si nocte in stercore cœnõque uersati, superinfusa mox luce, immunditia illa inspecta pudore ac cõfusione correpti eam abstergere curassent. Nam & philosophi & poëtæ quidã idolorum suorum cultum & aniles fabulas ac turpia diliramenta erubescerent superinducta luce Christi (ad quam tamen præ nimio fulgore caligauerunt) conati sunt mendacium fulcire mēdacio allegoricos sensus comminiscerent. Cum uiderent se aliter deorum suorum turpitudinem ac pleraq; flagitiosissima, ipsis quoq; hominibus nefaria celare & honestare nõ posse. Ad sapientem præter ea pertinet non modo facilia sed difficilia quoq; cognoscere, eaque docere posse, ab aduersarijsq; defendere. De rebus uero diuinis difficiliora nemo proposuit, faciliusq; unquam quam Christus ipse perdocuit. Nec paucos tantum discipulos, sed uniuersum terræ orbem instruxit. Ab infinitis quoq; oppugnatoribus ita facile eadem christiani defendunt, ut quisquis eorum rationes librosq; legerit, hanc unam perennem & incomperabilem sapientiam esse dubitare ullo modo non possit. Neq; uero contra eam syllogisticis modo contentionibus, sed improprijs, minis, gladiõque ad necem

ad necem usq; acerbissime pugnatum fuit. Cum ea tamen inuicta de his omnibus triumpharit: Profecto si aduersus philosophos, principes, ac tyranni, quem admodum contra christianos rationibus tormentisq; certassent, illos existimo fuisse uel prima apud se principia negaturos. Christus autem uel ea ipsa proponens, quæ ratione naturali inuestigari non possunt, illa tamen & ab ipso gladio & ab omni deorum ac philosophorum sapientia iniuriaq; defendens, solido in perpetuum robore confirmauit. Item aut fides est uera aut commentitia. Si uera bene conuenimus. Si commentitiam dixeris. Non minus probo Christum fuisse omnium sagacissimum & sapientissimum. Qui tam difficilia & ardua exquisiuit, eaq; mortalibus ita persuasit, ut nulla uel diuina uel humana ratione aut potestate infringi destruiq; potuerint. Christiani namq; doctores ipsi etiam philosophiæ scientiam profitentur. Et ea quæ docuit Christus, quanquam supra rationem sunt, philosophiæ tamen non repugnare, quin potius scientias omnes seruire eis ostendunt. Nec quemadmodum quidam rudes ac superstitiosi philosophiam aut aliquam ueram scientiam rejiciunt uel contemnunt. Sed omnia quæ bene dicta sunt, in ius suum tanquam ab iniustis possessoribus sibi uendicant. Aut quis adeo uel sapiens uel astutus inueniri posset, qui ulla figmenta seu mendacia aduersus omnes tam multorum sapientum rationes tueretur & cuilibet philosophiæ consona esse monstraret: Profecto uerum uero consonat, & falso omnia dissonat. Si ergo philosophi difficulter uerum ab aduersarijs illæsum seruare ac protegere potuerunt, quanto minus falsum uiribus proprijs infirmum à uiolenta & calida impugnatione defendent: Itaq;posito, fidem hanc esse commentitiam, necesse est concludere Christum omnium sagacissimum sapientissimumq; fuisse. Qui per inuestigabilia atq; ardua documenta homines ad se alliciens traxerit, et sacro quodam spiramine impulerit ad bene beateq; uiuendum. Sed cum pugnanti inuicem simul stare nequeant, ut scilicet falsa cum uera philosophia concordent, ac per ea homines ad rectam uitæ normam dirigantur, oportet utiq; eius fidem atq; doctrinam ueram asserere. Ipsumq; Christum cunctorum esse deorum hominumq; sapientissimum confiteri. Hinc uiri scientiarum omnium peritia mirifice pollentes uitæq; sanctimonia probatissimi doctrinam Christi ut summam sapientiam amplexati suis eam præconijs, scriptis & operibus extulerunt, amplificarunt ac sanguinis testimonio confirmarunt. Qui nisi illam hominibus à deo traditam certissime cognouissent, tot profecto labores, ætus & agones pro illa tuenda minime tolerassent. Maxime item sapientis uirtus apparet: Quædo ad finem & ultimam perfectionem omnium scientiarum suos discipulos per quæ breui uia perducit. Sed solus hoc efficit Christus. Omnis enim scientia uel rationalis est uel realis. Rationalis quidem est Logica, Rhetorica, Poësis. Quæ circa ens rationis uersantur. Earumq; finis est per diuersas rationes & exhortatio

nes hominis intellectum ad assentiendum propositis astringere. Ad id uero super omnes Christus ipse suos perduxit sine difficultate discipulos. Quod ex hoc uel maxime apparet. Piscatores enim antea rudes & imperiti aliq̄ innumeri idiotæ accepta illius doctrina uniuersum efficaci persuasione orbem immutarunt. Quod nulla armorum uis, nec reliquus totius sapientiae conatus, si quis recte consideret, assequi potuisset. Realis autē scientia in practica speculatiuaq̄ diuiditur. Practica ipsa moralis est. Quam tanta facilitate ac celeritate disciplina Christi exactissime docet, ut à philosophis, sicut ante prædiximus, nihil desiderari oporteat. Si autem fuerit scientia speculatiua. Aut abstrahit prorsus à materia tam sensibili quam intelligibili. Eaq̄ est scientia diuina, in qua Christus omnes tantopere superauit, ut ad eum nulla sit cōparatio, nedum ille super omnes obtineat principatum. Aut à materia sensibili, non ab intelligibili abstrahit. Et hæc est Mathematica. Quæ solam considerat formam, neq̄ bonum finemq̄ respicit, ut philosophi dicunt. Propterea doctrina Christi usq̄ quaq̄ bono atq̄ fini intenta huic non multum studij impertitur. Quia ad salutem non pertinet. Siquid tamen utilitatis ad bene beatēq̄ uiuendum ex ea colligi potest, hoc totum doctrina Christi sibi uendicauit. In scriptura etenim sacra numeri & figuræ ad bonos mores & ad diuina aptissime ordinantur. Ad eum ut neq̄ in minimis philosophorum disciplinis aliquid utile aut desiderandum relinquatur. Aut non abstrahit à materia intelligibili nec sensibili. Et hæc est philosophia naturalis, ad cuius ultimum finem cum summa uoluptate diuersimode ac facile doctrina nos christiana perducit. Cognitio enim rerum naturalium in se non est finis supremus, ad quem per ipsas res naturales ire contēdimus. Sed per hæc corporea ad inuisibilem cognitionem peruenire desideramus. Quod quidem copiose atq̄ iucunde subministrat doctrina christiana. Quæ in omnibus ferè naturalibus rebus tanquam in speculis inuisibilia dei pulcherrime ac mirabiliter effingit. Iesus ergo fuit omnium sapientissimus. Qui ad finem consummationemq̄ scientiarum omnium totum terræ orbem facillime perduxit. Delectationes demiq̄ intellectus per se delectationes ipsas sensus excedunt. Quæ uero ad intellectum pertinent potissimum consistunt in cognitione primæ ueritatis, ex cuius perfectiori conceptu maior prouenit delectatio. Vbi ergo maior est sapientia maior primæ ueritatis inest cognitio ac delectatio. Signum itaq̄ maxime sapientiæ Christi est summa, quam habent christiani in eius contemplatione delectatio. Qua nulla maior hactenus est inuenta. Innumeri enim fuerunt quemadmodū etiam nunc uidemus, qui propter primæ ueritatis contemplationem in doctrina Christi existentem spretis omnibus seculi uoluptatibus ac blandimentis, sese ad deserta loca contulerunt. Quodq̄ maximum est, in ea contemplatione ad eum profecerunt, ut semideos non homines, imò angelos in terra putares. Quia extra

carnem

carnem positi nil terreni non dicam appetunt, sed ne eius quidem inspectio-  
nem dignantur, sibi quæ ipsis, tanquam dii sint angelicæ, sufficiunt. Ex quibus  
cunctis apparet doctrinam Christi esse maximam. Ipsum quæ Iesum Christum  
esse ueram æterni patris sapientiam, quæ sola tot ac tanta potuit efficere.

*A bonitate Christi fidem esse ueram.*

*Caput XV.*

**O**stendimus Iesum Nazarenum potentia & sapientia cunctos homi-  
nes omnesque gentium deos ad eum superasse, ut si quis credatur esse  
deus, præter ipsum alius existimari non possit. Reliquum est ut ex  
eius bonitate hoc idem ostendamus. Probantes ipsum esse summum bonum,  
& ultimum humanæ uitæ finem. Vbi primum aduertere oportet omnes ac-  
tiones humanas esse propter aliquem finem. Operationes enim hominis  
prout humanæ, ab ipsa hominis uoluntate liberoque arbitrio, quo à brutis dis-  
fert, sine dubio proficiuntur. Obiectum autem uoluntatis est bonum &  
finis. Cum igitur in finibus non sit processus in infinitum (alioquin cuiuslibet  
appetitus motio cessaret) oportet aliquem esse hominis ultimum finem, im-  
possibile uero est duos per se alicuius rei esse ultimos fines, cum extra finem  
ultimum nil appetatur. Ultimus siquidem finis dicitur esse aliquid ad eum im-  
plens appetitum ut nihil extra se uel quod ad ipsum non ordinetur appeten-  
dum relinquat. Omnium itaque hominum est unus ultimus finis. Scire tamen  
oportet non omnes homines in ultimo fine materialiter cõuenire, quamuis  
omnes in eo formaliter cõcordes semper existant. Ratio quippe ultimi finis  
humanæ speciei est felicitas. Omnes enim homines cupiunt esse felices. Non  
omnes tamen felicitatem in eadem re esse arbitrantur. Cum autem iam su-  
perius probatum fuerit ultimum humanæ uitæ finem primam esse ueritatem pri-  
mamque causam, id est, deum. Si demonstrauerimus Iesum esse hunc ultimum  
finem, liquido constabit ipsum esse primam ueritatem, primamque causam,  
ac deum uerum summumque bonum, cui ratio ultimi finis uerissime compe-  
tit. Quod ut clarius intelligatur considerandum est, quod quando aliqua  
natura ad aliquid tanquam ad ultimum finem ordinatur, per admixtionem  
alterius nature distrahentis impediri potest, ne ad id omnino moueatur, aut  
ne ad eum uehementer in illud tendat. Vt puta graue deorsum naturaliter ten-  
dit, & omnia grauia secundum suæ grauitatis formam tendunt ad centrum.  
Auis tamen sursum euolat. Quia non solum grauitatis, uerum etiam anima-  
lis formam habet. Motu ergo animali suspendente uel impediante grauita-  
tem fertur in altum. Similiter si insensibile mixtum habeat multum aëris &  
ignis terræ connexum, ima haud uelociter petet. Si autem aliquid graue pu-  
rum inueniatur, absque repugnantia formæ semper, nisi uiolentia insit, agetur  
deorsum. Et quanto id fuerit in sua natura purius tanto uehementius ibit ad  
centrum. Quia igitur homo duplici constat natura, uidelicet spiritali atque  
corporea seu sensibili, quauis intellectus & uoluntas naturali motu in deum

tendant, tamen ex permixtione partis sensibilis propter necessaria ad usum illius organa possessionibus perturbatur, & frequētius ad aliud trahitur quā quod natura deposcit. Et quāuis uolenter cogi nequeat, tamen uel per errorem uel per appetentiam nimiam grauiter affectus & male informatus intellectus uoluntatem pertrahit ad ea, quæ inordinata sunt, appetenda. Si igitur uoluerimus adinuenire in quo ratio finis hominis ueræ constituta est, ex motu & uehementia eius amoris flagrantisq; desiderij inuestigare necesse est. Cum autem natura sensibili rationaliq; constet, non eorum desideria inspiciere debemus, qui more pecudum uiuunt: Sed eorum duntaxat, qui ratione utuntur & uere homines sunt. Nam si experimentum grauitatis, quod uidelicet tendat graue, scire uoluerō: Non utique id cognoscere poterō ex auium uolatu: Sed ex eorum motu, quæ mere grauia sunt. At uero superius probauimus nullam in terris purgatorem uitam dari christiana, nullōsque homines magis secundum rationem uiuere quam christianos. Ex eorum ergo amore & desiderio, qui uere & proprie homines sunt, potius quam aliorum in cognitionem ultimi finis possumus peruenire. Sed omnes christiani recte uiuentes uehementissimo amore pariq; concordia tendunt in Christum crucifixum tanquam in supremum finem. Cuius gratia cætera ut seculi dida purgamenta contemnunt. Idcirco hic est finis ille & uerus deus ac summum bonum. Præterea ultimus finis est hominis plena perfectio, ideoq; quāto quis fit illi propinquior, magis perficitur, quātoq; magis perficitur, fit eidem magis proximus. Quia nil aliud est perfici, quam suo ultimo fini appropinquare: Sed nulla res unquam inuenta est, propter cuius appropinquationem per intellectum & affectum humana natura tantum in uita profecerit, tantam uē assecuta sit perfectionē, ut in appropinquatione Iesu Christi crucifixi per intellectum & affectum. (De huiusmodi namq; appropinquatione, non de illa, quæ corporalis est, loquimur) adeoq; quāto magis fit illi uicinior, tanto ipsum uehementius diligit, utq; superius demonstratum est, in moribus perficitur. Planē igitur constat ipsum Christum esse ultimum humanæ uitæ finem. Ad hæc ipsius finis desiderium est omnium maxime naturale, ideoq; immobiliter unumquodq; ultimo fini adhæret. Sicut enim in speculatiuis prima principia sese habent, ita & in actiuis ultimus finis. Vnde igitur prima principia sunt nobis naturaliter inserta, ita est desiderium ultimi finis, immobileq; idcirco persistit. Signum ergo est hominem tunc uere ad ultimum finem peruenisse: Quādo alicui rei secundum rationem à uitæ purgatam ad eō firmiter insistit, ut cætera illi uni post habeat, eamq; ne delectat malit uita priuari. Quāuis ergo alij sibi alios constituerint fines, nunquam tamen aut perquam raro uidimus christianis exceptis qui uita maluerit quam suo quisque sine destitui. Cæteri enim pro uitæ conseruatione extrema omnia patiuntur, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua.

Christiani

Christiani uero non solum æquanimiter sed libenter quoque propter Christum & propria hilariter deserunt, uitamque pro nihilo habendam putant. Quod si Christus non sit summum bonum, sapientissimi certe uiri uitam salutem, quæ preciosissima est, pro tanto errore, quo nullus maior inueniri posset non commutarent. Item cum ea quæ sub eadem specie continentur, ad unum eandemque finem ordinentur, in eoque uniantur, uelut omnia grauiatendunt ad centrum, manifestissimum est argumentum, Iesum crucifixum, esse ultimum hominis finem, quod nihil unquam repertum est, in quo hominum cœtus, ut in domino Iesu tam firmo uinculo necteretur. Nam qui in eum credunt, non secus inuicem copulantur atque conueniunt, quam singulæ terræ partes ad centrum in unum globum congeriemque redactæ. Eoque modo christiani omnes ad Christum tendentes efficiuntur cor unum & anima una in eo. Quin in fide magis proficientes maiori delectationis & charitatis ardore se mutuo complectuntur. Quod si Christus purus homo fuisset, ac perinde fides clandestinum impiumque figmentum, nequaquam in tot milibus diuersæ conditionis ac generis hominum talem fortiretur effectum. Quia ex falsis aggregata facile disgregatur. Nec possent innumeri homines falso fundamento, amicitia copulam stabilire. Eandemque augere errore crescente.

Item spirituales oblectationes, quanto ultimo fini mentis nostræ acies magis propinquat, tanto sunt maiores, & tunc sunt maxime perfecte, cum ipsam finem illa magis attingit, si homo itaque finem imperfecte attingens modo aliquid delectatur, tanto amplius delectabitur cum finem perfectius obtinebit. Sed delectatio, quæ de Christo fideles percipiunt, omnia tam sensus quam intellectus oblectamenta superat. Quod ex tribus potissimum apparet. Primo ex incomparabili martyrum constantia, quorum innumeros legimus ad supplicia tanquam ad nuptias gaudentes atque hilares conuolasse, atque in meritis cruciatibus exultantes uelut in delitijs positos psalmos deo decantasse. Quod fieri profecto non potuisset, nisi immensæ delectationis excessus quasi in ipso Christo consopito omni corporis sensu ab omni eos dolore terroreque defendisset, quod quidem in nulla alia delectatione conceditur. Vehemens enim dolor (ut experientia docet) hominem perturbat. Eumque omni subtracta uoluptate extra se ponit. Secundo ex infinitis monachorum exemplis qui relictis mundi blanditijs in solitudine & cauernis errantes tanquam ferarum socij in abstinentia, ieiunio & corporis maceratione egeni nudique in summo tamen gaudio ob maximam diuinorum contemplationem iocunditatemque uiuunt. Eorumque adhuc uestigia supersunt. Modo enim (ut iam diximus) religiosorum plurimi gratuita seruituti perpetuisque clausuris ultro mancipati sub arctissima obedientia tanquam liberi sub gratia constituti periuicundæ & syncerissime uiuunt. Tertio ex sapientissimis uiris omnium scientiarum eruditione refertis. Qui degustato sacro scripturarum fonte ac deli-



bata Christi dulcedine omnes alias scientias reliquerunt, illius tantum doctrina delectati, cui tanquam inseparabiles firmiter adhaeserunt, quamlibet aliam seu Philosophorum seu Rhetorum insipidam sapientiam ac eloquentiam deputantes. Quod & ego hac tempestate sum expertus, multosque id fecisse cognovi. Ex his itaque appareret oblectationes, quae ex fide ac contemplatione Christi crucifixi procedunt, omnes alias longe praestare. Oportet ergo dicere eas ab universali summoque bono provenire, praesertim quia quanto fide & amore ad Christum propius accedimus, tanto huiusmodi delectationes amplius augentur.

Denique ut una ratione omnes ultimi finis proprietates coniungentes breviter argumentemur. Omnia eiusdem speciei individua ad eundem (ut dictum est) finem ultimum ordinantur, omnesque homines in ultimi finis ratione conveniunt. Sed non in eo, in quo talis ratio invenitur. Hoc enim est quod quaeritur. Cum itaque hominis beatitudo in intellectu actu consistat, profecto rem illam esse dicemus, cui ratio ultimi finis vere competit, in qua omnes conveniunt ratione utentes & corde purgatiores. Ad eamque uniformiter moventur & idem immobiliter inhaerent. Quamquam supra se ipsos diligentes ipsi propterea in ea mirifice delectantur, vitamque integritatem ac superni claritatem luminis haurientes in divinumque amorem transformati idem penitus omnes efficiuntur, ac quodammodo extra mundum positi terrena omnia ut stercorea arbitantes caelesti munere congaudent, ac pace demum maxima perfruuntur. Sed haec omnia, quae ipsius summi boni sunt conditiones, nunquam nisi in Christo crucifixo aequae ut in deo inuenta sunt. Is ergo est summum bonum. Sed quid in his, quae per se manifesta sunt, diutius immoramur? Cum enim bonum sit sui ipsius diffusivum, summum bonum maxime se ipsum diffundit. Maior autem boni communicatio & amplificatio, quam quae a Iesu Christo provenit, non invenitur. Quandoquidem post Christi adventum pervulgatamque eius fidem universus terrarum orbis a profunda errorum peccatorumque caligine purgatus est, omnique virtute vitamque sanctimoniam refertus. Totque inde fidelibus bona concessa sunt, ut felices ac beati in terris vivere existimentur. Nam si qua beatitudo in terris haberi potest. Solis competit christianis id quod & in compendio de simplicitate christianae vitae probauimus. Bonitatis in super domini nostri Iesu Christi exuberantia incomparabilis illius clementia & misericordia declarat. Quia ob nullam peccatorum & scelerum gravitatem veniam poenitentibus subtrahit, aut differt. Sed plerumque ad se reuersis maiora dehinc dona impertiri non desinit. Atque ipsa compertum nobis est, quotienscumque quis ab eo recesserit, eum statim dulcedine vitamque rectitudine priuatum terrenis sordibus mergi curisque torqueri. Cum autem resipuerit, mox ad pristinum recreationis & quietis reuertitur statum, quasi in explebili febrilis ardoris siti curatus.

A Christi

*A Christi potentia, sapientia & bonitate simul fidem esse ueram. Cap. XVI.*

**V**T autem superius dicta de Christi potentia, sapientia & bonitate, quo facilius intelligantur, quasi quodam epilogo perstringamus. Dicimus, si Christus non sit deus, ut sese fecit, eum omnium hominum superbissimum pariter stolidissimumque fuisse. Quod si non ipse hoc de se dixit. Sed eius discipulorum fallacia fuit, hominumque commentum (ut delirantes quidam ferunt) quomodo ex fallaci praestigiosoque mendacio tanta potentia, sapientia & bonitas prodire potuit, ut nulla maior excogitari queat. Nam si hic non sit deus, nescio quis alius uideatur. Quod si deus haec inferi ora per congrua media regit atque conseruat, cum nullum medium Christo perfectius ad bene beatumque uiuendum esse probauerimus: Non uideo quomodo effugere ualeamus, quin aut fateamur Christum esse uerum beatitudinis nostrae medium diuinitus generi humano concessum: Aut diuinam prouidentiam uel iustitiam inficiemur. Aut omnia a casu uel a fato esse credamus. Deumque omnino repudiamus. Quae omnia praeter **primum** necessario admittendum, stultissima sunt. Siqua praeterea est in mundo uera religio, ut iam pro concesso ualidis recepimus argumentis. Quis neget tot & talibus inspectis hanc religionem esse christianam? Nulla siquidem tot efficacissimis rationibus fulta est. Quod si haec uera non sit, omnis profecto religio auferatur oportet. Item scimus nullam religionem sicut christianam acerrime fuisse perpetuis temporibus impugnatam. Caeterae enim religiones uel fraudulentae potius superstitiones ea qua inductae fuerant uanitate, nulla quodammodo ui nulloque labore defecerunt. Haec autem uelut aurum purissimum continuis purgata flammis fulgentior ac maior euasit. Quod certe stare non posset, si qua alia uera aut haec falsa esset. Ad haec manifestum est christianam religionem ab hominibus probis ac iustis nihil unquam persecutionis aut molestiae pertulisse: Quin ab illis potius summa in ueneratione cultaque fuisse habitam. Cum flagitiosis autem impijs & sacrilegis eumque eorum patre diabolo continuum atque insatiabile semper sibi fuisse ac esse certamen. Et quotquot eam uel Christi ministros persecuti sunt, eiusmodi nequissime fortis (uti nunc etiam cernitur) extiterunt. Quod aliarum nulli conuenit religioni. Cur itaque scelestos potius quam probos homines imitemur? Nulla insuper alia est inuenta religio ad quam tot homines haecenus sint hac conditione conuersi & quotidie accedant, scientes scilicet se non ad diuitias, non ad honores, neque ad uoluptates, quibus in ipso sacri fontis lauacro renuntiuros se obligant: Sed ad tentationes, abstinentiam, parsimoniam, impropria, & si oporteat, ad extrema omnia toleranda uocari. Talibus igitur promissis & obligationibus nemo quidem sanè mentis alliceretur, quemadmodum infinita uirorum milia perspeximus, nisi euidētissimae ueritatis lumen mortalium corda penetraret.

His itaq; & huiusmodi rationibus credere cogitur intellectus, admirabilem Christi fidem ueram esse. Si enim unum argumētum aut duo & tria uel pauca homines assentiri non cogunt, simul tamen omnia collecta, si recte & sincere considerentur, non inualidiora erunt quam Mathematicę demonstrationes, uel quam id esset, si reuocatio defuncti ad uitam pro confirmatione adduceretur. Propterea si christiana religio uera est, omnes alias explodi oportet, ipsa ubiq; attestante neminem extra fidem hanc saluari posse. Quod quidem rationabile est. Quia cum salus nostra cōsistat in uisione dei, ad quam sine supercœlesti dono nemo ualet peruenire ( ut superius dictum est ) non potest aliquis eam consequi absq; fide. Dicente scriptura: sine fide impossibile est placere deo. Nec superest iustę querelę aut excusationis locus ijs, qui in peregrinis & ab hoc cultu alienis partibus nascuntur. Quoniã si quis duce naturali lumine rationis, quod nulli deest, ad communem omnium parentem & opificem sese in creaturarum ordine ubiq; demonstrantem & nulli rei in necessarijs deficientem recta intentione & puro corde conuerterit, ueritatisq; ostensionē implorauerit ( ut in principio huius operis iuxta catholicam assertionem tetigimus ) suo non fraudabitur uoto. Sed aut per internam inspirationem, ut Iob. Siue per angelos ut Cornelius Centurio, aut per Apostolicum uirum, ut per Philippum Eunuchus, necessarium ad salutem lumen impetrabit.

## HIERONYMI SAVONAROLÆ FERRARIENSIS DE

ordine procedendi, Liber III.

### PROOEMIUM



**V**ERITATEM fidei religionisq; christianę tam ex præteritis quam ex præsentibus ecclesię orthodoxę effectibus aperte demonstrauimus. Verum quia non satis est nostra construere, nisi ea quoq; à destruentibus defendamus. Reliquum est, ut fidei aduersarijs occurramus. Ostendētes religionem nostram nihil impossibile, nihil irrationabile continere. Quãuis enim supra rationem multa credat, quę potentię dei non disconueniūt, nihil tamē contra rationem ipsam confitetur. Quin imò & si ingenij mortalis uires ea lōge excedunt habent tamen & rationis plurimū & probabilitatis. Vt autem in nostri operis processu ordinem seruemus, primum de articulis fidei loquēmur. Hi enim sunt nostrę religionis fundamenta. Deinde moralium præceptorum seriem rationemque reddemus. Tertio iudicialium, id est, legum quibus in iudicando nostra utitur religio, rationem demonstrabimus. Ultimo

Ultimo ceremoniarum mysteria aperte interpretabimur. Hæc enim sunt, quæ uniuersam christianorum doctrinam totumq; regimen complectuntur.

Et quamuis excellētissimi uiri doctores nostri de his omnibus eleganter, copiose plenissimeq; tractauerint, non tamen cuipiā superfluus uideri. Tertius hic liber noster debet, tum quia præcedentibus iure copulandus uidetur, ut præsentis operis sit omni ex parte absoluta doctrina, ne quid truncatum aut intactum pro uiribus relinquamus. Tum quia ea, quæ præceptores nostri passim longioribusq; sermonibus & mira subtilitate disseruerunt, nos ad breue compendium facilioremq; intellectum omnia redigentes, in hoc libello commode colligemus. Ut non solum omnino peritis christianis, sed ad breue compendium facilioremq; intellectum omnia redigentes, in hoc libello commode colligemus. Ut non solum omnino peritis christianis, sed uel mediocriter literatis & ipsis infidelibus breuem lectionem non aspernātibus hac facilitate obsequamur.

*In deo esse infinita. Deumq; infinita facere posse quæ humani intellectus captum excedant.*

Cap. I.

**I**N deo plurima esse & infinita, quæ intellectus nostri uim captumq; profus excedant, facile ex ipsius intellectus imbecillitate cognoscere possumus. Quantū em se cuiusq; uirtus extēdat, in ultimo suo conatu demonstratur. Supremū igitur intellectus nostri uirtutis experimentū in excellentissimis philosophis cognoscere possumus. In his enim fatentur homines naturam ultimum conatum fecisse. Certum est autem (ut ipsimet ingenue fatentur) per exiguam & ualde incertam laboriosamque rerum naturalium cognitionem eos habuisse. Si ergo tota (ut ita dixerim) naturæ humanæ uis ubi plurimum conata est ad cognitionem harum rerum domesticarum perfecte prouehi non potuit, quanto minus ad essentiæ cœlestis cognitionem perueniet. Multo uero etiā minus ad angelorum proprietates. Minime autem omnium ad eius cognitionem perueniet, qui est infinita distantia super omnia eleuatus. Præterea si in eadem hominum specie multos uidemus ita obtuso ingenio, ut nulla arte, studio aut labore possint ad ea capessenda disponi, quæ à summis philosophis cognoscuntur, magis existimandum est angelicos intellectus, qui in longe dissimili & nobiliori specie sunt plurima cognoscere, ad quæ nullo modo uires ingenij nostri se extendere possunt. Quid autem de intellectu diuino dicendum: qui extra omnem speciem extrahitq; omne genus etiam supremas intelligentias inaccessibili luce superat infinitum. Quamuis enim causæ per effectus cognoscantur. Quando tamen causæ ipsæ suis effectibus eminentissime præstant, perfecta causæ cognitio per illos haberi non potest. Cum igitur deus sit prima omnium causa, suos effectus omnes in immensum excedens, quos etiam imperfecte cognoscimus, manifestum est de ipso deo ualde modicā et ferè nullam uirtute luminis naturalis nos habere scientiā. Deum quoq; plura posse ac maiora efficere quā nos intelligere ualeamus, non est demonstratu difficile. Cognitio siquidē nostra

nostra incipit à sensu. Quæ tantum proficit quantū potest per hec sensibilia eleuari. Adeo enim ordini naturalium rerum necessario est alligata, ut extra eum ordinem speculari nil queat. Quicquid enim intellectus noster cogitat, per phantasmata naturalium rerum imaginatur. Oportet namq̃ intelligentem phantasmata speculari. Deus autem cum sit actus purus & esse infinitū, extra omnem ordinē illum esse dubitari non potest. Cum uero unū quodq̃ agat, prout est in actu: Dicere oportet in deo esse potentiam infinitam nulli ordini quamuis excellentissimo alligatam. Stultum igitur esset asserere nil deum posse, quod nos capere nequeamus. Præsertim cum idem in ordine uniuersi plurima & penè infinita efficiat nobis inscrutabilia. Ut saltem illa sunt, quæ in rebus non materialibus efficiuntur. Conuenienter tamen diuina bonitas multa diuinorum archanorum, ad quæ non attingit humana ratio, manifestauit hominibus, ac plura etiam fecit supra rerum naturalium ordinem ut homo, qui ad supercœlestem finem erat ordinatus ad ipsum sciret ac posset peruenire. Ex reuelatione enim diuinorum supernaturalium ipsum finem & media ad eum facientia intellexit. Ex hisq̃ amplius suam infirmitatem debilitatēq̃ cognouit: Diuine maiestatis abyssum consideras. In cuius reuelationis aut enarrationis uel minimā partem ne procul quidem interpositaq̃ caligine contemplationis figat aciem, nedum comprehendere eam non possit. Quo fit ut procliuiori humilitate ac reuerentia deum colat, quanto magis cum super omnia eminentissimū didicit admirari. In quo maiorem illius cognitionem amplioresq̃ delectationes hausit ex his, quæ multifariam multisq̃ modis ipsius infinita bonitas hominibus communicare dignata est. Irridenda idcirco aut reijcienda non sunt quæ christiana religio credenda proponit, quia uidelicet intellectus ea capere nequeat. Sed irridendi magis explodendiq̃ sunt, qui hac unica cæcitate suæ ratione à fide catholica insipienter recedunt. Legant prius, & intelligendi non impugnandi studio nostra reuoluant. Tunc enim cognoscent nil impossibile, nil sine ratione à nobis esse prolatum. Sed ut quæ diximus manifestius apparent, iam iam ad particularia descendamus.

*Quæ supra hominis intellectum christiana credit religio.*

Caput

II.

**C**REDIBILIVM ergo quædam ad diuinitatem Christi pertinent. Quædam ad eius humanitatem. Eorum uero, quæ circa diuinitatem uersantur, primum est de unitate. Confitemur namque unum esse deum, nec plures admittimus deos. Et hoc est primum nostræ doctrinæ principium omnibus ex præcepto credendum: A doctis uero non solum creditum, sed etiam ratione cogente scitum, ut in primo huius operis libro satis est dictum. Secundus autem articulus est de unitate trinitatis. Hi que duo articuli seu duo principia ad diuinitatis pertinent essentiam.

essentiam. Alij uero spectat ad propria diuinitatis opera soli deo competentia. Quorum primum pertinet ad ipsum esse naturæ. Quia asserimus deum omnia creasse, id est, ex nihilo ea fecisse. Secundum respicit esse supercælestis gratiæ. Credimus enim deum per supernaturalia dona rationalem creaturam sanctificare, ut eam ad se trahat. Tertium attinet ad esse gloriæ ipsius animæ. Confitemur namq; sanctificatos in hoc mundo tandem post obitum ad ipsius gloriæ dei fruitionem peruenire. In qua supernaturali munere glorificantur. Quartum nobis promittit omnis carnis resurrectionem, dum postremo speramus resurrecturos nos omnes corporaq; nostra immortalia & gloriosa consecuturos. At circa Christi humanitatem credimus primo Christum esse uerum deum & uerum hominem: Dei & uirginis Mariæ filium, in cuius aluo est de spiritu sancto conceptus, integritate uirginei claustrum permanente. Secundo confitemur ipsum pro nobis passum, mortuum & sepultum. Tertio quod ad inferos descenderit ad sanctorum patrum animas ex antiquo carcere liberandas, originalis peccati uinculo iam per ipsum soluto. Quodq; eas in perennem gloriam perduxerit. Quarto dicimus eum resurrexisse à mortuis gloriosum. Quinto ipsum ascendisse in cælum, sedereq; ad dextrâ patris. Sexto & ultimo uenturum iudicare uiuos & mortuos, totumq; orbem renouaturum. Itaq; uniuersam fidem in duodecim principijs, quæ articulos uocamus, cõplectimur. Ad summam. Quæcunq; in canonicis sacrisq; scripturis cõtinentur, & quæ sancta Romana ecclesia credendum rite decreuit, uel in posterum decretura est inuiolabiliter credere tenemur. Hoc itaq; ordine procedentes ostendemus nihil nos in huiusmodi principijs impossibile uel irrationabile in medium afferre. Neq; uero articulus Eucharistiæ, qui difficultatis non minus alijs ad credendum habet à nobis prætermisus putet. Nam cum per tale sacramentum rationalis creatura sanctificetur, ad illum articulum reduci potest, quo de sanctificatione tractatur, quamuis & humanitatem Christi contineat. De quo in his, quæ de ceremonialibus sumus dicturi, cum de alijs sacramentis tractabimus. Cum ipsa sacramenta obtineant inter ceremonialia principatum. Sed quia in primo libro de primo articulo, id est, de unitate dei satis diximus. In quo pariter excellentissimi philosophi & omnes ferè homines nobiscum sentiunt, non oportet in eo hic amplius elaborare.

*A christiana fide dei trinitate nihil impossibile nihil irrationabile*

*asseruari.*

*Cap.*

*III.*

**O**missio igitur primo principio ueluti notissimo: Secundum, quod omnium difficilimum christianis credendum proponitur, est unitas trinitatis. Confitemur enim tres personas realiter distinctas, id est, patrem & filium & spiritum sanctum esse unum deum. Quod multi insulse considerantes putant nos tres deos unum charitatis tantum uinculo appellare.

pellare. Veleo modo, quo multi homines realiter distincti unus populus nūcupatur. Nos autem dicimus unum esse deum simplicissimum & infinitum. Nec aliquid de deo reijcimus, quod à uera philosophia cōprobatur, quamuis hunc esse patrem & filium & spiritum sanctum affirmemus. Non ut dixit Sabellius uidelicet deum unam esse personam, quæ ex diuersis affectibus aliquando patris aliquando filij & aliquando spiritus sancti nomen sortiat. Nec sicut Arrius, qui tres personas posuit realiter differentes, dum filium minorem posterioremq; patre. Spiritum sanctum quoq; inferiorem filio sibi cōfinxit. Sed patrem & filium & spiritum sanctum regia & media uia incedentes contra Sabelliū tres dicimus esse personas realiter distinctas. Eas tamen contra Arrium unum esse in natura, & potestate & gloria cōequalis. Ita quod quicquid habet pater habet & filius & spiritus sanctus, & quicquid habet filius, habet & pater & spiritus sanctus, & quicquid habet spiritus sanctus, habet & pater & filius. Vnde inter eos non est sicut in creaturis distinctio, ut aliquid habeat una persona, quod alia non habeat, sed solum inter has tres personas est distinctio relatiua per has duas enuntiationes, uidelicet à quo alius, & qui ab alio. Quicquid em habet pater, habet & filius. Sed in hoc distinguitur, quod pater hoc habet à se, id est, à nullo. Filius autem illud idem habet à patre, nec propter hoc minor est patre, cum nihil minus habeat à patre. Similiter spiritus sanctus habet quicquid pater & filius. Sed in hoc ab eis distinguitur, quia ab eis illud habet, ipsi uero non id accipiunt ab eo. Nam personæ ad essentiam diuinam comparatæ sunt unum, nec ab essentia ullo modo realiter differunt, sed ratione tantum. Inuicem autem relatè personaliter distinguuntur propter relatiuam oppositionem. Et ideo nec filium patre posteriorem dicimus. Nec spiritum sanctum patre & filio. Relatiua enim sunt simul & natura & intellectu, & unum absq; alio nec esse nec intelligi potest. Nō enim in diuinis sicut in humanis paternitas ab eo differt qui pater est, & filiatio ab eo qui est filius. Sed paternitas & pater, & filiatio & filius sunt idē realiter sola ratione distincta. Neq; propterea facimus ullam in deo compositionem, cum dicimus patrem filium & spiritum sanctum esse idem, quod essentia est diuina. Quia (ut iam dictum est) personæ diuinæ sunt idem quod essentia diuina, nec ab ea essentialiter distinguuntur. Hoc igitur est, quod à nobis nullo modo intelligi potest, uidelicet, tres personas esse unum deum & actum purum simplicissimæq; substantiæ, & nihilominus tres illas personas taliter inuicem esse distinctas, ut nec pater sit filius, nec filius pater, nec spiritus sanctus, aut pater aut filius. Attamen pater est id quod filius, & filius id quod pater, & spiritus sanctus est id quod pater & filius. Personaliter em distinguunt, tamen sunt una res unaq; substantia. Et quia sicut cognoscimus, ita & nominamus deum autem cognoscimus per creaturas, ideo & à creaturis nomina dei sumimus. In creaturis autem processio unius uiuentis ab alio uiuente

uiuente in similitudinem eiusdem naturæ & speciei generatio nominatur,  
 & generans dicitur pater, generatum autem filius. Idcirco processio unius  
 personæ ab alia per modum intellectus in diuinis dicitur generatio, & perso-  
 na à qua procedit alia Pater, qui autem procedit ab ea: Filius nuncupatur.  
 Non ergo intelligimus in diuinis, quemadmodum in animalibus uel in ho-  
 minibus esse generationem. Sed est in diuinis generatio tota spiritualis. Fili-  
 umq; procedere per modum intellectus, & esse uerbū dei patris & eius ima-  
 ginem sapientiamq; genitam dicimus. Processio autem spiritus sancti, est à  
 patre & filio per modum amoris. Amor enim est aliquorum nexus & unio.  
 Verum quia in naturalibus non inuenitur aliquid, quod æque procedat im-  
 medietate à duobus æqualiter perfectis, sicut procedit spiritus sanctus à pa-  
 tre & filio, ideo processioni spiritus sancti, non ita speciale uocabulū sicut  
 processioni filij fuit inuentum. Sed generaliter ex parte procedentis proces-  
 sio nominatur. Quia tamen spiritum sanctum procedere dicimus per modū  
 uolūtatis seu per modum amoris, eius processionem à patre principij spiri-  
 tionem appellamus. Amor enim quodāmodo impetum quandam & spū-  
 ritum in rem animatum præ tendit. Ideo specialiter ipsa persona à patre & fi-  
 lio procedens spiritus sancti nomen sibi uendicauit, cū tamen & pater sit spi-  
 ritus & sanctus, similiter filius sit spiritus & sanctus. Vnde & hæc duo nomi-  
 na quando personæ spiritus sancti attribuuntur, pro uno & hoc relatiuo acci-  
 piuntur, quamuis per se relationem sonare non uideantur. Cum igitur duæ  
 sint tantum processionem interiores in natura intellectuali, una uidelicet ex  
 parte intellectus, altera ex parte uolūtatis, fides rationabiliter tenet in diui-  
 nis tantum duas esse processionem & tres personas. De hac ergo sanctissi-  
 ma trinitate plura possemus afferre. Sed quia quæ ad substantiam fidei perti-  
 nent scripsimus, non oportet ulterius euagari. Qui autem subtilius talia in-  
 uestigare desiderauerit, cum omni sobrietate cordisq; puritate christianos  
 codices legat, & thesaurum inueniet infinitum. Nobis enim ostēdere modo  
 satis est religionem christianam, nil de trinitate rude, nil impossibile, nil irra-  
 tionabile demum sentire. Ad cognitionem igitur harum personarum per  
 naturalem nequaquā rationem homo poterit peruenire. Quia cum cogno-  
 scamus deum per creaturas, non ducimur hoc modo in eius cognitionem.  
 Nisi quatenus is est earum principium & causa. Non est autem earum prin-  
 cipium & causa nisi per ipsius uirtutem personis tribus communem. Et ideo  
 per creaturas cognitionem consequi non ualemus, nisi eorum, quæ patri &  
 filio & spiritui sancto sunt cōmunia. Quo circa per creaturarum notionem  
 personarum distinctionem attingere nequimus. Ad quod capiendum licet  
 imbecillitas humana non sufficiat, non debemus tamē reuelata sacrosancta  
 mysteria non credere. Ridiculū est enim existimare nihil esse uerum præter  
 quod intellectus nostri ratio metiri possimus. Cū infinita sint in deo ut iam  
 Q diximus



diximus) nobis prorsus abscondita & nequaquam inuestigabilia. Rationes tamen & argumēta quibus in superiori libro fidem nostram ueram esse probauimus, huic articulo fidem astruunt. Tamen si peculiare quædam probabiles rationes nos quandoq; adiuuant. Quarum aliquā adducere non pigebit. Ut appareat nos contra rationem de deo nihil profiteri. Sed quicquid tenemus multum probabilitatis, rationis & similitudinis cum rebus naturalibus habere. Cum enim effectus suam causam imitari conetur, ex consideratione earum processuum, quæ in creaturis inueniuntur, ad eas quæ in deo sunt quodammodo eleuatur. Multas autē in creaturis inuenimus processiones, quæ quanto perfectioris sunt conditionis tanta magis perfecte atq; intimæ sunt. In carentibus enim uita generatio quædam inuenitur, ut cum ignis ab igne procedit. Hæc autem processio suum in agente principium habet. Quod in materiam exteriorem agit. Vnde minus perfecta minusq; intima reliquis est, quas de hinc subiungemus. In uegetabilibus enim perfectiorem inuenies & intrinsecam magis processionem. Quia id quod generatur in plantis est in principio producenti coniunctum, uerum in fine ab eo separatur. At in animalibus est quædam in sensibus processio quæ adhuc magis perfecta spiritalisque & intima est quam plantarū inuicem processio. Quia actus ipsius sensus remanet in sensu, nec exterius emanat. Ab extrinseco tamen prouenit obiecto. Vnde adhuc perfecte interna non habetur processio. In hominis autem intellectu hæc perfectior magisq; intima inuenitur. Quia actus intellectus super seipsum reflectit. Vnde ex his, quæ iam tenet homo contemplari potest, & uerbum mentis intus reconditū concipere. Hinc quæ in amore conceptæ rei prorūpens in seipso personarū quodammodo effingeret trinitatē, id est, intellectus uerbi & amoris. Verum hæc processio intellectus nostri incipit à sensu, sicut omnis nostra cognitio, & ab initio pendet exteriori. Si autē conuertamur ad angelicum intellectū, qui nullam à sensibus scientiā capit & naturaliter eam possidet, tum excellentiorē atq; interiorē in eo processionē uerbi & amoris cōperiemus. Verum quia totus angelus pendet à deo, hinc & ipse quoque ab extrinseco est, neq; eius intellectus, nec uerbū nec amor est ipsius substantia. Vnde processiones, quæ in angelis inueniuntur, aliquid imperfectionis habent & intime prorsus non sunt. Cum igitur uideamus quod quanto nobiliores sunt creaturæ tanto processiones in eis sunt magis intimæ ac perfectiores. Cumq; effectus suā causam emuletur. Quid irrationabile dicimus, quādo in deo, qui omnes in infinitū creaturas excedit, perfectissimas processiones maximeq; intimas ponimus. Quæ nec ab extrinseco proueniunt, nec à dei substantia differunt. Quasq; omnes creaturæ imitari conant, licet longe ab illa perfectione deficiāt. Quia diuinæ personæ à nulla causa dependēt, sed sunt unus deus, qui est omnium causa. Et ideo tres personæ extant unū in substantia, & relatione opposita distinguuntur.

Ex processione

Ex processione enim unius ad alium de necessitate relatiua sequit̄ oppositio & distinctio pcedentis ab eo, à quo procedit. Quod si realis illic est pcessio, ibidē necesse est oppositio sit realisq; distinctio. Relationes aut̄ in diuinis nullam ponūt imperfectionē. Cum relatio ex sua ratione ad aliquid sed non aliud quid significet. In homine quoq; qui inter omnia naturalia ad dei similitudinē magis accedit, inuenitur quædā in parte spiritali trinitas, uidelicet intellectus, uerbi & amoris. Dum enim actu deū intelligit, cōcipit de deo uerbum, & ex hoc in eius amorē prorūpit. Quanquā hæc trinitas à diuina plurimum distat. Quia cum deus sit immutabilis & æternus & in eo nil detur imperfecti, non sunt in ipso sicut in nobis uerbū eius & amor accidentia. Neq; modo adueniunt & modo recedūt. Sed semper & ab æterno uerbū & amor fuerunt in deo eiusdē cum patre substantiæ. Hinc tamen apparet quod irrationabile nihil deo, quin potius quod rationi consonū est tribuimus. In omnibus insuper creaturis multiplex trinitatis uestigiū inuenitur, cū omnes ex principio, medio & fine cōpleantur. Et in cunctis sit substātia uirtus & operatio, & eiusdē generis alia, ex quibus quædā resultat trinitatis impressio. Cui dicto Peripateticorū princeps Aristoteles suffragari uidet̄. Qui ratione non fide ductus in principio sui libri de cælo & mundo numerū ternariū cōmendans, omnia (inquit) ex tribus cōstare uidentur. Vbi Pythagoricos affert dicētes, omnia tribus esse determinata, uidelicet principio, medio & cōsummatione, & hoc quoq; ait) ut sanctificatiōes deorū à natura transferre acceptū. Et in nominationibus duos non dicimus omnes, sed cum ad tertium perueneris, statim omnes dicere poteris. Omne autē & totum & perfectū idē esse uident̄. Vnde subinfert corpora perfectas esse magnitudines, quia tribus constant uidelicet lōgitudine, latitudine, & pfunditate. Ex qbus perspicuū est non improbabile esse quicqd de trinitate diuina credimus. Quod & si humano intellectu capi non potest. Hoc unum tamē cum reliquis rationibus supradictis declarat huiusmodi fidē non fuisse humana inuentione traditā. Quia cum de deo inscrutabilia proferat, nihil tamē philosophiæ eiusq; principijs contrarium adducit. Quin potius omnia philosophiæ principia nobis deseruiunt, & ad facilem quæstionum omnium solutionem astipulantur. Quod potissimum est ueritatis argumentum.

*Christianam fidem de creatione nihil impossibile, nihil irrationabile affirmare. Caput IIII.*

**C**onsideratis itaq; ijs, quæ ad dei maiestatem secundum se pertinet. Nunc ea aggrediamur, quæ ipsi in ordine ad creaturas cōpetunt, & primo quo ad esse naturale. Credimus enim deum ex tēpore omnia creasse, id est, tam uisibilia quā inuisibilia ex nihilo in principio fecisse. Quod non alienum à ratione ac ueritate putandū est. Cum omnes confiteantur deum esse primā omnium causam à qua cælū naturaq; dependet. Quid

Q 2 autem

autem aliud agit causa efficiens quam quod ad esse suos conducit effectus. Cum ergo alicuius actionis principium quāto est perfectius tanto pluribus & remotioribus communicetur: Deusq; sit actus purus: Fateri oportet dei potentiam se adesse omnium secundum se extendere. Ab eoq; omnia entia dependere. Præterea licet actus sit potētia posterior in re, quæ de potentia ad actum reducitur, tamen actus semper est absolute prior potentia. Nō enim potest potentia redigi in actum nisi per aliquid in actu existens. Cum ergo solus deus sit esse suum & actus purus (ut in primo libro probatum est) omnia ipse antecedit oportet, ab ipsoq; omnia fiant. Ab eo uero omnia ex nihilo esse facta, id est, nullo præsupposito uel nulla præiacente materia cōuenientissimum est fateri. Particularia enim agentia tam naturalia quam artificialia materiam præsupponunt, & ex illa aliquid producunt. Quia tota rei substantia ab eis minime dependet. Non enim esse simpliciter sed esse hoc tribuūt. Verum deus, qui est causa uniuersalissima dat esse simpliciter, quia ei respondet uniuersalissimus effectus, qui est esse simpliciter. Et ideo nil esse potest, quod à deo non emanauerit. Nihil ergo in actione dei præsupponere oportet. Si quid enim cōcederetur, aut id haberet esse à deo, aut nō. Si sumatur negatio sequitur, deū non esse causam omnium efficientē. Quod superius redargutum est. Si autem præbeatur affirmatio. Aut ex nihilo aut ex aliquo illud productum fuit à deo. Si ex nihilo, habetur propositum. Si ex aliquo, queritur de illo alio unde hoc prodijt, & utrum habeat esse à deo an non, & lic ad eandem regrederemur quæstionem. Itaq; uel processus erit in infinitum, quod est absurdum, aut merito concedendum erit quod ex nihilo deus res in esse produxerit. Quia uero deus non ex necessitate naturæ, sed ex uoluntate agit (ut superius demonstrauius) haud necesse est ab æterno mundum à deo fuisse creatum. Sed eo tempore, quod sapientissime ipsius dispositioni uisum est aptissimum. Atque id conueniens & utile, etiam aliqua ratione probari potest. Saluo semper inscrutabilis illius maiestatis occulto consilio. Omnia siquidem propter electorum suorum fecit utilitatem ac bonum. Quod maxime in ipsius dei cognitione consistit. Ex quo igitur mundum non creauit ab æterno, perfectior eius resultat cognitio. Dum ex hoc percipitur eundem esse ita perfectum ut sibi plenissime sufficiens nulla indigeat creatura. Si enim esset alicuius externæ rei indigus, non distulisset ab infinito tempore eam creare. Et hæc de rerum creatione sufficiant. Quia ab alijs diffusius tractata sunt, quærētibus inuentu mimime difficilia. Rationes autem, quibus Aristoteles ac pleriq; philosophorum æternitatem mundi probare conantur, à Theologis nostris facile soluuntur, ut cuilibet patet uel mediocriter in his erudito.

Christiani

*Christianam fidem de creatura rationalis sanctificatione deq; eius gloria & resurrectione nihil impossibile nihil irrationabile attestari. Cap. V.*

**D**E sanctificatione autem creaturæ per supercœleste gratiæ donum arbitror nō oportere nos alia dicere præter superius dicta de fine humanæ uitæ medioq; ad ipsum perueniendi. Ostensum est enim hominem ad finem supernaturalē esse ordinatum, quem non nisi per supercœleste medium, hoc est, per diuinam gratiam cōsequi potest. Quam deus, qui necessaria omnibus subministrat nemini subtrahit rite se præparanti.

De nostræ quoq; animæ gloria satis dictum uidetur cum in uisione solum diuinæ essentiæ per illustrationem eleuationemq; luminis gloriæ eam beari probauerimus. Qua propter ex prædictis facile intelligere possumus christianos circa huiusmodi res nihil inaniter aut temerè, quin imò rationabiliter ac grauiter profiteri. De resurrectione quoq; mortuorum nihil rationi dissonum asserimus. Quamuis enim natura fieri non possit, ut idem numero corruptum resurgat aut regeneretur, eo quod natura est ad unum operandi modū determinata, & aliter se habere non potest, tamē cum iam probatū sit diuinam uirtutē esse infinitam & huic rerum ordini, quem cernimus minime alligatam, sed innumera alia facere posse: Mortuorum suscitatio ut perfacilis, non ut impossibilis ipsi deo est tribuenda. Nam si is ex nihilo cuncta produxit, quod agentia naturalia facere nequeunt, multo magis ex aliquo aliquid facere, ac defunctis uitam reddere poterit. Neq; enim sic moritur homo. Ut in nihilum prorsus debeat superstitē adhuc anima. Quæ (ut in primo libro ostendimus) immortalis est. Tum etiam ipsa corporis materia prima incorruptibilis superest. Quod si uel in nihilū homo uertat summus ille opifex rerum deperditū & nullum omnino hominem ea facilitate restaurare posset quam antequā essent cuncta creauit. Itaq; quod de resurrectione mortuorum tenemus, nequaquam impossibile aut inconueniens, sed rationabile & expediens necessariumq; uidebitur recte consideranti. Si enim anima intellectiua est corporis forma, eademq; immortalis extat, ut supra diximus, erit cōtra animæ naturā à corpore separari, atq; sine eo permanere. Nihil autē contra naturā potest esse perpetuū. Quia diuinæ sapientiæ non conuenit. Ergo iterum redibit ad corpus. Anima insuper non habet esse perfectū sine corpore. Omne autē imperfectū suam desiderat perfectionē. Si ergo anima nostra à corpore separata regressu ad illud careat, nunquā uere integreq; beatitudinis compos erit, hoc desiderio semper accēsa. Quod ab ea remoueri non potest cum sit ei naturale. Hoc autē inconueniens est, quia summa beatitudo omne explet undiq; desideriu. Rationabile est ergo cōfiteri resurrectionē mortuorū. Illi præterea beatitudo debet, qui recte uiuit. In hac autē uita non anima recte uiuit sed homo. Idem est enim si quis animā dicat recte uiuere aut intelligere, ac sinere uel texere, aut simile quippiā eam

facere putet. Nihil autē illi tale tribuimus, sed homini. Actiones enim sunt suppositorū. Et forma est, id quo aliquid fit non id quod facit illud. Si ergo homini debetur beatitudo, necessaria est corporū resurrectio. Ad diuinā item prouidentiam pertinet, quæ bonis præmia reisq; supplicia æqua lance dispenset, ut hominibus ex corpore animaq; cōpositis, cōiunctimq; merentibus aut demerentibus iusta simul reddantur, præsertim cum boni in hac uita, quo ad corpus attinet, plurimum macerentur & affligantur. Mali autem contra delitijs & uoluptatibus affluant præualeant & extollant. Cum itaq; apud deum qui exactissimā habet omnium prouidentia, nullum malum impunitū nullumq; bonum sit irremuneratū, cōueniens est ac necessariū resurrectionē corporū confiteri, ut unusquisq; cum corpore recipiat, qualia cum eo simul admisit. Immortales insuper resurrecturos homines credere æquū est. Si enim iterum illis moriendū esset, propter rationes prædictas resurrectionē sæpius repeti oporteret. In qua si rursus corpora mortalia sumerent, post mortē ob easdem rationes oporteret aliam dare resurrectionē. Aut ergo cogemur fateri sine fine homines mori ac resurgere, quod est absurdū. Aut auferere animas hominū ad immortalia corpora in prima resurrectionē redire. Ut hominis beatitudini inuiolabilis corporū perennitas tribuatur, quod est rationi maxime consonū. Quia uero materia formæ proportionabiliter respōdere debet, cum anima beata gloriæ lumine sit perfusa & supernaturalibus ornata qualitatibus perfectionibusq; referta, indignū foret ut huiusmodi anima ignobili tegmine uteretur. Ideo per dei uirtutē animæ gloria redundabit in corpus, ut fulgeat sicut sol in regno dei & prorsus obediens animæ factū mira agilitate ferat. Nihilq; desit quin homo sit omni ex parte perfectus. Quoniā insuper omnia corpora ppter hominē facta sunt (nos enim sumus omnium naturalium finis) cōuenientissime dicitur quod toto homine glorificato mundus hic pariter glorificabit, nouāq; perfectionis illustrationē accipiet, ut ea quæ sunt ad finē ipsi cōueniant. Et quia homo nullis tūc alimētis nullisq; corporis necessitatibus erit obnoxius, rationabiliter concedimus motū cæli tunc quieturū. Cætera uero animalia uegetabilia ac mixta resoluent in elementa & per ignis incendium, qui summæ est actiuus, depurata nouas induent qualitates, gloriosaq; claritate ac uirtute irradiata persistent. Atq; ita beati cum domino semper erimus.

*Christianam religionem pœnas damnatorū conuenienter ponere. Cap. VI.*



Vemadmodū ergo beatis locus cæli cōpetit gloriosus. Ita & dānatis longe à deo semotis locus mūdi exigit infimus. Ut sub terraneo opacōq; carcere perpetuas luāt suorū scelerū pœnas. Nec iniustū uideri debet perpetuis illos cruciari tormētis. Nā sicut humana iustitia ad humanā remp. sese habet, ita se habet diuina iustitia ad cœlestē, sed humana iustitia aliquos delinquentes, uel exilio, uel necis ali-

quo ge

quo genere à perpetuo reip. cōmertio abscindit, ita & diuina iustitia à cōmū  
nitione cœlesti aliquos reijcit in perpetuū, non tam propter transitoriū pecca  
tum, quā ob infinitā uoluntatis impœnitudinē & in ipso crimine peruicaciā.

Rationabile enim est ut qui delectationis tēpora ac portionē æternæ glo  
riæ fruitioni prætulerint, quiq; (si modo cōcessum eis fuisset) in uoluptatum  
fordibus usq; quaq; perstissent, perpetuo puniantur, ut pœna ipsi culpæ res  
pondeat præsertim cum homo extra præsentis uitæ statū quodāmodo sit  
in sui motus termino. Nec amplius, quæ in uita concedit adlit ei facultas fi  
nem ultimū consequēdi. Quia igit̃ homines in resurrectione ad statū termi  
ni, non autē uitę transferent. Iniusti ibunt in suppliciū eternū & iusti in uitam  
æternā. Et quia (ut dictū est) non anima solū sed homo ipse operat̃, quod  
beatis asseruimus in remunerationē totius aggregati cōuenire, idem dāna  
tis in retributionē pœnæ resultabit. Ut sociū habeant dānationis, quod pro  
incendio, habuerūt errorisq; fomēto. Quāuis autē apud inferos præter ignē  
alia quoq; pœnarū genera ponamus, quia tamen inter omnia corpora ignis  
est maxime actiuus, eius pœna sola tanquā principalissima nominat̃. Scien  
dū est autē quod damnatorū corpora quāuis gloriosa non sint haud ita tamē  
ab igne corporeo afficient̃, ut corruptioni transmutationiq; subiaceant. Di  
uina namq; uirtute ita firma illorū corpora solidaq; reddentur animarū nexu  
bus quo adesse naturæ ut minime dissolui aut alterari queant. Sed q̃a per di  
torū animæ per obliquā uoluntatē à suo cōditore auersę sunt, corpus non ot  
mino sibi subiectū possidebūt, ideoq; igni corporeo cruciabunt̃. Quatenus  
ignis qualitas ppter sui excellentiā æqualitati cōplexionis & cōnaturali har  
monix sensuū repugnabit, & si eam soluere non ualebit. Non tantū eo mo  
do spirituales creature, quas dæmonia nūcupamus, ab igne patient̃. Sed per  
alligationis modū, ueluti superiorū dæmonum potestate inferiores (spiritus  
per incātationes & maleficia sculpturis aut imaginibus corporeis alligari di  
cunt̃. Si hāc em̃ potestatē superiores dæmones in minores exercēt quāto ma  
gis deus omnes igni corporeo poterit alligare: quæ res pœnam inferet ma  
ximam, ubi se rebus infimis præter ipsorum naturam reuinctos conspiciāt.  
Et forte ignis ille tanquam diuinæ iustitiæ instrumentum aliquo modo eos  
torquebit. Quem nos modo inuestigare non possumus.

*Christianam religionem de Christi incarnatione nib. Impossibile, n. hil indecens  
aut irrationabile sentire.*

Caput VII.

**C**redit etiam christiana religio & inuolabiliter tenet deum filiū dei  
esse hominem, eiusq; personam subsistere in duabus naturis diuina  
scilicet & humana. Talis enim tantaq; utriusq; naturæ, in illius peri  
sonam facta est unio, ut idem sit deus & homo. Huic autem unioni assimilari  
nihil potest in rebus creatis. Non enim est sicut lapillorum aggregatio atq;  
compactio. Ita enim deus homo non esset. Nec se habet sicut unio partiū ad  
ipsum totū. Cum totū ex partibus pēdeat, Christus autē deus non pendet ab

aliquo. Nec sicut unio accidentis ad subiectum. Cum in deo accidens esse non possit. Nec sicut unio elementorum immixto quia hoc est à diuinitate alienum. Nec sicut unio animæ ad corpus, quia diuinitas esse corporis forma non potest. Nec sicut unio aliqua in creaturis reperta, quia diuina hæc admirabilis unio omnem excellit creaturæ uirtutem. Nam cum in qualibet perfecta substantia natura inueniatur atque suppositum, quæ in rebus præsertim naturalibus idem prorsus non sunt. Sæcta nihilominus tradit fides humanam naturam propriū in Christo suppositum siue personā propriā non habere. Quam ex se scilicet habuisset, si nō esset uerbo dei unita. Sed pro illo supposito diuinū suppositū in illa subsistere. Dum persona filij dei naturam hanc in primo suæ creationis instāti ut in ea subsisteret sibi ipsam uniens præoccupauit. Suppositum autē subsistens in natura humana est homo, & in natura diuina est deus. Cum igitur persona seu suppositum filij dei in utraq; natura subsistat, uere est deus & homo. Hoc autem nec impossibile est nec irrationabile. Deus siquidem omnia potest, quæ contradictionē non implicant. Inuicem namq; contradictoria rationem entis habere non possunt. Deum autem esse hominem modo prædicto contradictionem non implicat, ut de se patet. Non enim diuinitatis maiestas propter hoc aliquam recipit mutationem. Sed natura humana trahitur & extollitur ad excellentissimam unionem ex infinita dei potētia, quæ multo plus præstare potest quam ullus possit intellectus cogitatione complecti. Rationabile quoq; conueniensq; uidebitur recte consideranti, quia ex hac diuini uerbi incarnatione innumerabilia bona uniuerso orbi teste experientia prouenerunt. Nam post ipsius Christi aduentum pulsus fugatisq; erroribus sol mundo nouus apparuit. Et quia difficile imò impossibile foret cuncta inde profecta beneficia recensere, principalia quædam recolemus, ut rationem eius incarnationis & conuenientiam afferamus. Primum siquidem homini ad beatitudinem tendenti tanta diuini uerbi dignatio efficacissimum fuit auxilium. Quia, sicut iam supra ostendimus, hominis beatitudo in diuinæ essentiæ uisione consistit. Poterat autem hoc immensa dei sublimitate considerata iuxta humani tenuitatem intellectus hominem tanquam ab impossibili deterrere. Ideo sibi conuenienter naturam uniuert humanam. Ut mortalibus argumentum daretur, unionem intellectus nostri cum deo non impossibilem esse. Maior siquidem est ad diuinam personam humanæ naturæ coniunctio quam ipsius intellectus ad deum tanquam ad obiectum. Hinc post Christi humanationē euidentius cepere homines emergere, & intentius uere beatitudini aspirare. Ex Christi quoq; incarnatione naturæ suæ excellentiam homo cognouit. Intellexitq; ut infra deum nulla sibi creatura sit finis, nihilque quo ad hoc ipsum excellat nisi solus deus. Qui factus homo naturam immediate assumpsit humanā. Idcirco post tanti muneris perceptionem idolorū & omniū creaturarū infra deum

deum cultu neglecto relictisq; diuitijs & honoribus ac huius seculi uoluptatibus spretis ad solum uerum deum colendum sese mortales dedicarunt.

Cum nostra item beatitudo in dei uisione consistat, quæ nostri facultatem intellectus excedit, non poterat certa cognitio aut spes beatitudinis huius per solum rationis lumen haberi. Quemadmodum excellentissimorum philosophorum, qui in ea inuestiganda defecerunt, labor ostendit. Cõuenienter igitur deus, qui peculiarem hominum prouidentiam habet, carnem assumpsit, ut nos eiusmodi tam necessariae cognitionis ac spei redderet certiores. Deo enim omnes sine dubio credunt. Ex quo uidemus post aduentum filij dei maiorem diuinorum instructionem ac claritatem quam antea processisse. Præterea hominem materiali ac carnali compede uinctum ad illius beatitudinis amorem succedi oportebat, ad quod humanatio saluatoris nostri potissimum fuit incitamentum. Cum nihil nos æque sicut illius amor obstringat, ut amoris uices rependamus. Nullo autem modo suam erga nos charitatem quam per hoc ineffabilæ suæ incarnationis & maxime pietatis sacramentum poterat efficacius aperire. Proptereaq; ingens utilitas hinc in mundo apparuit. Dum homines uidimus ardentiori dehinc diuinarum rerum studio inflammatos familiaritatem amicitiamq; (ut ita dixerim) cum deo ac eius angelis contraxisse. Ad hæc cum ad beatitudinem tendentibus meritorum certitudo ad eam ducentium requiratur, per ipsam filij dei incarnationem tale beneficium cumulatissime est allatum. Quod quidem hoc arguimento potissimum constat. Quia scilicet dehinc mundus multo magis quam antea uirtutibus floruit incomparabilisq; uitæ culmen adeptus est. Postquam enim deus homo est factus, uerbo & exemplo nos coram instruens dubitare potuit nemo, quin illius semita ea ipsa esset, quæ nos rectissime ac certissime beatitudinem ducat. Ecce igitur quod nihil impossibile aut irrationabile de humanati uerbi mysterio fides catholica asseuerat.

*Christi natiuitatem ex uirgine nec impossibilem nec irrationabilem,  
eius autem uitam conuenientissimam fuisse.*

Caput VIII.

**H**is igitur demonstratis non erit iam difficile aliorum articulorum possibilitatem ac conuenientiam declarare. Si enim potuit deus homo fieri ipsum quoque fieri filium hominis impossibile non erit, ut scilicet uirginis filius iuxta catholicam assertionem uere credatur. Nam cum generatio sit suppositi non naturæ (non enim natura humana, sed suppositum quod in ipsa subsistit generatur) cumque in natura humana diuinum suppositum subsistat & uere sit homo. Non erit impossibile eum à muliere nasci. Non ea ratione, qua est diuinum suppositum, sed qua  
ratione



ratione est in natura humana à muliere sumpta subsistens. Quãuis autem & alio modo quam ex muliebri conceptu carnem humanam assumere deus ualuisse, ut si ex terra corpus hominis ilico produxisset, conuenientius tamen ac magis expediens fuit, ut carnẽ assumẽs ex muliere nasceretur. Quia ad humilitatem & charitatem propensius nos inuitat, quando non dedignatus est omnium parens in terra habere parentem, nostræq; infirmitatis subire dispendia, & quẽ ullas prorsus nescit angustias, uirginis uteri claustra more aliorum hominum menses nouem perferre. Ceteraq; ultro laboriosæ & mendicæ uitæ incõmoda sustinere, parentumq; & consanguineorũ ac patriæ habere necessitudinem. Fuit quoq; cõuenientissimum ipsi uerbo dei ut ex incorrupta uirgine nasceretur. Ut qui habet in cœlis patrem sine corruptione & sine matre, haberet quoq; in terris sine labe ac sine patre integerrimam matrẽ. Quod si cupiam impossibile forsan naturaliter uidetur uirginem florem conceptione & partu non uiolari. Diuinæ ratio potentiaẽ omnĩs intellectus captum sine fine excedens facilitatem ostendit. Quẽ etiam cognitu non est difficilis. Videmus enim in naturalibus uitam habẽtibus imperfectam, ut in plantis, agens & patiens in generatione non distingui. Sed in eodem actiuam esse uirtutem atq; passiuam. In his autem quæ uitam sortiuntur perfectam propter perfectionem generationem agens ac patiens distinguuntur. Et ideo ad organa corporis informanda fœmina ut agens non exigẽt. Sed masculus in quo uirtus est actiua. Alioquin non oportebat in animalium generatione duo concurrere, nisi uni uirtus actiua & alteri passiuafuisset à natura distributa. Licet ergo aliqua uirtus actiua in præparanda ad genituram materia fœminæ possit ascribi, in qua bona uentris requiritur dispositio quæ fomentum præbeat proli, in ea tamen non est uirtus actiua ac formatiua conceptus. Sed in ipso tantum semine maris, quod non materia humani corporis, sed solum principium est actiuum. Nec tamen ad concipiendum fœtum oportet, ut quemadmodum semen uiri est actiuũ principium ita & semen mulieris necessario adsit ut principium passiuum. Nam experientia compertum est plures mulieres absq; sui seminis interuentu fœcundari, dicẽdum est itaq; menstruum in eis sanguinem seminis loco haberi. Quia enim calor uirtuti generatiuæ deseruiens præ uirili calore in fœminis diminutus est, non ipsis fœminis sicut in maribus alimenti superfluum ita digeri potest quapropter tanquam deficiens à completa seminis digestionem remanet sub forma sanguinis. Qui talis absolute nõ est, qualis per actũ uirtutis nutritiue generat ex cibo. Sed quod residuũ est ab ultima digestionem nutritiue in fœminis uirtute generatiue potẽtiẽ ministrat & præparat ut debita sit materia corporis humani. Quia ergo deus infinita sua uirtute immediate per seipsum pducere potest, quod alias per agẽtia naturalia efficit, cũ etiã possit creare. Quid mirum si eiusmodi uirtute ex purissimo uirginis sanguine corpus Christi

pus Christi formauit uirilis seminis uirtutem spiritu sancto supplente. Atque hoc pacto beatissima uirgo idoneæ iam ætatis cæterarum more mulierum purissimum sanguinem absque ullo uiri concubitu subministrarit. Sed forte non minus difficile uideatur quod ex inuiolato uirginis utero Christi corpus iam formatum prodierit. Sic enim ratio dicitur duo simul corpora fuisse. Ad quod respondemus quod quamuis duo simul corpora in eodem loco naturaliter esse non possint: Tamen nulla contradictionis obstat implicatio, quin à deo id fieri possit. Si enim per corpus intelligeremus spatium, quod antiqui philosophi locum uocabant trina uidelicet dimensione contentum, hoc est, longitudine, latitudine & profunditate per se subsistentem, cuiusmodi est corpus in predicamento quantitatis. Impossibile forsitan uideri posset duo simul omnino corpora esse: Quia si tales dimensiones darentur à materia separate, non possent alio modo quam per situm distingui. Si ergo duo uel plures essent in eodem situ, sequeretur contradictio, ut scilicet plures & non plures eadem essent. Sed cum quantitas non separetur à materia substantiali, quæ est proprium eius subiectum, posito quod duo corpora in eodem sint loco, & eorum quantitates in eodem situ: Non resultat aliqua contradictio. Quia licet illorum corporum quantitates ex situ ipso non distinguantur, remanet tamen distinctio inter eas ex subiecto. Quia singule distinctis materiis inhæret. Non est ergo impossibile uirginalem aluum in ortu Christi clausam perstitisse. Et quia Christus uenit in hunc mundum ut uitæ nobis præberet exemplum, beatitudinisque uiam ostenderet, & fuit conueniens eum cum hominibus conuersari, nec solitariam uitam ducere. Ut per ipsius prædicationem ac uitam ad deum haberemus accessum. Item quia rationabile est ut qui cum hominibus conuersatur, se eis in conuersatione uitæ confirmet, æquum fuit, ut austeritate uitæ se posita mediocritatem cibi potusque ac indumenti & domesticæ consuetudinis Christus obseruaret pro ratione conditionis, quam in mundo, dum uitam hanc mortalem degeret, assumpserat, iuxta scilicet patriæ suæ morem populique ubi & nasci & conuersari dignatus est. Non enim cibi potusque abstinentia ad uitæ perfectionem per se attinet. Sed synceritas mentis ardensque charitas immotusque & infractus tam in secundis rebus quam in aduersis animus, ut nec illum gloria extollat aut copia, nec calamitas deprimat & egestas. Fuit tamen congruum ut pauperem sibi uitam deligeret. Oportet enim diuinæ ueritatis uirtutumque cælestium præcones, & assertores, esse à curis secularibus expeditos, & ab omni suspitione cupiditatis alienos. Quod maxime Christo competebat. Qui insuper ut diuinitatem suam palam faceret, infirma & stulta elegit, ut huius mundi potentes sapienterque confunderet, & ut totius orbis transformatio non potestati uel sapientię humanæ, sed diuinitatis eius maiestati ascriberetur. Propterea miraculorum necessaria demonstratio fuit ad ostendendum diuinitatem in illo corporaliter

corporaliter (ut ait Apostolus) inhabitantem. Deniq; omnia illius dicta ægesta, si religiose, sobrie, pieq; considerentur, mirabili ordine & inenarrabili ratione tradita comperirentur.

*Quæ de originali peccato christiana religio asserit nec impossibilia esse nec ratione carentia. Caput IX.*

**V**T autem melius & quæ dicta à nobis sunt, & quæ dicturi sumus intelligantur, oportet aliqua de originali peccato tractare. Cuius laudis be omne genus humanum esse uitiatum orthodoxa ubiq; prædicat fides. Superius igitur demonstratum est mundū, & quicquid in eo cōtinetur non ab æterno sed in tempore beneplacito certa ratione à deo fuisse creatū. In quo hominem ueluti partem mūdi corporei principalem tamen creauit. Et quia anima hominis intellectiua est immortalis & nobilissima. Corpus illi immortale ac subiectum minimeq; repugnans conuenire uidebatur. Dignum enim est formam atq; materiam mutuam habere proportionem. Formæq; materiam subijci, inferioriq; naturæ dominari superiorem. Sed quia omnis animæ intellectiuae cognitio naturaliter pendet à sensibus, qui non nisi in corpore ex elemētis composito carneoq; ac corruptibili esse possunt, necesse fuit huiusmodi corpus animæ concessum sicut corruptibile ita & rationi esse repugnans. Verum quia diuina prouidentia in necessarijs nemini deest, haud absq; ratione credimus & confitemur quod deus, qui spiritalem & corpoream naturam ea lege coniunxit, ut superior inferiori dominaretur, si quid impedimenti ex defectu naturæ contingerit id supernaturali beneficicio tolleret. Quia ergo corporis dissolutio & partis sensibilis repugnantia uniuersæ naturæ humanæ conueniebat: Competens fuit ut originalis iustitia, id est, impassibilitas corporis sensibilisq; partis subiectio ad rationem totiusq; corporis ad animam uniuersæ naturæ humanæ supercœlesti gratuitoq; dono conferretur. Rationabiliter ergo dicimus protoparenti, quem ab initio deus plasmavit, munus hoc fuisse collatum. Ut per ipsum in omne futurum genus inde propagaretur. Verum quia homo liberi arbitrij factus est, legibusq; diuinis subijci debet, par etiam fuit, ut si auersa ratione à deo delinqueret, inferiores quoq; animæ partes auerterentur ab ea, illiq; repugnarent, eiusq; corpus pristinum in cinerem resolveretur. Nam per quæ quis peccat, per eadem merito torquetur. Hanc ergo iustitiæ originalis supernaturalisq; doni priuationem uocamus originale peccatum in omnem posteritatem à protoparente illo deriuatum. Omnes enim homines ab illo generati iustitia carent originali. Quæ ad eos peruenisset, nisi homo ille protoplastus propria causa culpa amisisset. Neq; hoc à ratione alienum cuiuspiam uideri debet. Nam huius peccati signa quædam in humano genere apparent. Cum enim humanarum actionum sic curam deus gerat ut bonis operibus præmium, malis pœnam retribuatur, ex illata pœna præcessio culpæ significatur.

significatur. Diuersis autem afflictionibus tam spiritualibus quã corporeis  
 humanũ genus afficitur, uidelicet algore, æstu, uigilia, fame, ac siti uarijsq;  
 morborum & calamitatum pressuris ac deniq; inuitabili morte. Quo autẽ  
 ad spiritualem partem debilitatem patitur rationis liberiq; arbitrij atq; repu-  
 gnantiam carnis maximam. Ex quibus homo facile multis erroribus quoti-  
 die irretit. Et quãuis huiusmodi defectus ex cõsequentiã necessitatẽq; mate-  
 riæ naturales uideantur: Dei tamen prouidentia & bonitate rite (ut prædixi-  
 mus) considerata probabiliter persuademur deũ illis defectibus subsidiũ fu-  
 isse laturum: Nisi homo ipse offensione aliqua obstitisset. Vnde non iniuria,  
 dum immensam diuinæ maiestatis bonitatẽ largitatẽq; p̄famus, fatemur  
 hos defectus in p̄cena peccati protoparẽtis totius humanæ naturæ uicẽ ge-  
 nentis puenisse. Non ab re igitur dicimus hominis primi peccatũ & perso-  
 nale & cõmune fuisse. Personale quidẽ quia ipsum suo bono priuauit. Com-  
 mune uero quia illi eiusq; posteris beneficiũ abstulit uniuersę humanæ natu-  
 ræ collatũ. Huiusmodi uero defectus ex priuatione aut subtractione iustitię  
 originalis in alijs hominibus p̄cedentes, si ad eorũ uoluntatẽ referant, ratio-  
 nẽ culpæ non habent: Sed ad uoluntatẽ primiq; hominis assensum relati rea-  
 tu non carẽt, prout omnes homines participatione humanæ naturę ut unus  
 homo cõputantur. Cuius caput p̄toparens ille fuit, qui cæteros omnes pro-  
 pagauit. Atq; in hoc peccatũ quodãmodo introduxit. Quẽadmodum enim  
 manus actio ab inordinata mouentis uoluntate rationẽ suscipit culpæ, sic ex  
 uoluntate primi parẽtis peccatũ hoc in eius posteritatis mēbris est uolunta-  
 rium. Alioquin remota relatione ad uoluntatẽ primigenitoris delinquẽtis,  
 nullũ foret originale peccatũ, hominẽsq; absq; ulla iustitiæ originalis priua-  
 tione generarent. Sed cum in puris essent naturalibus orti, cumq; domesti-  
 cis infirmitatibus procreati, nullũ posset in eis inueniri originale peccatũ.  
 Quẽadmodum in operationibus manuũ ac pedum aliorũq; corporis hu-  
 mani membrorũ nulla potest inueniri ratio culpæ, nisi præcesserit imperans  
 mala in homine uoluntas. Siquis autẽ obijciat iniustũ uideri cum hoc pec-  
 catũ à uoluntate nascentiũ post primum hominẽ non proueniat, unius culpa  
 in aliorum omnium p̄cena infontium redundare. Sed æquũ putari ut ille ad-  
 missi criminis p̄cenas luat, cæteri uero ut innocẽtes eximãtur, ne ante dãnati  
 quam nati aliena sint culpa. Respondemus quod hæc punitio solam iustitiæ  
 originalis gratiæq; respicit priuationẽ. Quæ humanæ naturæ non debetur  
 ex debito: Sed eidem fuit ex diuina liberalitate concessa. Quãuis enim nulli  
 deus creaturę sit obligatus, aliqua tamen ita ab eo sunt instituta, ut illis natu-  
 raliter alia quædã debeantur. Nam homini debetur intellectus, debentur &  
 mēbra ac reliqua, sine quibus uel non esset uel à sua naturali perfectione defi-  
 ceret. At originalis iustitia & gratia non ullo naturæ merito aut obligatio-  
 ne, sed ex mera & superabundanti liberalitate profluebat. Qui autẽ aliqua ex

mera sua liberalitate impendit, ea potest quando & quomodo libet impari  
 ri. Dedit igitur deus primo homini ea lege, qua dictū est, iustitiam originari-  
 lem, videlicet ut si non peccaret, eam sibi suisque posteris conseruaret. Si autē  
 delinqueret, ea ipse ac posteris priuaretur. Tunc enim primus homo humanam  
 naturā uniuersam includebat. Quo circa nō ipsi soli, sed toti naturę hu-  
 manę in ipso traditū est hoc præceptū. Cui etiam in eodē originali iustitię  
 fuerat facta collatio. Nemo igitur deinceps iustę conqueri potest, quod ea  
 propter ipsius primi hominis inobediētiam sit priuatus. Quemadmodū eti-  
 am, si ab initio talis iustitia non fuisset ei cōcessa, nulla fuisset querelę occasio  
 cum non ex debito naturę, sed liberalitate diuina concederetur. Non ergo  
 propter demeritū Adę aliquā maculā uel infectionē proprie soboles incur-  
 rit. Sed dum in puris naturalibus munere priuata originalis iustitię oritur,  
 dicitur in peccato nasci, quod non diceret si illa iustitia nunquā esset homini  
 collata. Non potest ergo conqueri homo si in sua conceptione illud donum  
 non accepit, quod ei ex natura non debet. Sicut nec potest aliquis conqueri,  
 quia non fuit in uētre sanctificatus, aut beatus initio creatus sit. Quia uero su-  
 perius dictū est hominē ad finem supernaturalē ordinari, ad quē non potest  
 sine dono supercœlestis gratię peruenire: Dicimus etiam quod quisquis in  
 peccato solo originali moritē, uita priuat æterna. Quia talis uita seu fructio  
 ex proportionē illi non cōuenit. Nulla tamen ob hoc pœna sensus plectitur,  
 nullaque tristitia affligit. Quemadmodū innumeri homines in cœtore non affi-  
 ciunt quia non sint imperatores. Quāuis enim eo quod sunt homines cōtin-  
 gere potuisset, ut quilibet ipsorū ad imperiū assumeret, tamen quia in eo sta-  
 tu se uident cōstitutos ex quo nunquā uel rarissime ad id fastigiū peruenitur,  
 eiuismodi priuatione nil penitus contristantur. Ita & infantium ac puerorū ani-  
 mę in peccato originali decedentiū, quāuis sciant propterea quod sunt rau-  
 onales potuisse per gratiā ad diuinę essentię uisionē eleuari. Tamē cum for-  
 tis & cōditionis suę inhabilitatē ad id postea nouerint, quod iam eis est im-  
 possibile factū, minime appetūt. Nec superne beatitudinis defectu angunt.  
 Deo præsertim cooperāte. Cui pro rectitudine uoluntatis omnino confor-  
 mant. Cū ergo nulla sensibilis pœna illos afficiat, cōsequens est ut bona quę  
 natura hominibus debent humanitatis iure ipsi consequantur, ut naturalium  
 puta rerum, scientiā diuinorumque contemplationē per ea quę facta sunt, &  
 quicquid humane felicitati naturaliter tribui potest. Alioquin naturali & or-  
 ptato munere priuati tristitia carere non posset. Deus etiam liberalitate sua  
 aliqua eis supernaturalia dona cōferet, ut corporis immortalitatē. Motus si-  
 quidem cœli cessabit, generatioque et corruptio. Ideo omnes resurgēt immor-  
 tales. Neque amplius corporis alimentis alijsue necessarijs egebūt. Nulli quini-  
 firmati aut molestiæ uel repugnatię erunt obnoxij. Sed potius lætabunt do-  
 minumque laudabunt. Et quāuis credamus eorū nunc morientium animas ad  
 inferos

inferos transire ad eam uidelicet partē subterraneā, quam paruulorum in fontium limbū uocamus. Nulla tamen pœna plectitur ex loci cōditione. Anima enim à corpore separata per se à locali situ non patitur. Post resurrectionē tamen arbitror (Salua semper determinatione sanctę Romanę ecclesię, nihil enim super hoc inueni diffinitū) super terram tum defecatam glorificatāq; eos habitaturos. Deumq; in perpetuū magnificaturos. Ad hoc autē haud temerē credendū adducimur. Primū quia locus debet conuenire locato. Quod si corpore immortalī impassibiliq; illi resurgenti, & beatitudine, que naturaliter haberi potest, potient, luce solis & alijs delectabilibus bonis naturaliter homini cōpetentibus priuari non debēt. Quibus carerēt, si opaco & subterraneo carcere includerent. Tū quia iam dictū catholicōq; assensu probatū est, pœna sensus originali peccato non debet. Sed ob allatas superius rationes priuatio solū uisionis diuinę. Si ergo tenebroso terrę carcere clauderent, non liquet quomodo sensu afflictione liberi exemptiq; essent, ubi lucis inspectione pulcherrimorumq; corporū cœli & terrę multisq; bonis quę inserta natura desiderat, omnino priuarent. Patet igit nullā ex peccato originali subsequi pœnā, propter quā iniustitię deus argui possit. Quin imò in originali pereuntibus culpa, quia sine gratia in puris naturalibus decedunt, beatitudo cōceditur illis ex proportione conueniens. In quo diuinę iustitię sapientięq; ordo mirifice cōmendatur. Ex his ergo perspicuū est ea, quę doctrina christiana de iustitia asserit originali q; peccato, eiusmodi esse, ut ex eis nec irrationabile nec impossibile quicquam elici possit.

*Christi passionem ac reliqua humanitatis eius mysteria omniaq; ecclesię circa fidem decreta rationabiliter poni. Cap. X.*

**D**eus autē pater misericordię ac diues in bonitate sua huic defectui à principio mundi oportunis sanè remedijs, sacrificijs, scilicet uel parentū fide, deinde circumcissione, demū sacro regenerationis lauacro succurrit. Talibus enim mysterijs sanctificati paruuli olim defuncti, quiq; modo decedunt ex humilitate per supernaturālē concessa gratiā uitā cœlestē acquirūt. Alij uero sanctificatiōis huius expertes limbū petūt, eam quandoq; felicitatē cōsecuturi, quā illis iure naturali cōuenire diximus. Qui idcirco de deo queri non possunt. Sed de parentum potius infidelitate uel omissione. Sed quia fides nostra tenet sanctos patres ueteris testamēti usq; ad Christi aduentū in limbo fuisse detentos, dubitari posset cur illi, cum essent originis labe purgati gratiaq; ac meritis decorati ac propterea uitę æternę idonei, non ad cœlū statim euolarint. Cui obiectioni respondemus, quod cū peccatū originale naturę sit non personę, & à primi hominis persona in naturā descenderit, ac deinde à natura in singulos homines effluerit, oportebat homines non solū deo pro eorū personis, sed etiam pro uniuersa natura satisfacere. Quilibet autē sanctorū patrum sufficienter pro persona propria

fatisecebat, sed pro peccato totius naturę in primo homine uitiatę, in quo  
 omnes implicite contenti peccarunt, satisfacere nemo ualuit. Vix em̄ pro se  
 quisq; satisfacere potuit. Et peccatū naturę à peruersa primi hominis uolun-  
 tate in totā naturā diffusum, cui non repugnat sub se infinita habere suppositi-  
 ta, quodāmodo erat infinitū. Non enim naturę seu speciei repugnat infinita  
 per successionē supposita habere posse. Ideoq; ex hoc quandā retinet infini-  
 tatē. Vnde cum peccatū originale naturę sit additū, exigebat remediū infi-  
 nitū. Quod nulla creatura, cum quaelibet sit finita per se poterat exhibere.  
 At fortē uideatur ad dei benignitatē pertinere, ut qualiscunq; persolui que-  
 at, ab homine satisfactionē exigeret, reliqua impossibili clementer ei condo-  
 nata. Dicimus igit̄ à nobis utiq; credi deum, si aliter huic defectui succurre-  
 re nequiuisset, pro inestimabili eius bonitate cuiuslibet hominis satisfactori-  
 um pro seipso proq; natura humana fuisse misericorditer accepturū. Sed il-  
 le, cuius miserationis non est finis, quiq; ex iustitia pariter nil impune relin-  
 quit, aliū adinuenit modū. Quo non solū pro tota humana ppagine amplius  
 sine satisfaceret, sed ipsa etiam perfectior redderet. Quia ergo peccato natu-  
 rę infinito nulla creaturarū, sed solus deus ut infinitus satisfacere poterat,  
 nec tamen is debebat, qui non deliquerat nec delinquere potest, homo uero  
 qui non poterat debebat, uoluit ipse deus pientissimus mortalē carnē indu-  
 ens homo fieri, ut & qui poterat, & qui debebat pię satisfaceret. Homo igit̄  
 ille ac deus filius dei Christus Iesus debitum omne persoluit. Vnde sacri lau-  
 guinis pretio in cruce effusi referata fuit patribus ianua Paradisi, & quā semel  
 per optauerāt felicitatē post mortē eius ilico sunt adepti. Ex qua ratione &  
 alijs superius memoratis apparet humanitatis per deum assumptę conueni-  
 entia. In hoc enim euidentius suam declarauit potentiā qua tanto scedere sibi  
 copulare humanā naturā potuit, ut uere factus sit homo. Neq; sapientiā mi-  
 nus ostendit, qua admirabilē modū ad perditū hominē recuperandum in ui-  
 tamq; eternā perducendū exquisiuit. Vnde infinita bona mūdo exorta sunt.  
 Bonitas quoq; suę thesauros largissimos patefecit. Dum se totū naturę hu-  
 manę infudit, ut eam sibi arctiori uinculo prorsus uniret. Suam deniq; miser-  
 ricordia, qua pro nobis uoluit crucifigi, iustitiāq; simul adæquauit. Quasi  
 bi ad plenū satisfactū iri firmiter cōstanterq; decreuerat. Hinc peccatoribus  
 quibuscunq; si resipiscere uelint certa & facilis promittit uenia delictorū. Im-  
 pœnitētib; uero & obstinatis indelebilis pœnarū exactio & horror incutu-  
 tur. Quam ob causam innumeri homines post aduentum Christi à uitijs ad  
 uirtutes cōuersi sunt, & suorū pœnitentiā erratorū peregerunt. Itaq; si hæc  
 & infinita alia per Christū humanę naturę collata beneficia cōsideremus,  
 tantā inueniemus sapientię profunditatē, quantā nullus capere queat homi-  
 nis intellectus. Quodq; in Christo stultū esse uidet, cunctis bonarū artium stu-  
 dijs sapientius esse cōstabit, orthodoxęq; ueritatis inquisitoribus magis ac  
 magis

magis tanti mysterij rationes mirabiles apparebūt. Cōuenienter ergo Christus pro humano genere passus ac mortuus est. Et quia non solū ad peccata nostra diluenda, sed ad nostrā pariter instituendā uenerat uitam, non tātum pati dignum putauit, sed turpissimā sibi mortem acerbissimamq; delegit, ut illius exemplo propter ueritatis iustitiæq; ipsius dilectionē ac obseruantiam durum ac terribile nil formidemus. Admirabiles quoq; delectationes innumeræq; pie contēplantibus utilitates ex huius fontis dulcedine ex morte uidelicet Christi q; cruce hauriunt. Quoniā insuper is obierat propter peccatorum remissionē, & ad aditū uitæ æternæ referandū oportunā sanè fuit illius defuncti animā ad patres usq; descēdere, ut illorū animas de sinu limbi erduceret, easdemq; suo lumine illustraret, ubi propter originis labē mancipati (ut dictū est) tenebant. Nequis uero illum non uere mortuū diceret, merito tumulatus est, triūmq; dierū in sepultura iacturā tulit. Verū si post hæc nō resurrexisset: Nulla resurgēdi mortalibus spes esset relicta. Iure ergo sui obitus ministerio absoluto, gloriosus à mortuis resurrexit. Et quia illius corpus iam effectū fuerat immortale ac gloriosum (ut superius de corporū resurrectione meminimus) indignū erat eum apud homines domesticū habere cōmerciū. Sicut enim Christi corpus ex formæ gloria & unione ad uerbū, corporum est omniū perfectissimū: Ita decuit ut super omnes cœlos & super omnia corpora ascēderet, & tanquā dei unigenitus ad dexterā patris sederet, id est, in æternæ uitæ potioribus bonis. Quod si querať quomodo cœlos, si solidi sunt, penetrauit, iā respōsum est diuina uirtute fieri posse ut duo simul corpora existant. Præterea cum Christus dei filius ab hominibus fuerit & pro hominibus iniustæ impiæq; dānatus, par fuit ut ipse tanquā caput omnium hominū atq; mēsurā constitueret uiuorū iudex & mortuorū, singulis (ut præfati sumus) iustā operū mercedē in fine seculi redditurus. Hęc itaq; recte considerantibus omni ex parte christiana religio non minus rationalis & æqua quā admirabilis diuināq; uidebit. De fide autem sacris scripturis adhibenda, qbus ipsa firmiter inhæret, satis in præcedenti libro dictū putamus. Ostēdimus enim cum non nisi à deo emanare possint, illis inuiolabiliter esse credendū. Et quoniā tam in rebus materialibus quā in doctrinis omne mobile ad aliqd immobile reduci oportet, dicimus deū pro suæ ecclesiæ cura & administratione aliquid in ea immobile statuisse. Ad quod uelut ad solidissimū principiū fundamentūq; omnes cōcurrere debeāt. Quemadmodum etiam in disciplinis prima sunt principia, in quæ omnes resoluunt conclusiones. Non ergo temerè asserimus quicquid sancta Romana ecclesia determinauit seu in posterū determinabit, esse credendū, & quicqd illa aspernata est aut aspernabit, esse reiiciendū. In dubijs em̄ ipsam cōsulimus tanquā primū principiū ita à deo gubernatū atq; directum, ut in his præsertim, quæ ad humani generis fidem salutemq; pertinent, errare non permittatur.





Via ergo ostendimus christianam religionem in ijs que ad fidem pertinent nil impossibile aut irrationabile continere: Idem in illius morali institutione prosequamur, quanquam ea sufficere possunt, quæ in superiore libro de christiana uita disseruimus. Nam si nulla melior illa dari aut excogitari potest, certe cõsequitur, ut moralia religionis christianæ sint optima. Nec alia hoc indiget probatione, cū ex effectibus causæ cognoscantur. Verum quia res perfectius particulariter quam uniuersaliter percipiuntur, ad maiorem illorum declarationem particulares & potiores aliquas leges in medium afferemus. Non tamẽ omnes, tum quia nimis à proposito digrederemur. Tum quia ex his, à quibus aliæ dependent, cætera facile iura intelligemus. Primum ergo nostrorum moralium principium est, diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua & ex tota mente tua & ex omnibus uiribus tuis. Secundum autem est. Diliges proximum sicut teipsum. Quæ non ita intelligenda sunt, ut sufficiat christiano dei & proximi per sola naturalia dilectio. Sed dilectio dei & proximi per supernaturale donum gratiæ ei præcipitur, ut uidelicet se disponat ad huiusmodi donum supernaturale gratiæ & charitatis à deo suscipiendū & exercendum. Naturaliter enim ut in superioribus declarauimus, quælibet creatura supra se deum diligit, & proximum tanquã alterum se. Hoc autem præcepto nobis iniungitur, ut quod naturale est, per donum supernaturale perficiatur. Iubemur itaq; deum ita super omnia diligere, ut eius amore proprio præferamus, & ut nos omniaq; nostra ad eum tanquã ad finem ordinemus. Vnde nobis ab Apostolo in hunc modum præcipitur. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis omnia in gloriã dei facite. Quia autem maxime nos ab hoc amore carnis petulãtia retrahit, dictum est, diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo. In corde enim est fons uitæ sensuum appetitusq; principium. A quo ad amorẽ sensibilem tracti ab amore diuino separamur. Ideoq; dicit, ex toto corde. Ac si diceret, subijcias prorsus partẽ sensibilem uoluntati. Vt & illa pari ordine ad deum tendens nulla in re ab ipsa ratione deiq; lege dissentiat. Et quia absq; duce ratione solet aberrare uoluntas, sequit̃ ex tota anima tua, id est, ex tota uoluntate ad hunc finem directa. Anima siquidẽ est uitæ principium, unde profluit motus, ex quo animata ab inanimatis discernunt. Animata enim mouent seipsa. Quod nequaquam inanimata facere possunt. Cum ergo uoluntas omnes moueat rationalis animæ potentias. Recte per animam intelligimus uoluntatẽ. Præcipit ergo ut integra uoluntas cum omnibus ipsius motibus actibusq; in deum ordinet̃, ut uidelicet illum amet, illum desideret, in eo delectet. Huic autẽ contraria odio habeat fugiatq;, & si admissa fuerint, tristet̃ ac doleat, deum ipsum timeat, in eo speret, non diffi-

non diffidat de illius misericordia, de propria iustitia non presumat, sibi nec suisque uitijs succenseat & irascat. Cæteraque huiusmodi peragat ad honorem ac gloriã dei. Quia uero uoluntatis motus à ratione dependet, cum illius obiectum sit bonũ cognitũ. Statim merito adijcitur, ex tota mēte. Mens enim intellectum significat & rationē. Quæ ita in deum tendere debet, ut quicquid intelligit & contēplatur sit deus, uel ad eum actu uel habitu saltem destinet. At quoniam finis propter se amatur. Etiam sine mensura dilectionis animo insidet. Quæ enim sunt ad finem eatenus amamus, quatenus ad ipsum finem proportionem habent. Sed amor finis immensurabilis est. Congrue ergo tribus his subiungitur, ex omnibus uiribus tuis, ut scilicet cum deus sit finis noster, ad eum omni studio ac conatu tendamus ei que ratio, uoluntas, & sensus penitus obtemperent, atque omni uirtute & gratia perficiantur. Ut deum in nobis ita consummatis ac postremo beatificatis glorificetur deus. Sicut omnis causa in perfectione commendatur sui effectus. Ex hoc ergo apparet non solum qualiter homo deum sed etiam seipsum diligere debeat. Quia perpetuo ordine ita illi uni affici & subijci debet, & id totum quod uiuit quodque agit ad eius gloriam ordinare, ut in ipso tanquam in opere suo perfecto magnificetur deus. Sed quia minus constabat qualiter esset proximus diligendus, cuius amor non ita sicut proprius naturalis est, ut omnis ambiguitas erroris cessaret. Secundum deus addidit præceptum dicens: Diligens proximum tuum sicut teipsum, id est, ad eundem ad quem teipsum diligis finem. Ne cum finis noster sit honor dei ac gloria, causaque in perfectione magis sui effectus quam in diminutione semper honoretur. Cum homines sint dei effectus, idem magis in ipsis perfectis supremæque beatis quam aliter se habentibus honoratur. Si ergo diligendo deum illius gloriæ usquequaque nos intendere oportet, debemus & pari fine, ad quem anhelamus, diligere proximum, ut quemadmodum in nobis ita & in illo diuinum opus eluceat ac laudetur. Quid quæso duobus his mandatis seu principijs uerius? Quid rationabilius? quid diuinius dari potest? In quibus & diuina iura & humanæ societatis fœdera ac denique legum omnium perfectio continentur. Hinc enim pendunt leges ac Prophetæ. Quicquid igitur ex his resultat uel eis consonat, apud christianos sanctum & inuiolabile reputatur. Quicquid autem eis repugnat aut obsistit, prophanum est & euitandum.

*Moralem ecclesie doctrinam excellentissimam esse.*

Caput

XII.



Rationabiliter itaque duæ moralium præceptorum tabulæ nobis exhibitæ sunt. Quarum altera ad deum, altera ad proximum, hominem recto calle dirigit atque instruit. Nam cum homo ciuile sit animal alicuius pars communitatis, ad uitæ eius

R 4 rectitudinem

reſtitutionem attinet, ut primo erga uniuerſorū principē, deinde erga ciues  
 ſuos bene ſe habeat. Quēlibet igitur hominem exiſtentē partem humanę na-  
 ture, & ut chriſtianū reip. chriſtianę partē, bene ſe habere erga eum oportet  
 qui naturā humanā regit, & qui chriſtianitatis caput eſt, ſcilicet erga de-  
 um & Chriſtū deum & hominē. Quod quidē rite exequitur, quando eum di-  
 ligit ex toto corde ex tota anima & ex tota mente cunctiſque uiribus ſuis.  
 Quia uero cōmuni omnium principi primū merito debetur fidelitas, qua ei  
 inuiolata fides in omnibus ſeruet, nec ab illo quis ad hoſtē ullo pacto deficiat,  
 rite in principali primę tabulę mādato omnibus edictū eſt, ut deum uerū  
 colant, qui unus tantū eſt, nec deos alienos corā eo, qui ubiq; aſſiſtit, quem  
 nihil latet, uenerent, nec ad diabolū quoquo pacto diuertant. At uero quia  
 ſecūdo loco principi debetur reuerētia, rationabiliter ſecundū primę tabulę  
 præceptum eſt, non aſſumes nomē dei in uanū. Deum enim proſus inuiſi-  
 bilē honorare cupientibus in ijs, quę ipſum reſeſtant, honorandus eſt.  
 Cuiuſmodi maxime ſunt uoces, quę ad eum ſignificandū aut laudandū in-  
 uentę ſunt quanquā idem cęteris in rebus illū referentibus, aut quoquo mo-  
 do ad ipſum pertinētibus ſeruandū eſt. Cum autē tertio ac poſtremo princi-  
 pi debeat meritis ſamulatus. Cōgrue etiā tertio primę tabulę præcepto iu-  
 beſt. Memēto ut diem ſabbati ſanctifices, per quod monemur, ut debitū cul-  
 tum tam internū quā externū ſynceriffimę deo exhibeamus. De quo ſuperi-  
 us mentionē fecimus, & quod reſtat, aliquid oportuno loco in hoc tractatu  
 ſubtexemus. Ex hiſtribus principijs eliciunt quęcunq; ad deum colendū ho-  
 norandū obſeruandūq; pertinēt, & in ea quicquid ad deū ſpectat reſoluit. Quę-  
 cunq; aut illis refragant uel diſcrepāt omnino explodimus ac repudiāmus.  
 Secundū autē præceptū, ſeu ſecunda tabula, id eſt, diliges proximū ſicut tei-  
 pſum. Cū uero diligere ſit bonū uelle, & malū ei quē diligimus nolle, duas di-  
 lectionis pximi partes facimus. Vt ſcilicet bona pximo uelimus, nec ei mala  
 inferamus aut deſideremus. Ideo in ſecunda tabula primū legit, honora pa-  
 trē tuum & matrē tuam. Vnde etiam honoris exhibitio beneficiorumq; gra-  
 titudo erga quēlibet nobis proximū colligit. Offenſionis autē illationē eui-  
 tandā intelligimus opere, lingua & corde. Opere uero tā in perſonā propri-  
 am quā comūctā reſq; cōtiguas ab iniuria abſtinendū eſſe, ut à quauis noxa  
 mēdaq; liberi uiuamus. Propterea in eadē tabula ſecūdo ſubdit. Non occi-  
 des. Quod nocumentū proximo in perſonam propriā illatum iri prohibet.  
 Tertio. Non mœchaberis, ex quo nullius uxorē uel ſeeminā uiolandam eſſe  
 cauetur, & ad quaſlibet deteſtādas luxurię ſordes interpretandū eſt. Quarti-  
 to. Non furtum facies, hinc quaſlibet aliene rei uſurpatio condemnatur.  
 Quinto. Non falſum teſtimonium dices contra proximū tuum. Vbi tenet  
 muſ quodlibet iniquę ac deierantis uel maledicę linguę peccatum eſſe  
 abominandum. Sexto. Non cōcupiſces uxorem proximi tui, propter quod  
 mentalis

mentalis luxuriæ infectio & inordinatus libidinis appetitus coërcetur. Septimo. Non desiderabis rem proximi tui. In quo monemur non tantū alienæ rei usurpationem esse fugiendam, sed synceritatem mentis pariter ab auiditate iniuste possessionis custodiri oportere. Et necui dubium obrepit, quod cum non minoris sint criminis desideria cæteris præceptis cōtraria, præsertim primæ tabulæ, quare potius libidinis rei quæ alienæ damnata desideria exprimitur, quam cætera grauiora. Respondemus quod lex Evangelica non solum mala opera, sed prauos etiam coarguit affectus. Præcepta autem superius enarrata non solum de exteriori opere sed de interiori æque accipiuntur. Verū non sine causa duo hæc postrema signatius expressa sunt. Cui libet enim quantumcumque rudi desideria illa cæteris præceptis aduersantia suā obliquitatē nequitiamque ostendūt. Quis namque nesciat malū esse deo non credere: uel infidelem ei aut cōtumacem esse atque rebellē? Quis non itidem culpam parentum cōtemptum ac cōtumeliam: uel homicidij feritatem mentientis seu calūniandi improbitatē non abominetur? Hæc enim cogitata horrorem potius quam delectationē asserunt. At libidinis ardor uidetur esse naturalis. Animalia namque generare natura desiderat, uehementis est delectatio carnis. Externorum etiam bonorū auiditas, quia eis plurimū indigemus, uidetur esse natura homini inserta. Hinc possent rudiores opinari horum appetitus minime esse peccata, præsertim cum nulli sola desideria noceant. Cōsultissime itaque duo hæc libidinis scilicet alienæque rei indecēs appetitus notata sunt. Lex ergo nostra hominū perfectioni inuigilans tam cordis quam operis reuerentiam deponit, ita ut nec intactū quid uel minimū relinquat. Nam ex his principijs omnia alia iura moraliaque præcepta, uti iam diximus, defluunt & ad hæc rediguntur, & secundū eorum normā cuncta iusta aut iniusta iudicamus. Nihil siquidē quod ad bonos mores pertineat illis inueniri nō potest contrariū. Quin imō omnia moralia sunt eis propria & in ipsis tanquā in primis principijs corroborantur. Propterea christiana religio quicquid de uirtutibus ac moribus philosophi doctissimi que uiri scripserūt facilius, uberius sanctiusque cōplexa est, & quæ ab illis ignorata uel prætermissa sunt tā diuina quā naturalia exquisitissime & cumulatissime auxit. Cōsilia quoque addidit, ut melius præcepta seruentur. Nam cum tota uita christiana ad diuini amoris perfectionē tendat. Quæ sine puritate cordis terrenarumque affectionū purgatione haberi non potest, omnia dei præcepta legesque bifariā distinguunt. In affirmationē scilicet ac negationem. Præcepta igitur affirmatiua perfectionē charitatis attendunt. Negatiua autem puritatis integritatem. Ad utrunque uero possunt consilia pertinere. Est enim consiliū non præceptū, ut qui perfectus esse uelit, uēdat omnia quæ habet & det pauperibus, pauperemque Christi sequatur. Ut cœlibē ac continentissimā uitam ducat, utque religiosi alicuius patris obediētiae subditos ab affectibus cupiditatis & gloriæ totiusque superbiam, nec

biæ, nec non uoluptatis & rerum exteriorum sese procul amoueat & emundet. Consulitur quoq; ad perfectam charitatem acquirendam, ut se diuino cultui in perpetuum dedicet, quotidie diuinas laudes celebret, sæpissime orret, plurimãq; alia peragat, ad quæ nemo aliam ob rem tenetur nisi ut supremum perfectionis apicem charitatisq; attingat. Ex quibus omnibus manifestum est christianam religionem in cunctis ad eò ordinate sapienterq; quo ad moralia spectat procedere, ut nihil in compositum, nihil non probandũ admittat. Eiusq; efficacitæ in docendo esse, ut efferatos homines plerumq; tam mansuetos quam sunt agni efficiat. Libidinis uero atq; auaritiæ sordibus inuolutos miro candore renouet ac exornet. Vt iam lucè clarius sit nullam philosophorum scholam nullam uè aliam religionem eiusmodi attulisse doctrinam tales uè fructus hominibus peperisse. Quin imò tantum ab hac nostra distare quam terræ centrum à summo distat cœli conuexo, quantumq; tenebræ ab ipsa differunt luce.

*iudiciale ecclesiæ doctrinam maxime rationabilem esse. Cap. VIII.*

**R**eligionem insuper nostram pari esse ratione in iudicialibus extolendam facile demonstrabimus. Cum enim in unoquoq; sit dare unum primum quod sit aliorum mensura: In genere legum primam ponimus eam, quam nuncupamus legem æternam. Quæ scilicet omnium est actionum monitionumq; diuinæ sapientiæ ratio directiua. Vnde omnes aliæ leges deriuantur. In omni enim ordinata motione oportet uirtutem secundum mouentis à mouente primo deduci. In gubernantibus item primam rationem gubernatoris ad propinquiorem descendere. Lex autem ut regula & mensura dupliciter esse in aliquo potest. Vno modo sicut in dirigente ac mensurante. Alio modo sicut in directo & mensurato, unumquodq; enim quatenus regulæ uel dimensionis est particeps, ita demum dirigetur ac mensuratur. Cum ergo omnia diuinæ prouidentie subiiciantur, manifestum est eadem aliquo modo in æternæ legis participatum admitti. Quatenus inquam ex eius characteris impressione ad actus finesq; proprios inclinantur. Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori modo diuinæ subiacet prouidentie, prout illius fit particeps, eamque pro se & pro alijs exercet. Hæc uero legis æternæ participatio in rationali creatura lex dicitur naturalis. Quæ est naturalium præceptorum in intellectu uel uirtute, uel etiam habitu congregatio. Horum nanque præceptorum radix lumen est rationis naturalis diuinitus impressum. Cuius uirtute quedam sunt nobis tam in speculatiuis quàm in practicis per se nota, quæ in speculatiuis quidem prima principia, in practicis autem potiora præcepta uel primas ac naturales leges appellamus. A quibus tanquam à principijs per se notis leges alias bifariam ducimus. Vno modo sicut ex manifestis principijs conclusiones. Altero sicut aliquorum prudentum decreta cõmuniter probata. Primus quidem modus illi similis est, quo

est, quo demonstratiue scientiarum cōclusiones ex principijs inferuntur. Secundus uero illi, quo in artibus formæ communes ad aliquid specialiter applicatur. Velut sapiens architectus formam edificiolorum cōmunem ad hanc uel illam determinat domus figuram. Quædam ergo à communibus principijs legis naturæ per modum conclusionis habentur. Ut ab hoc præcepto non occides, elici potest nemini uenenum esse dandum. Quædam uero per modum determinationis. Sicut lex naturæ iubet ut qui peccat puniatur. Sed quod illa uel alia pœna plectatur non fit secundum determinationem legis naturæ. Ideoq; hoc prudentum arbitrio relictum est. Ut scilicet id determinat, quod bono communi nouerint expedire. Huiusmodi uero leges humanas aut aduentitias aut positiuas uocamus. Pro locorum nanq; ac tempotū ratione ad cōsiliū sapientis prout cōmune bonum exigit, uariantur. Non enim omnes homines eisdē legibus positiuis et institutis gubernari possunt. Lex tamen naturalis apud omnes nationes eadem & immobilis perstat. Leges quoq; particulares ab ea per modum cōclusionis manantes minime immutantur. Ex ueris nanq; principijs ortam conclusionē ueram esse oportet. Verum quia ad humanæ uitæ directionē lex naturalis minus sufficebat. Alterius adminiculo, quod diuina lex est, indigebamus. Cuius rei necessitas, licet ex superioribus colligi possit, hoc tamen loco etiam confirmabit. Primo siquidē homo per legē dirigitur ad actus pprios in ordine ad ultimū finem: Sed homo ordinat ad finem supernaturalē, ut superius est probatum. Ergo præter legē naturalē, quæ metas suas transgredi non potest, requiritur lex superior, pro homine in finē supernaturalē, qualis diuina est lex, dirigendo. Item ppter intellectus nostri debilitatē quādo quis ad particularia uertitur, in multas incidit difficultates: Hinc diuersa iudicia & cōtrarię inuicē leges sepe resultāt. Quia propter homines crebro cœcutientes quā in partē inclinēt, ambigūt, quanq; eligāt uitę semitā ignorant. Necesse igit fuit aliquā illis certā legem dari ex alto, quæ ipsos de pertinētibus præcipue ad salutem redderet certiores. Præterea lex humana mala omnia punire seu prohibere nō potest. Plura em̄ indigna permittit, ne peiora sequant. Oportuit ergo aliqua lege moneri homines se diuini iudicij pœnas non euasuros si ex humanæ legis impunitate ea, quæ minus deceant, egerint. Humana insuper lex minime de internis occultisq; facinoribus sed tātum de apparentibus diiudicat. Quia de absconditis incertum est fallaxq; iudicium: Necessario igitur lex fuit qua interius homines à peccatis cohiberētur. Ut omni ex parte penitus consummati ad finē omnino suum peruenirēt. Hanc ergo legē dicimus esse diuinorū præceptorū collectionē à supercœlesti gratuitoq; fidei lumine procedentem. Quin imò asserimus ipsam esse spiritus sancti gratiam, quæ lumen est supernaturaliter infusū, à quo omnia diuinę legis præcepta pauloante in moralibus cōmemorata ducūtur. Ab illis itaq; præceptis alias particulares leges

leges deducimus. Sicut de naturali lege dictum est, per modum scilicet conclusionis aut determinationis. Quas ius pontificium seu canonicum appellamus. Sicut particulares leges à naturali fonte profectas ciuile ius dicimus. Itaque per leges diuinas & ius pōtificium sacerdotes ac clerici & quæ ad ipsos pertinent iudicantur. Per leges autem naturales iusquæ ipsum ciuile de populo de quæ secularium caulis decernimus. Sciendum uero est legem diuinam ac naturalem sibi minime aduersari. Sed sicut gratia perficit naturam ita lex diuina perficit naturalem. Vnde quicquid est de iure naturali, etiam esse dicimus de iure diuino, sub quo illud cōtinetur. Præcepta enim quatenus à naturali lumine procedunt naturalia appellatur. Quatenus uero à lumine supercœlesti proueniūt & à gratia supernaque charitate perficiuntur in ius diuinum transeunt. Non autē uicissim quicquid est iuris naturalis appellationis suscipit commutationem. Pleraque enim nostra mandat religio, quæ naturali ratione indagari non possunt. Vt ea quæ superius de fide transegi mus, & quæ de sacramentis inferius subtexemus. Religio itaque christiana his legibus gubernatur, nil quod consonum, spernens, nil quod dissonum sit admittēs. Neque enim philosophorum imperatorumque gentilium aut barbarorum bonas & rationabiles leges despicit. Sed ex omnibus codicibus, doctrinis ac monumentis sibi colligit quicquid boni uerique reperitur. Afferēs omne uerum ac bonum à deo esse, ideoque sibi proprium ac legitimum. In erroribus autem fabulis, uanitatibus ac mendacijs eliminandis ad eum solers ac diligens est, ut libros uel in honorem sanctorum suorum æditos, de quorum autore satis non cōstet, uix rarissimeque suscipiat. Quin & errores alios ubique terrarum corrigit & emendat. Quod sicubi aliquando sunt qui particulari lege uel instituto ab ipso recto declinent, pontificique aut ciuili iure abutatur, non id quidem christianæ religioni, sed peruersis est hominibus tyrannisque imputandum. Nam & in hos ipsos censuris ac maledictionibus ecclesia fulminat. At uero deum non omnes timent, neque re ipsa christiano respondent nomini dum illius imperio minus obediunt rebellesque sunt. Sed nos quæ de iudicialibus christianæ religionis dicta à nobis sunt, satis esse ad eorum probabilitatem ac commendationem pro susceptæ rei modo arbitramur.

*Ecclesie sacramenta conuenienter à Christo instituta fuisse. Cap. XIII.*

**D**E ratione autem ceremoniarum ultimo nunc est agendum. Inter quas sacramenta obtinet principatū. Ad ea siquidem reliqua & ceremonialia referuntur. Primum itaque ostendamus diuina sacramenta esse in ecclesia dei rationabiliter instituta. Hinc enim protinus apparebit non oportere nos in reliquis ceremonialibus probandis laborare. Cū igitur Christus per humanationem, passionem ac mortem uniuersalis humanæ salutis causa sit, ut superius indicatum est: Cumque uniuersalis etiam uirtus in naturalibus rebus ad effectus particulares non nisi per particulares causas applicetur.

cetur: Cōueniens ac rationabile fuit: Vt aliqua remedia loco particularium causarum nostræ salutis inuenirentur. Quæ uirtutem nobis uniuersalis causæ copularent. Huiusmodi autem ipsa sunt sacramenta. Sicut autem secundæ causæ primæ sunt instrumenta, & particulares uniuersali deseruiunt: Ita & hæc sacramenta ipsius Christi media instrumentaque sunt ad nostræ salutis operationem. Quoniam uero ad principalem suam causam requiritur instrumentorū proportio, congruum fuit ut sacramenta hæc sub signis manifestisq; uerbis traderentur. Nostræ enim salutis causa uniuersalis est uerbū dei incarnatum. Rite ergo institutum est, ut ad uisibile elementum uerbū accedens sacramentum efficiat uelut ipsius uerbi incarnati particularem causam uel instrumentum. Id etiam homini competit, qui inuisibilia per uisibilia cognoscit. Quoniam uero, ut sæpe dictum est, absq; gratia salutem nemo consequi potest, conuenit pariter, ut hæc sacramenta instrumentaliter conferant gratiam, non ita tamen intelligendo, ut eorum uirtus ultimū ipsius gratiæ inducat effectum, sed eo modo, quo sol & homo generant hominem, qui tamen ad animam intellectuā non attingunt eo quod ipsa per creationem extrinsecus ueniat, neq; de potentia materiæ educatur, instrumentū enim duplicem gerit uirtutem, unam ex propria forma, ut serra, quia ferream & dentatam formam habet, secatur. Alteram ex motu & uirtute principalis agentis. Vt eadem serra ab artifice mota scamnum informat. Scire tamen oportet instrumentum etiam per uirtutem principalis agentis non semper ultimum effectum attingere. Sicut sol & homo, qui sunt primæ causæ instrumenta, usq; ad producendam intellectuæ animæ essentiam non perueniunt. Sed ad ultimam solum dispositionem materiæ & ad animæ intellectuæ cum corpore unionem. Ita & nos etiam dicimus quod cum gratia supernaturale sit donum quod à nulla creatura sed à solo deo præstari potest, idcirco sacramenta nec per propriam uirtutem elementi sensibilis, nec per uirtutem acceptam à principali agente, qui est Christus, usq; ad esse gratiæ inclusiuæ attingunt. Sed ad ultimam eius dispositionem. Quam characterem uel ornatum Theologi uocant. Quod autem hoc modo Ecclesiastica sacramenta conferant gratiam signū est eorum uitæ commendatio, qui se his sacramentis deuote subiiciunt, subitaq; ipsorum à uitijis ad uirtutes digressio, ac continuū spiritualis uitæ incrementū. Quod tanto magis coalescit quanto quis humiliter ac purius hisce utitur sacramentis. Cum autem de hoc effectu salutis superiori libro dixerimus, hætenus hoc loco dicta sufficiant.

Numerum sacramentorum rationabilem esse. Cap. xv.



Via ergo Christus salutis nostræ uniuersalis est causa uitæq; spiritualis per gratiam, qua deo uiuimus, nobisq; per corporalium similitudinem spiritualia traduntur, quatenus humanæ congruit conditioni: Neesse est distinguere hæc particularia remedia Christiq; instru-

S      menta ad



menta ad uitam spiritualem ac ad nostrā salutem ordinata iuxta eorum simi-  
 litudinem, quæ ad corpoream uitam ordinantur. Primum autem ad uitam  
 corporis ordinatum est generatio, qua uiuens uitam acquirit. Secundum est  
 augmentum, ut ad debitam corporis proceritatem roburq; perueniat. Ter-  
 tium est nutrimentum, sine quo nec cōseruari nec augeri posset. Idcirco ani-  
 mæ uegetatiuæ tres ascribuntur uirtutes, generatio uidelicet augmentatio  
 & nutritio. Quoniam uero quandoq; animalæ grotare contingit, oportuna  
 medicinæ remedia ad illius curationem natura adinuenit. Cumq; animalis  
 generatio non sit absq; generare, oportet etiam in natura esse genitores, ut  
 species indiuiduorum conseruentur. Sic ergo & in uita spiritali primū ne-  
 cessarium est baptisma. Per quod homines in peccato originali & sine gra-  
 tia nati, ut iam diximus, regenerentur in Christo, & spiritalis initiū uitæ for-  
 mamq; accipiant. Quemadmodū autem ex opaca genitricis aluo in lucem  
 hanc prodeunt, ita è tenebroso seculo in claritatē ecclesiæ & in sacratissimū  
 templum introducuntur. Secundum est confirmationis sacramentum, per  
 quod iam in Christo renati stabilinētum solidumq; robur suscipiunt. Quia  
 militia est, uita hominis super terram, & oportet nos per multas tribulatio-  
 nes introire in regnum dei. Tertium nutrimentū spiritalis est sacramentum,  
 quod Eucharistiā uocamus. In labore enim multiplici assiduq; cōflictu de-  
 ficeret corpus inedia, nisi iterato cibo reficeret. Sic & in spiritali certamine  
 Christianus miles deficeret, nisi spiritali alimonia crebro reficeret. Quartū  
 est pœnitentiæ sacramentū, quod institutū est ad spiritalē sanitatē recupera-  
 dam. Sicut em̄ in acie dimicādo plerunq; corpus uulnerat, statimq; oportet  
 na medela adhibet, ne pereat. Sic & in spiritali pugna uulneribus acceptis  
 mox curandū est, ut per salutiferū pœnitentiæ medicamentū ea sanentur, ne  
 letalem exitū quo quomodo inducāt. Quintū est unctionis extremæ sacra-  
 mentū. Quod etiam ipsum ad animæ & corporis pertinet sanitatē. Cōtingit  
 enim quandoq; corporis infirmitatē ob peccatū ab anima puenire. Quo cō-  
 pto tunc per sacræ unctionis uirtutē in animā transfusam pristinæ sanitati re-  
 stituit infirmus. Sed ex egritudine quoq; corporis tabescit anima organis lu-  
 is languentibus præpedita. Ne bonis operibus & contēplationibus uacare  
 possit. Ideoq; hoc charismate sota uigorē assumit, præparaturq; ad faciliore  
 ex hac uita in eternā uitā migrationem. Sextum est ordinis, idq; ad spiritalē  
 pertinet propagationē. Septimū est coniugalis copule sacramentū ad carna-  
 lem propagationem, hoc est, sobolis ordinatū, sine qua spiritalis multiplica-  
 tio deficeret. Nam propagatores administratorēsq; corporalis uitæ secun-  
 dum duo considerant, id est, secundū originem naturalē, quæ ad parentum  
 geniturā pertinet, & secundū regimen politicū, ut hominū societas pacifice  
 conseruetur, id quod ad reges ipsos ac principes spectat. Ex his ergo patet  
 quam decenter ecclesia ac consulto septem instituerit sacramenta.

Ritus sacramentorum conuenientes ac rationabiles esse. Cap. XVI.

**C**onuenienter etiam nostra religio signa horum sacramentorū materiamq; instituit. Cum enim generatio sit mutatio de non esse ad esse, homōq; in ortu suo propter originale peccatū sit spiritali uita priuatus, a qua tanto amplius recedit, quanto alijs peccatis fuerit magis implicatus, oportunum ac congruū fuit, ut baptismo, qui spiritalis regenerationis est lauacrum talis tantāq; daretur uirtus, quæ peccata omnia tolleret, hominēq; ipsum ad spiritualem uitam prorsus transferret. Et quia signum respondere debet significato. Sordium uero ablutio in corporibus fit per aquam, conueniens sanè fuit ad significandam efficiendamq; spiritualem peccatorum abluitionem, ut per aquam potissimū sacramentum hoc fieret uerbo dei sanctificatam. Et sicut semel tantum res una generatur: Ita rationabiliter ab ecclesia institutum est, ut collatum semel baptisma iterari non possit. Sed quia perfectio spiritalis uigoris intrepida & constanti cōfessione Christi consistit, ut nec confusione, nec terrore, nec uiolentia christianus inde desistat: Ideo sacramentum proximum, quod confirmatio nuncupatur, tradit ecclesia. Quemadmodum uero belligerantes sub uexillis principū militant, eorumq; insignia palām gestant. Sic qui hoc sacramentum suscipiunt, signo crucis, in quo Christus pugnādo triumphauit, insigniti procedere in aciem debent ac strenue dimicare. Idcirco autem fronti signū hoc affigitur oleo & balsamo delibute, ut indicetur eos qui ita sunt insigniti, nihil prorsus erubescentes inuidiosissimi ducis Christi Iesu crucem sanctissimā prædicare debere: Nec indignū tanto munere quicquā committere. Ut etiam innotescat oleo scilicet spiritus sancti dono cōscientiam emūdante ac illustrāte intus eos perungi. Quo uidelicet primū Iesus est unctus, qui ab unctiōe, Christi nomē accepit. Hinc enim significatur erubescendū non esse, imò potius gloriandum ab autore Christo christianos nos appellari. Ad eiusq; honorem piā sanctamq; uitam instituisse, ut per bonā conuersionem suauissimūq; bonæ famę odorem instar balsami circumquaq; fundamus. Iure etiam sacramentum hoc à solis pōtificibus irrogat tanquā à ducibus christiani exercitus. Ad solos enim duces etiam in humanis pertinet rebus proprijs insignibus aliquos donare, militaribusq; stipendijs autoratos ornare. Quoniā uero cibus spiritalis nobis sub corporali similitudine cōmendatur, idoneum fuit ut sub illorum alimentorum specie nobis exhiberetur, quæ in cōmunem usum magis recipiuntur. Cuiusmodi sunt panis ac uinum. Ideoq; sub eorum uelamine Eucharistiæ sumimus sacramentū. Et quia oportet nutrimentū secundū substantiam cōiungi nutrito, ut corporeis signis spiritalis effectus respōdeant, expediens fuit ut Christus spiritalis nostra resectio non solū in hoc sacramento secundū uirtutē sed secundū ueritatē assisteret, ut uidelicet ipse nobis spiritaliter nos eidē mutuo per fidem & amorē ita cōiungamur ut cum eo unū

S a quodammodo

quodammodo efficiamur. Ut autem passionis eius memoria distinctius recolatur, qua sanguis à corpore in redemptionis nostrae pretium large effusus se paratusque est: Non immerito bifariam sacramentum hoc uidelicet corpus sub specie panis, sanguis sub uini specie ministratur. Quia autem corporis infirmi curatio quandoque ab intrinseco penitus quandoque ab intrinseco coniunctamque extrinseco prouenit, oportet & in spirituali quoque cura simile aliquid obseruari. Verum ab intrinseco tantum, id est, propria uirtute spiritualiter quatenus sanari impossibile est. Quia nemo potest à peccato sine gratia quam solus dat deus, uirtute propria redire. Nec etiam potest quis ab extrinseco prorsus spiritualiter curari. Non enim mens aegra conualesceret, nisi ordinatus uoluntatis motus in homine prodiret. Oportet ergo in poenitentiae sacramento salutem ab interiori & exteriori principio simul prouenire. Sicut autem sublatis cunctis à corpore morbi in commodis liberatus omnino quis iudicatur ita spiritualiter infirmus recte curatus dicitur cum ab omnibus animi noxiis & detrimētis expiatus est. Nam propter peccatum obliquitatem mentis homo primum incurrit, dum ab incommutabili bono, id est, deo ad peccatum conuertitur. Secundo reatum poenae, quae pro qualibet culpa à iustissimo deo rependitur. Tertio naturalis boni diminutionem. Lapsus enim in crimen homo ad reciduum quidem malum pronior, ad bene autem operandum tardior efficitur. Propterea & quae pensatione sacramentum poenitentiae est salubriter efficitur. In quo primum requiritur mentis ordinatio ut peccati poenitens firmo deinceps abstinendi proposito ad deum à quo recesserat, reuertatur. Haec autem mentis ac rectitudinis integratio absque diuinae gratiae charitatisque munere haberi non potest. Ideoque in poenitentiae sacramento primam partem contritionis iure dicamus. Quae cum gratiae non sit immunis, manifestum est in hoc sacramento continuo tolli, quod homo incommodum oblique mentis errantisque peccando incurrerat. Subsequens quoque damnum remouetur, poenae uidelicet aeternae reatus: Qui cum gratia & charitate permanere non potest. Tertio insuper uitatur peruersi habitus contagium. Dum per gratiam acquiritur tam ad bene agendum mens prompta facilisque & ad superandum ac fugiendum malum fortis insurgit. At quoniam haec bonae mentis dispositio ad deumque conuersio non eadem omnibus contingit, plerumque enim in quibusdam non eius uehementiae reperitur, ut omnem peccato debitae poenae reatum deleat, quamuis semper eos eximat à supplicij aeterni obligatione: Idcirco deus benignus & clementissimus pater reliquas poenitentiae partes confessio- nis, scilicet ac satisfactionis iniunxit. Cumque nemini constare possit an ipsius ad deum conuersio reatum omnem extinxerit, humana praesertim quotidie fragilitate peccate, omnibus remedium est concessum ad eam poenam euitandam. Quae pro culpa remanet post ipsam contritionem. Et quae illatio poenae pro culpa iudicium aliquod exigit, poenitentem oportet, qui se sanandum Christo committit, in

fit, in taxationem pœnæ illius iudiciū expectare. Quod quidē per suos ministros exhibet, sicut cætera sacramēta. Verū cum ignorata culpa rectū iudicium pferri non possit, necessaria cōfessio fuit, tanquā pars huius sacramēti secunda, ut quod latebat uulnus iam patefactū corā Christi ministro oportu-  
nā recipiat curationē. Nemo siquidē propria in causa æquus est arbiter. Oportet autē si confessio hęc iudicio subijci: Christi ministrū iudiciariā habere potestātē. Ad quā duo requirunt. Primum autoritas cognoscēdi & inquirendi de culpa. Secundū absoluendi & condēnandi potestas. Quæ geminæ clauēs ecclesiæ appellant. Videlicet autoritas cum scientia discernendi, nec non ligādi solūēdiq; facultas. Quia ergo (ut dictū est) sacramēta gratiā instrumentaliter cōferunt: Certū est uirtute clauū pleniorē concedi effectū ipsius gratiæ remissionisq; quā sola cōtritione. Quarū etiam beneficio ab absoluentibus Christi ministris aliquid de tēporanea, quæ remanserat, pœna dimittitur pœnitēti. Is tamen iniuncta sibi satisfactione ad residuū obligat. Quæ tertia pars est sacramenti pœnitentiæ. Itaq; patet id ipsum optime fuisse institutum. Extrema deniq; unctio rationabiliter instituta fuit. Cum enim in peccati punitionē sæpe à deo mittat infirmitas, ex qua simul (ut iam cōmemorauimus) sensibus præpeditis spirituale detrimentū resultat, conueniens fuit alii cuius medelæ exhibitionē afferri. Per quā ipsi egrotō sanitas corporis, quatenus ea ad salutē eius animæ conferat, restituat. Alioquin uero facilior & purgator fiat illius ex hac uita migratio. Quāuis enim per pœnitentiæ sacramentū reatus pœnæ auferat, non tamen usq; quaq; prorsus extinguit. Nec semper procliuitas ad malū præsertim morbi grauitate laborātibus extirpatur. Quia uel ob negligentia, uel ob dolorū tormenta, uel ob breuitatis uitæ anxietatē uel ob alias occupationes à peccatorū reliquijs haud perfecte mūdantur, nec ea plene confitent. Dum interdum minus ipsis nota sint, uel plerūq; memoria exciderūt. Quamobrē magno est iuuamento extrema hæc unctio, quasiq; totius spiritualis medicamēti cōsummatio. Vnde extrema merito dicitur. Qua homo ad percipiendā gloriā preparatur. Ut nihil egrediēti animæ obstat, quin mox ad uitā cōualet æternā. Quēadmodum autē non est opus recte ualentibus medicina: Ita huiusmodi sacramentū non nisi infirmis, ex cōiectura iam prope mortis articulū positis dari consueuit. Debet enim in sacramentis seruari significatio. Propterea cōuenienter pro illius spiritali materia sumit oleum. Quod etiā efficax est ad leuādas corporis dolores ac mitigandos. Quia uero corporis curatio infirmitatis origini adhibenda est: lute hac unctioe partes illę corporis inunguntur, quæ potiora sunt instrumēta peccādi. Ex his enim peccati languor exoritur. Ut sunt corporis sensus & manus ac pedes quibus peccatorū opera exercent. Et secūdum quorundā consuetudinē, renes. In quibus uis libidinis uiget. Ordinis etiam sacramentū pari ratione constitutū est. Quia enim Christus præsentia suam

uisibile ecclesie subtraetur erat. Necessarium fuit ut alio sibi subrogaret mi-  
 nistros, qui sacramenta fidelibus dispensarent. Cum uero ita ministri ad do-  
 minum, ut instrumentum ad agens principale comparentur, ad quod oportet in-  
 strumentum id habere proportionem. Cumque ipse Christus ueluti dominus pro-  
 pria autoritate atque uirtute nostram operetur salutem. Sicque deus & homo. Expe-  
 diens ac necessarium fuit. Ut huic ministerio homines non angeli tanquam idoi-  
 nea instrumenta substituerent. Qui diuinitatis aliquid secundum portionem spi-  
 ritualis iurisdictionis participarent. Principalis enim agentis uirtus instru-  
 mento communicari debet. Data est ergo discipulis Christi spiritualis pote-  
 stas, ut essent idonei ministri salutis aeternae, & ut posteris etiam seculis pari  
 beneficio consulere, & quum fuit ipsis decedentibus ad successores eandem auto-  
 ritatem ad orbis usque consummationem transire. Quibus sub sensibilibus signis  
 eam conferri decuit. Quandoquidem sub istis spiritualia nobis tradunt. Huiusmo-  
 di autem sunt quaedam formae uerborum determinatiq; actus. Vt puta manus im-  
 positio, correctio libri uel calicis, & id genus alia eorum ministerio congruen-  
 tia. Quia insuper ordinis potestas ad dispensationem sacramentorum instituit,  
 inter quae nobilissimum aliorumque perfectiuum est Eucharistiae sacramentum, ipsam  
 ordinis potestatem oportet secundum comparisonem ad illud praecipue conde-  
 rari. Vnumquodque enim a fine denominatur. Sciendum est autem quod potestas, quae  
 ad aliquem principalem ordinatur effectum, nata est habere sub se inferiores potesta-  
 tes sibi inferuentes. Sicut architecti potestas ad potissimum effectum seu finem  
 domus respiciens sub se habet camentariam, lateritiam, tignariam, fabrilemque ar-  
 tem. Quia igitur ordinis potestas ad corpus Christi consecrandum ac fidelibus  
 dispensandum ad eosque purgandos principaliter deputatur: Ut apti dignique sint  
 ad tanti sacramenti susceptionem, aliquem esse principalem ordinem oportet,  
 cuius facultas ad hoc praecipue destinatur. Huiusmodi autem est sacerdotalis  
 gradus, cui caeteri ordines subesse & ministrare debent. Et sicut sacerdotum offi-  
 cium ad duo se extendit, uidelicet ad corporis Christi consecrationem, ad fide-  
 liumque purgationem, ut hi a peccatis absoluti ad perceptionem Eucharistiae red-  
 dantur idonei: Ita inferiores oportet ordines in utroque uel in altero tantum ob-  
 sequium illi praestare. Qui quidem ordines tanto se gradatim excedunt: Quan-  
 to sacerdotali ministerio in pluribus uel in aliquo digniori officio suppedi-  
 unt. Infimi igitur populo tantum praeparando incumbunt. Ostiarii quidem  
 infidelibus a coetu fidelium coercendis. Lectores instruendis in fide erudien-  
 disque cathecuminis. Exorcistae uero daemones abiurandis & ab istis, qui in-  
 structi iam sunt procul expellendis. Superiores autem ordines ad praeparationem  
 populi consummationemque sacramenti sacerdotio subministrant. Acolythi enim uasa non consecrata procurant, & in his sacramenti materiam  
 praeparant. Subdiaconi materiam nondum consecratam in uasis iam sacris  
 disponunt, Diaconi uero ministerium habent super materiam iam consecra-  
 tam, quatenus

tam, quatenus Christi sanguinem fidelibus dispenset. Propterea hi tres ordines sacerdotalis uidelicet, Diaconatus & Subdiaconatus sacri dicunt, quia super aliquo sacro officium acceperunt. Superiores quoque hi ordines ipsi sacerdotio in populo præparando deseruiunt. Vnde Diaconis quidem Evangelica doctrina in ecclesia pronuntianda: Subdiaconis uero Apostolica demandatur. Acolythi uero quæ ad solennitatem doctrinæ pertinent, utrisque exhibent, ut luminaria sunt cæteraque ad idem spectantia. At quoniam horum ordinum collatio quodam sacramento perficitur. Sacramenta autem ab idoneis ecclesiæ ministris dispensari debent, necesse est supremæ alicuius dignitatis potestatem talibus dispensandis præesse. Eaque est Episcopalis autoritas. Quæ quidem sacerdotalem metam quo ad corporis Christi consecrationem non excedit, licet quo ad ea, quæ ad totum ecclesiæ corpus spectant superemineat. Nam quicquid ardui cœtu fidelium occurrit, epistolis referuatur. Et quamuis diuersæ christianorum dioceses pro sua quæque necessitate diuersos habeant Episcopos: Quia tamen una est ecclesia quæ ad unum tendit, totius populi christiani caput unum esse oportet: Ad quod communi consensu omnia referantur. Vt omnes pariter in unam fidem catholicam conueniant. Ne per opinionum sententiarumque diuersitatem pestiferum scisma obrepat. Sed concordia potius scedere per unius sententiam christiana respublica conseruetur. Quod autem per consecrationem alicui rei acquiritur, in ea perpetuo permanet. Vnde nil consecratum iterum consecratur. Ideoque ordinis potestas ministris ecclesiæ simul concessa indelibilis est, nec per peccatum demitur. Idcirco possunt sacramenta à peccatoribus ministrari dum modo sint ordinem consecuti. Neque enim ex hoc illa inficiuntur, aut efficaciam minus habent. Quia in Christi uirtute non autem propria consecrantes agunt. Quod autem in uirtute alterius agit, non sibi sed principali agenti simile reddit patiens. Non enim domus instrumentis artificis, sed arti eius assimilatur. Denique quia populum fidelium propagari usque ad finem mundi oportuit, quod fit per generationem. Merito conjugale sacramentum adhibitum est, ut ipsa generatio non tam ad humanæ speciei conseruationem, uel ad alicuius publici boni terrenam utilitatem quam ad ecclesiæ perennitatem multiplicandosque fideles in honorem dei ordinaretur. Maris igitur ac feminae copula in quantum ecclesiæ bonum concernit uerum est coniugium ac ipsius ecclesiæ sacramentum. Ideoque per sacerdotes nubentibus benedicuntur. Et sicut in alijs sacramentis per exteriora spirituale aliquid figuratur gratiaque ipsa cõfertur, ita in hoc sacramento per maris feminaeque connubiū Christi ecclesiæque coniunctio & interuentus gratiæ significat. Quod non in corporum copula, sed in uinculo animorum, dum sese mutuo obligant, est intelligendum. Cumque ipsi figurato figuram respondere oporteat, unumque tantum sit Christus & una ecclesia, necesse est prout coniugium est ecclesiæ sacramentum,

quod fiat unius ad unā inseparabilis in uita cōnexio, ut inde suscipiat educe-  
turq; proles ad cultum dei & ipsius ecclesie perennitatem. Patet itaq; circa  
principalia cerimoniarum mysteria, quæ sunt sacramenta, nihil esse impossi-  
bile uel irrationabile à fidelibus institutum.

*solutionis obiectionum circa sacramentum Eucharistie. Cap. XVII.*

**V**erum quia circa Eucharistie sacramentum plures ac maxime diffi-  
cultates oriri solent, & de ipso hic specialibus est agendum. Cum  
presertim quibusdam ea in illo ponere, quæ impossibilia sunt, uidea-  
mur. Credimus enim & confitemur in parua panis buccella totum Christi  
corpus, itemq; in modico uino totum eius sanguinem cōtineri. Cum autem  
credamus Christi corpus esse in cælo, non uidet per consecrationē in hoc  
esse sacramento realiter posse, nisi duobus modis, per conuersionē uidelicet  
panis in Christi corpus, quod ipsum impossibile uidet. Quia nihil conuertitur  
in præexistens, & id in quod aliquid cōuertitur per huiusmodi cōuersio-  
nem esse incipit. Si ergo panis conuertitur in Christi corpus, tunc primū &  
non antea Christi corpus esse incipiet. Atq; ita id corpus non esset quod est  
in cælo. Sed aliud nouiter productū. Vel est in hoc sacramento per motū lo-  
calē. Quod etiam impossibile uidet, tum quia esset in duobus locis, in cælo  
uidelicet & in sacramēto, uel desineret esse in cælo. Tum quia motus localis  
ad plura simul loca terminari non potest. In ecclesia uero cōtingit multas si-  
mul hostias cōsecrari. Tum q̄a unum corpus non potest simul pluribus in lo-  
cis existere. Quomodo præterea potest totū Christi corpus in tam angusto  
spacio cōtineri? Quomodoq; potest in panis buccella esse Christi corpus, &  
in modico uino sanguis sine illius diuisione? Cum insuper ecclesia cōfiteatur  
ibidem accidētia remanere sine subiecto, impossibile item uidet, q̄a acciden-  
tia subsistere nequeunt, cum accidētis propriū sit inesse, presertim quod ex-  
perientia cōpertum est panē illum sacramentalē uinumq; ea agere atq; pati,  
quæ accidētia per se non possunt, nā & calefaciunt, cōfortant, nutriunt, & eti-  
am uinū, si largo potu sumeret, ebrietate afficeret. Cōburitur quoq; panis  
ac putrescit à muribusq; corroditur & pleraq; huiusmodi patitur. Præterea  
cum sacramentum hoc in plures sæpe particulas uel minutias diuidat, quo-  
modo ibi potest integrum Christi corpus remanere? His obiectionibus re-  
spondemus, quod (sicut prædiximus) ineffabilis dei potentia in immensum  
cogitatus nostros excedit. Quodq; & hominibus & naturæ ipsi sit impossi-  
bile: Deo facillimum est. Quanquam nil in hoc sacramento prorsus im-  
possibile, id est, implicans contradictionem esse asserimus. Quæcunque  
autem contradictionem non inferunt, ut in primo libro ostendimus, legitimi-  
me ab ipso deo fieri possunt. Dicimus itaque quod in modico pane ac uino  
Christi corpus ac sanguis uirtute cōsecrationis per cōuersionem nō per mo-  
tū localem esse incipit. Sed hæc conuersio panis in Christi corpus lōge alia  
est à na-

est a naturalibus cunctis conuersionibus, in quibus, semper manet subiectū. Sibiq; inuicem diuerse siue substantiales, siue accidentales formæ succedūt. In hac autem conuersione subiectū transit in subiectum, & accidētia permanent, quod ipsi nequaquā naturæ cōceditur. Omnis enim naturæ operatio materiam præsupponit atq; subiectū. Sed infinita uirtus diuina, quæ materiam non præsupponit, quin imò producit, ut hæc materia in illam conuertatur facere potest. Sicut enim per operationē naturæ materiā præsupponentis una forma desinit esse, altera in eadem superueniente materiā. Ita per diuinam uirtutē nullius materiæ adminiculo indigentē panis in Christi cōuertitur corpus, illiusq; efficiē caro. Cum ergo non sit in hoc sacramēto Christi corpus per motū localē, non est etiam in eo tanquā in loco. Sed solum est in cœlo tanquā in loco. In Eucharistia autē sacramentaliter est per modum indiuisibilē. Vnde in qualibet particula ab alijs diuisa totus est Christus. Non enim est in sacramento per modū extensionis, sed per alium mirabilē modū ipsi soli deo possibilē. Aliquid enim est in hoc sacramento ex ui cōuersionis, & hoc est corpus & sanguis sub speciebus panis ac uini. Quia ad hæc duo directe cōuersio terminat. Aliquid uero ex naturali cōcomitantia. Et hæc certa sunt Christo semper realiter coniuncta. Vt diuinitas, anima, quantitas & id genus alia, quæ non sunt corpus & sanguis. Cum igitur quantitas corporis Christi non sit in hoc sacramento nisi ex naturali cōcomitantia, non cōparat Christus ad locū ubi est sacramentū mediātib; dimensionibus suis, ut eis locū adæquari oporteat. Sed mediātib; dimensionibus panis remanentibus, quibus locus adæquat. Vnde Christus non existit in loco per se mediātib; proprijs dimensionibus, nisi in cœlo. Mediātib; uero panis dimensionibus erit in altari tanq; in loco per accidens. Atq; ita patet obiectionē illā cessare de pluralitate locorum. Cum non sit in altari tanquam in loco per se, sed per dimensiones panis. Quæ multiplicari possunt. Et hoc modo esse in pluribus locis non est inconueniens. Nec est etiam impossibile accidens uirtute diuina posse subsistere sine subiecto. Quia sicut deus producere potest quarumlibet causarum secundarum effectus sine ipsis causis secundis, cum ex nihilo queat res educere (ut superius declaratum est.) Ita potest effectus secundarum causarum sine ipsis conseruare. Potest itaque deus accidentia conseruare sine substantia quæ illa conseruabat. Quod quidem præcipue dici potest de quantitatibus dimensionibus. Quas etiam multi philosophorum hinc propter se subsistere posuerunt, quod secundum intellectum separantur. Manifestum est autem multo esse potentiorē deum in operando quam nos ter sit intellectus in apprehendendo. Habet quoque quantitas dimensionum hoc inter cætera accidentia, quod ipsa secundum se indiuidua est. Non enim apprehēdi multæ albedines possunt, nisi prout sunt in diuersis subiectis. Possunt tamen multæ lineæ etiam secundum se considerate apprehendi.

Diuerlus



Diuersus enim situs, qui per se lineæ inest sufficit ad linearum pluralitatem. Ideoq; dicimus in hoc sacramento solam quantitatem dimensionem uirtute diuina subsistere. Cætera uero accidentia in ea tanquam in subiecto fundari. Sicut ergo accidentibus ipsum subsistere: Ita eis facere omnia ac pati, que ipsa si adesset, substantia faceret & pateretur miraculo cõfertur. Vnde sine nouo miraculo nutrire potest, ebrietate afficere, putrescere & in cineres uerti. Et cum iam dictum sit Christi corpus sanguinem ex uicõuersionis per suam substantiam in hoc esse sacramento: Eiusq; dimensiones in eo ex naturali esse concomitantia, non est inconueniens totum Christi corpus sub qualibet huius sacramenti esse particula. Quando enim aliquod substantiale est in aliquo toto, etiam totum est in qualibet eius parte. Sicut tota anima est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Nõ igitur fractio uel diuisio corpus aut sanguinem Christi attingit: Sed solũ panis & uini dimensiones. Multæ aliæ difficultates circa hoc sacramentũ emergere possent. Sed hæc sunt præcipue, ex quarum solutione cõstat alias facillime solui posse. Quemadmodum nostri sacri doctores exactissime docuerunt. Vnde nihil de eo impossibile à catholica fide traditum affirmamus.

*Cerimonias ecclesie rationabiles esse. Caput XVIII.*



Via ergo Ecclesiasticorum rationem sanctorum reddidimus iam nõ erit difficile cæterarum ceremoniarum rationem pariter afferre. Verum quia singulas percurrere nimis prolixum foret. Quasdam principales breuiter attingemus. Ex quibus cuilibet constare poterit quecumque in ecclesia fiunt esse rationabiliter instituta. Posset autem indecens uideri, primum crucem ac imaginem Christi sanctorumque eius à nobis adorari propterea quod cultus hic rebus in sensibilibus exhibetur. Sed hanc obiectionem facile solui mus. Potest enim duplici ratione ipsa imago considerari. Vna quidem prout quædam res est ueluti aurum, argentum, seu lignum, uel aliquid aliud simile, quomodo neque crucem, neque sanctorum imagines adoramus. Altera uero prout imago est aliquid representans. Et quia idem est motus in imaginem in quantum imago est, & in rem ex imagine significatam, non est inconueniens si hoc modo imagines adoramus. Ita enim nõ res insensibiles, sed imagines colimus reliquiasque sanctorum. Quatenus in memoriam illi nobis per huiusmodi signa ac reliquias referuntur. Quod rectius dici potest sanctos à nobis in suis rebus & imaginibus adorari. Quemadmodum Cæsaris imaginem non eo quod talis res sit, sed quia illius imago est, serui eius honorant. Quod quidem nil aliud est quam ipsum Cæsarem uenerari. Vnde quemadmodum sanctos ita & ipsorum imagines adoramus. Crucem uidelicet crucifixumque adoratione patrie. At uirginis Marie matris dei imaginem adoratione hyperdulia. Aliorum uero simulacra sanctorum adoratione dulie. Huiusmodi enim effigies ad re colendam sanctorum memoriam, ad excitandosque eorum exemplo ad uirtutem sanctitatemque animos, erigendosque ad illorum suffragia pro nobis ad dominum imploranda

imploranda adinuentæ sunt. Picturæ quoque res eorum gestas exprimentes,  
 præcipue rudibus literarumque ignaris pro lectione succurrunt. Quoniam  
 uero inuisibilia dei per ea quæ facta sunt, intellectu cõspiciuntur, materiales  
 ecclesias ædificamus & consecramus. Vt tam lapides quam ligna ordõque &  
 structura omnis earum cœlestia insinuent sacramenta. Templaque manu facta  
 spiritualem ecclesiam, id est, Christum cum omnibus eius membris signifi-  
 cent. Vt per hæc etiam homo ex delectabili quadã comparatione ad diuinã  
 contẽplanda excitetur. Lapidēs siquidẽ singulos innuunt fideles stabilitate  
 fidei ac soliditate sustinendi quadratos. Cementũ charitas est eos coaptans,  
 cõglutinans atque uiuificans. Quos ne per aliquam discordiã inuicem discre-  
 pent, uniformiter equat. Primus lapis, qui fecit utraq; unũ, est Christus. La-  
 pis in quã angularis, super quo totius stant ecclesiæ fundamenta. Hęc autem  
 ipsi Apostoli sunt ac Prophetæ. Parietes tanquam fundamento innixi dedi-  
 tos cõtẽplationi significant. Tectum uero in uita actiua occupatos. In hoc  
 enim spiritali edificio cum primus lapis, id est, Christus Apostolique ac Pro-  
 phetæ in cœlo sint, tectũ non supereminet. Sed deorsum inuertitur. Id enim  
 uento, pluujs ac tẽpestatibus expositũ inter mũdanas uarietates ac turbines  
 uitæ tantũmodo actiue intentos in subuentione proximi figurat. Ecclesiæ  
 longitudo populorũ diurnitatẽ ostendit. Altitudo gradus inter se ac diffe-  
 rentiã meritorũ. Latitudo fidelium multitudinẽ toto orbe diffusam. Sanctuari-  
 um ordinẽ significat uirginum. Continentium chorus. Nauis cõiugatorum.  
 Arctius enim, & sacratius sanctuariũ est quam chorus, & chorus quam nau-  
 is. Illorũ etiã ordines sicut arctiores ita pauciorũ digniorumque sunt aliisque  
 alium supereminet. Atrium falsos denotat christianos qui baptizati & san-  
 ctificati extra oberrãt uitiorũ putredine ac corruptiõẽ sepulti. Altare Chri-  
 stus est, super quo non solũ bonorũ operũ, sed orationũ quoque sacrificia offe-  
 rimus in fine cuiuslibet orationis illud inferentes, per dominũ nostrũ Iesum  
 Christũ. Turris est sacre pagine specula & propugnaculũ. Vnde inimicorũ  
 insidias late pspicimus, hostilesque impetus ppulsamus. Cãpanẽ ex alto popu-  
 lũ aduocãtes sunt diuini uerbi præcones auribus populorũ sacre scripturæ  
 sonitũ ingerẽtes, eosque ad cœlestis patriæ nuptias inuitãtes. Pro fenestris do-  
 ctõres accipimus per quos diuina cognitio nobis illucet. Interior dealbatu-  
 ra parietis munditiã cordis indicat. Corporis exterior. Duodecim cerei qui  
 in cõsecratione tẽpli accenduntur, duodecim Apostolos referunt. Quorũ do-  
 ctõrina tota ecclesia perspicue illustrat. Duodecim cruces, ante quas lumina-  
 ria illa ponunt, innuunt Apostolos Christi crucẽ imitatos, hæc uniuerso orbi  
 prædicasse. Portæ ecclesie sunt sacramenta, quibus præcipue ex baptismo no-  
 bis aditus in ecclesiam patet. Ipsa porrò assidui luminis lãpas per uigilẽ spi-  
 ritus sancti, & irradiationẽ & gratiã, qua semper ecclesia uegetat, significat.  
 Aqua benedicta fontem lachrymarũ insinuat ad diluendas fidelium culpas.

Indumenta

Indumenta deniq; sacerdotum & ecclesie ministrorum, sacra uasa, concen-  
tus ipsi, aliarumq; rerum ordo certa ratione mysterioq; non carent. Quæ si  
prosequi singula uelimus, in immensum uolumen protraheremur. Hæc au-  
tem sufficere putamus. Vnde omnes facile discant christianam religionem  
nil impossibile, nil irrationabile, deniq; non modo nihil insulsum, sed nihil eri-  
am non admirabile continere. Qui hæc igitur scire uoluerint nostrorum do-  
ctorum attentius uolumina perlegant. Omniaq; diligenter examinantes de-  
mum cognoscent huiusmodi ecclesie cultum non ab hominibus, sed ab eo  
solum institui potuisse: Qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc  
mundum. Quod nos quotidiano experimento probamus. Viri namq; bene  
purgati hæc mysteria contemplando ita animo ad diuina tolluntur: Vt ple-  
rumq; sui obliti quasi stupidi extra se fiant.

## HIERONYMI SA-

VONAROLAE FERRARIENSIS DE

ordine procedendi, Liber IIII.

PROOEMIUM.



**Q**UPTAREM sanè omnes homines carnis sarcina paulatim expeditos sincero ac puro corde perdiscende ueritatis studio inflammari. Non enim ita difficile nobis esset cæcutientes eorum oculos aperire, ipsorumq; animos ad huiusmodi ueritatem cõuertere. Vnumquodq; siquidem ad suam perfectionem naturaliter inclinatur. Perfectio autem intellectus propriumq; eius obiectum ueritas est. Ideo quandoq; homines etiam inuiti tanquam natura coacti ueritatem ipsam & loquuntur & uident. Non est autem difficile ad id quod sibi naturale sit quenquam induci. Quia uero unum cõtrariorum in alterius ducit cognitionem (rectum enim & sui ipsius & obliqui est regula) quilibet cognita ueritate contrariam falsitatem protinus intuetur, sophismataq; dissoluit. Cumq; unum contrariorum alteri repugnet semper illorum fortius præualet. Veritas autem potentissima est. Ideo qui illi inhæret facile potest falsas opiniones confutare. Quotiens ergo homines contrarijs opinionibus sunt discordes, alijq; alia sentiunt, illa certa præponenda opinio est ac uera existimanda, quæ pluribus ac eiusdem uerioribus rationibus confirmatur, quæq; contrarias obiectiones facilius soluit, diuq; aduersus potentissimos aduersarios pugnando præualet, nec non cæteras opiniones efficacissimis argumentis potest confutare. Cum itaq; christiana religio rationibus ualidissimis cõprobetur, nullaq; alia quæ at tot tanquam efficacibus argumentis confirmari. Ipsa quoq; hactenus inuicta contra

victa contra tot tanquam potentes aduersarios dimicās omnia contra se obiecta, ut supra ostendimus facillime soluat. Si deniq; ostenderimus omnes alias religiones non solum ea esse inferiores, sed in multis deficientes compluribus ac magnis erroribus implicari. Dubitandū nemini erit solam christianam religionem esse ueram. Ceteras uero ut prophanas ex prauaq; ortas superstitione uitandas. Hoc autem latius primo, ut in genere demonstrandum est, hinc ad singularia descēdemus. A cōmunitioribus enim est inchoandū.

*Nullam religionem præter christianam ueram esse. Cap. I.*

**H**oc primū ex antehabitis demonstratur. Si enim christiana religio uera est, nulla alia admitti potest, ipsa ubiq; attestante neminē extra ecclesiæ unitatem saluari posse. Omnes ergo aliæ religiones uel superstitiones existimātes se posse extra Christi fidem beatitudinem inuenire proculdubio errore maximo detinētur. Cum finis item religionis, sit bene beateq; uiuere, nullāq; uita melior christiana, ut iam probatum est, inueniri queat, nulla utiq; si qua est, alia religio christianam poterit superare. Si qua igitur præter hanc bona extiterit, aut erit inferior, aut æqualis. Si fuerit inferior, bona esse non poterit. Quia cum sit illa inferior credendum est adhærendūq; meliori, christianæ scilicet. Cum itaq; omnes alias hæc excludat, inferiorem quoq; omnem reijci oportebit. Si autem fuerit æqualis alia non poterit à christiana esse religio. Si enim eundem finem eadēq; media prædicat, quibus ad ipsum peruenitur, iam non æqualis, sed eadem erit. Sin uero alium finem aliāq; media adducit, tunc non æqualis habebitur, sed inferior. Quia nec melior finis nec perfectius medium his, quæ religio christiana proponit, excogitari possunt. Præterea cum ex effectibus causæ cognoscantur, diuinūq; cultus effectus sit uitæ sanctitas, quam nulla alia religio æque ac christiana bonam consummat amq; inuenit. Sequitur hunc tantūmodo esse uerum dei cultum. Quem illa prædicat & obseruat. Omnem uero alium uanum superstitiosumq; esse. Quod ex hoc potissimum cōfirmatur. Videmus enim & ex cultu exteriori & ex doctrina religionis christianæ homines ad hanc incōparabilem uitæ sanctimoniam tanta facilitate compendioq; perducī, ut nihil perfectius nihilq; admirabilius ad inclinandos conuertendosq; ad bene beateq; uiuēdum animos inueniri possit. Non errat igitur quicumq; fidem ac institutionem christianæ religionis obseruat. At uero fides hæc omnes alias religiones, superstitiosas & execrabiles esse prædicat. Sequitur ergo ut tanquā mendose multisq; erroribus obnoxia, sint prorsus reijciendæ. Sed quia ex superius dictis hæc facile cognosci possunt: Ad singularia accedamus. Quoniam uero longi ac superflui laboris esset contra unamquamq; superstitionem disputare (ut enim ait Philosophus contra unamquamq; positionem sollicitum esse stultum est) omnes superstitionum sectas ad sex principales redigemus Philosophorum uidelicet, Astrologorum, Idololatrarum,

T Iudæorum

Iudæorum hæreticorum, & Mahumetistarum. Licet enim philosophi opinionum uarietate contendant, Idololatæ item atq; hæretici in plurimas partes scindantur, & ab Astrologia pariter innumere quodammodo superfluitonum species deriuentur, quia tamen in aliquo omnes conueniunt, omnes Philosophos simul, dehinc Astrologos omnes, cunctos similiter idololatræ, nec non hæreticos confutabimus. Ostendentes quomodo hi omnes errauerint & à limite ueritatis longe recesserint. Quia uero Philosophi rationis naturalis lumen secuti sunt, quam nunc ipsi sequimur ducem, ab ipsis primum exordiemur.

*Religiones a Philosophis traditæ defectuum & errorum plenas fuisse. Cap. II.*

**P**rimo igitur aduersus Philosophos disputantes, probemus quod etiam si in eis, quæ scripserunt disputaruntq; non errassent: Tamen de his, quæ ad salutem pertinent, non sufficienter sed ualde parum disseruerint. Solo enim naturalis rationis lumine ducti ultra illius facultatem suæ cognitionis uires protendere non potuerunt. Quia ergo sapientis est ordinare, Finisq; omnium quæ ad ipsum ordinantur est regula. Sapientem hominem beneq; uiuere ac beate quærentem, humanæ uitæ finem primo inuestigare oportet. Cum ergo id in dei uisione consistere sit superius demonstratum, quod quidem ipsum naturalis non potest ratio inuenire. Patet quod circa huius finis cognitionem, ex qua pendent omnia ad ueram religionem pertinentia; Philosophi in angustum ualde locum redacti nil ulterius recte poterant ordinare. Sicut enim humanæ uitæ finis fuit eis incognitus: ita & media illis incognita fuisse oportet. Nam, ut superius probauimus, uerus dei cultus in bona perfectaq; hominis uita consistit. Ad hancq; cultus exterior ordinatur. Quapropter quicquid de religione Philosophi dixere, uel imperfectum, uel incertum, uel erratum est. Quis ergo relicta christiana religione horum putet religionem esse tenendam; Quamuis enim excellentiores Philosophi humanæ uitæ finem in contemplatione diuinorum esse dixerint: Tamen cum sola ratione humana ducerentur, ulterius progredi nequiuerunt. Hoc autem confusum quid ac generaliter dictum homini à natura scire desideranti beatitudinēq; studiose quærenti minime sufficit. Vltior autem inquisitio Philosophos quodammodo uehementer angebat. Cum nil certi afferre possent. Interrogati enim an de præsentis an de futuræ uitæ contemplatione intelligerent, nil solidi, nil aperti reddere ualebant. Consideratis enim humanæ uitæ periculis & incommodis, ut iam constare fecimus, beatitudinem in præsentis uita ponere irrationabile impossibileq; uideatur. Sin autem in futura uita hominis beatitudinem concessissent cum de ea nil certi intelligere possent, quandoquidem ipsius cognitio per sensibilia haberi ne quideam, qua asserebatur, facilitate poterat illorum responsio contenti. Atque in non minus difficilem, id est, de animæ immortalitate questionem inci-

nem incidebant. Hanc enim probare prius oportebat. Quod quam difficile eis fuerit opinionum confusa uarietas facile ostendit. Nam cum ratio asseueret intellectum sine corporeo organo esse, & sine illo operari, per se intellectiuam subsistere animam concedere cogebantur. Quia unumquodque sicut est, operatur. Quomodo autem immaterialis substantia per se subsistens queat esse corporis forma inuentu perdifficile est. Propter quod Plato animam aiebat intellectiuam ipsi corpori non ut formam sed ut motorem coniungi. Aristoteles contra sentiens uult eam esse formam. Nihilominus de intellectu separato obscure adeo locutus est, ut commentator eius Auerrois in irrationabilem & erroneam ualde de omnium hominum intellectus unitate opinionem inciderit. Perpendit enim ut reor, uir sagacissimi ingenij Aristoteles humanæ lumen rationis ad perfectam animæ intellectiue cognitionem caligare. Idcirco ne coargui posset, de ea obscure cauteque tractauit. Undique em coarctabantur philosophi. Nam si corporis formam illam ponebant, rationibus quod mortalis esset urgebantur. Sin uero immortalē asseuerabant, tunc in Platonis incidebant sententiam uidelicet quod tanquam motor & non forma corpori uniret. Quod Aristotelis rationes planè reuincunt. Non enim qualiter homo per animam intellectiuam dici posset homo sic constabat. Si autem quemadmodum fides nostra & ueritas monet, eam esse corporis formam, tamē prout intellectiua est, aliquo modo subsistere dixissent (ut superius declaratum est) non minores imbebant difficultates propter solius luminis rationis naturalis ad hoc probandum insufficientiam. Tunc enim ab illis unde talis proueniret forma quaesitum fuisset. Non inquam de potentia materiae illa educitur, cum à materia eleuetur: Ex nihilo autem hanc fieri asserere ausi minime essent. Quod etiam dictum si rationibus non probassent, facile corruisset. Hinc nonnulli ob hunc modum euitandum animas ante corpora ab æterno posuerunt. Verum & ipsi in labyrinthum magis inextricabilem incidebant. Cum defendere non possent, quod per eam homo sit homo & quod sit corporis forma. Ut in primo huius operis libro ostensum est. Sed in plura inconuenientia incurrebant. Quæ Peripatetici contra Platonicos adducunt. Aristoteles ergo caute expressit intellectum separatum esse atque extrinsecus aduenire. Sed hoc ita prolatum ad perfectam intelligentiam minime sufficit, neque omnem perplexitatem euadit. Nam cum extrinsecus, id est, non de potētia materiae ueniat, interrogatus unde & quomodo extrinsecus uenire intelligeretur, non facile respondisset. Præterea si ponit animam intellectiuam esse immortalē & corporis formam: Necessē est, cum actus actiuorum sit in patiente disposito iuxta eius doctrinam, quod anima Socratis ante ipsius generationem, similiter & Platonis & cuiuscunque hominis non fuerit: Forma enim particularis est ita ad suam materiam proportionē habens, ut alterius materiae forma esse non possit. Si ergo ita Peripatetici di-

xerint, non uideo quomodo à creatione sese absoluant. Item difficillimam quæstionem proponemus uidelicet utrum mundus fuerit ab æterno, sicq; in æternum duraturus: & an defectura sit unquam rerum generatio: Quod si motum cœli quieturum aliquando dixerint, rationē afferre non poterunt, quæ non facile refellatur. Si autem mundum nec cœpisse, nec finem habiturum esse iuxta Aristotelis opinionem responderint: Necessè erit eos fateri infinitos dies & annos præterisse. Cumq; homo sit pars uniuersi potissima, non est rationabile mundum sine homine aliquãdo fuisse. Atq; ita infinitos homines præcessisse infinitosq; futuros dicere oportebit. Cumq; anima intellectiua sit immortalis, & eo quod sit forma particularis (ut iam diximus) de corpore in corpus transmigrare non queat, infinitas animas in mundo iam esse concedere coguntur, pariq; ratione secuturam esse ipsarum animarum infinitatem. Quod à ratione alienum ualde uidetur. Item hoc concesso aliæ ingeruntur difficultates. Nam cum anima sit corporis forma, uiolenter extra corpus permanet. Vnde & ab eo uiolenter separatur. Nam sicut res quælibet ita & homo suæ repugnat corruptioni, quæ fit per animæ separationem à corpore. Cum ergo nullum uiolentum sit perpetuum, quærendum est an omnes illæ animæ iterum ad corpora reuertantur. Quod si affirmetur, tunc uel concedere oportebit infinitas animas uiolenter extra corpus in perpetuum permanuras, quod est inconueniens, uel infinitorum corporum resurrectionem confiteri, quod est impossibile. Nullus enim ea locus capere posset. Vel ipsa eadem, ut quidam sensere, post multa annorum milia in idem reditura. Itaq; animæ ad pristina corpora redibunt. Et quæ prius facta sunt, eadem rursus ab eisdem ipsis autoribus fient. Vt puta cum suis Plato ipse discipulis quæcunq; olim egit iterū exequetur. Quod si abq; probatione adductum fuerit, pariter contemnetur. Quomodo autem hoc probare quis possit minime liquet. Quin imò inconuenientia sibi plura annexerit. Si enim mundus fuit ab æterno, cœlum quoque, quotiens numerari nequeat, ad eandem reuersum est dispositionem. Et hoc pacto eadem infinities fuerunt. Sicq; Plato cum suis discipulis cæteri q; homines ad innumeros annos in mūdo fuerunt. Quod quam sit absolum friuolumq; ac pro suo cuiusque potius arbitrio quam ulla ratione dictum facile constare potest. His igitur & huiusmodi circunueniuntur difficultatibus qui per rationem naturalem humanæ uitæ finem inuestigare uolunt. Ideoq; patet nil stabile ac certū de religione diffinire Philosophos potuisse. Cum circa huiusmodi positiones in ambiguo semper in tenebrisq; uersentur. Si quam ergo religionem unquam statuerunt, aut aliquando statuent imperfectam incertamq; ac errorum plenam esse oportet. Hæc autem melius, inspectis eorum opinionibus & erroribus uniuersis, innotescerent. Nosq; dehinc quam tenuis quamq; imbecillis sit luminis naturalis uirtus considerantes ipsum non sufficere ad

hominis

hominis salutem planius intelligeremus. Cuiuslibet enim rei uirtus in supremo potentiae suae conatu maxime demonstratur. Calonis siquidē uirtus qui centum librarum ponderi sufficere potest, non in quinquaginta sed ultimo uirium suarum experimento probatur. Vltimum autem, quod rationalis luminis uirtus potuit, id totum in Philosophis excellentioribus praesertim natura expendisse uidetur. Cuius argumentum est, quod ex sola & pura Philosophica ratione pauca admodum exiguique momenti praeter ea quae ab illis tradita sunt posterius adinuenerunt. Sed cum illi ut dictum est, in multis deficientes errauerint, patet naturalis lumen rationis ad hominis salutem satis non esse. Primum quidem antiquos philosophos constituentes ea quorum finis est homo, ut diuitias, ut gloriam, ut honores uoluptatesque & id genus alia ipsius esse hominis finem, plurimum fuisse deceptos nemo est qui ignoret. Posteriores uero & praecipuos, qui fuerunt eiusmodi erroris expertes in plerisque (sicut meminimus) deliquisse, & eorum doctrinam de beatitudine incertam ualde & confusam uariisque erroribus obuolutam esse perspicuum est. Hinc per ea, quae ipsi de ultimo fine tradiderunt, opera nostra recte ordinare non possumus. Cum finem certum esse oporteat, qui in agilibus est. Sicut in speculatiuis primum principium. De anima quoque intellectiua tot ferè sunt opiniones & errores, quot & Philosophi. Vtique antiquorum assertiones ac fallacias omittamus, quas in primo libro de anima tangit Aristoteles, etiam qui Aristotelem ipsum secuti sunt inter se discrepantes, uaria & falsa senserunt. Quidam enim intellectum possibilem ponunt esse substantiam separatam. Alij imaginationem. Alij uirtutem quandam elementorum mixtionem comitantem. Item alij intellectum agentem substantiam separatam esse dixerunt. Alij animam intellectiuam esse diuinæ substantiae portionem, Alij de potentia materiae illam educi putarunt. Et in hæc usque tempora Philosophorum secte inuicem adeo pugnant, ut quilibet eorum discipulus nisi lumine fidei sit illustratus undique confundatur. Qui maioribus quoque ambagibus & erroribus detinerentur, nisi Christi fides lumenque sanctissimum disculis mundum tenebris illustrasset. Nam & de mundo quomodo & ad quem finem factus sit & utrum absque initio ac sine fine constet, alij alia tradidere. Nemo tamen firmas rationes hæcenus inuenit, nec inuenire poterit, quibus mundi aeternitatem uel ipsius inchoationem ac terminationem uere probare queat. Nam Aristotelis argumentationes super hoc adductæ satis infirmæ ac debiles sunt. Idcirco uerum finem motus cæli, quemadmodum prædiximus, inuenire Philosophi nequiverunt. De numero quoque angelorum seu substantiarum separatarum non minor est apud illos ambiguitas & ignorantia. Aristoteles enim cæli motum secutus numero sphaerarum substantias separatas coæquauit, ac si propter aliud nihil quam propter cæli motum substantiæ illæ existerent. Quod ridiculum est. Quanquam putemus ipsum probat



biliter ita fuisse locutum, non asserendo: Sed quoad poterat altiora se inuestigando. Circa diuinum pariter cultum præsertim exteriorē nil ueri, nil certi ( ut errores quorundam taceamus) declarauerunt. Quia uerum finem ignorantes debitum quoque deo honorem exteriorēque, qui magis homini conducere, cultum nescierunt. Vnde uaria etiam leuiāque de prouidentia dei disseruere. Quamobrem parum utilitatis in his quæ ad ueram hominis salutem pertinent eorum scripta attulerunt. Imò ex diuersitate opinionum ingens suborta est confusio. Ex quo patet eorum doctrinam & religionem, si qua ab eis tradita est, ad ueram beatitudinem adipiscēdam nihil profecisse. Quæcunque tamen illi bene dixerunt minime spernenda, sed tanquam ab iniustis possessoribus in ius nostrum transferēda putamus. Quamuis enim per se non sufficiant, non nihil tamen adiumenti conferunt in refellendis præsertim fidei aduersarijs.

*Traditiones Astrologorum penitus inutiles ac superstitionas esse.*

Cap.

111.



Via uero Astrologi inter Philosophos annumerari uolūt. Autumatē à cælo & astris nostra hæc humana gubernari, ipsamque cælum nostrum quodammodo deum esse. (Vnde antiquorum quidam nouum & superstitionas cultum inducentes solem cæterosque planetas stellarūque multitudinem adorabant) ualidis ostendamus rationibus hunc errorem esse maximum, quodq; cælestia corpora causæ eorum dici nequeant, quæ circa humanum uersantur intellectu. Primo quia ordine naturæ inferiora per superiora reguntur. Intellectus autem eodē ordine omnia corpora excedit, cum sit à corpore separatus. Non igitur astra per se eorum causa esse possunt, quæ circa intellectum existunt.

A Philosophis præterea probatum est nullum corpus agere nisi per motum. Eorum igitur, quæ sunt omnino extra motum, cuiusmodi sunt circa intellectum se habentia, corpora cælestia absolute causa esse non possunt. Cuius rei manifesta ratio est quod anima per quietem à motibus & per quandā à corpore abstractionem prudens sciensq; efficitur. Item si corpus non agit nisi per motum, necesse est id quod alicuius corporis recipit impressionem moueri: Omne autem quod mouetur corpus esse oportet. Vt Philosophus efficacissime probat. Cum itaque intellectus non sit corpus neq; uirtus corporeo organo alligata, impossibile est corpora cælestia in ipsum intellectū aliquid imprimere. Item quæ à motibus cælestibus fiunt, tempore abstractuntur, quod primi motus est numerus. Quæ igitur à tempore omnino abstractuntur, cælo non subiacent. Intellectus autem in sua operatione à tempore abstrahit. Quemadmodum & à loco. Cōsiderat enim uniuersale quod ab hic & nunc abstractum est. Item ultra suam speciem nihil agit. Ipsum autem intelligere cuiuslibet corporis agentis speciem formamq; transcendit. Omnis

dit. Omnis enim corporis forma materialis & indiuidua est. Intelligere autem ab obiecto suo, quod uniuersale ac immateriale est, speciē habet. Vnde per formam suam corpoream nullum corpus intelligere potest. Multo minus ergo poterit in alio ipsam producere intellectiōē. Quapropter ex his & huiusmodi rationibus manifestum est cœlestia corpora per se causas nostrarum intellectiōum non esse. Verum quia sine corporearum uirtutū administratione nostri operatio intellectus compleri non potest, quæ quidem uirtutes sunt imaginatiua, memoratiua, cogitatiua dispositionem sequētes corporis cœlestibus influxibus subiecti, ex hoc aliquo modo indirecte uidelicet corpora cœlestia tanquā causæ uniuersales intellectiōi conferunt. Nam pro uarietate influxuū diuersas in hominibus cōplexiones & corporum dispositiones esse uidemus. Ex quibus ipsius intellectus operatio uel adiuuat uel impedit. Nihilominus ob hoc electionū nostrarum causa & humanarū rerum gubernatio minime cœlo tribuenda est. Quod his rationibus patet. Primo quia omnis actus uoluntatis ex apprehensione intellectus in nobis immediate resultat. Voluntatis enim obiectū est bonum ratione conceptū. Idcirco non potest in eligendo sequi peruersitas, nisi in particulari eligibili iudiciū intellectus deficiat. Cū ergo cœlū, sic ut diximus, non sit intelligentiæ nostræ causa, nec electionis nostræ per se poterit esse autor. Præterea quæcunq; ex corporū cœlestiū impressione in his inferioribus eueniunt naturaliter cōtingunt. Cum hæc inferiora sint illis naturaliter subordinata. Si ergo electiones nostræ ex impressione uirtutum cœlestiū prouenirent, naturales profecto non uolūtariæ haberent. Atq; ita naturali quodā ductu more brutorum ageretur homo non ageret. Hoc autē quam sit absurdū palam ostenditur. Tum quia ea quæ naturaliter fiunt ad ipsum finem determinatis medijs perducuntur, unde semper eodem modo fiunt, quia natura ad unum determinata est. Electiones autē humanæ diuersis uijs ad finem tam in moralibus quā in artificialibus tēdunt. Tum quia quæ naturaliter eueniūt, semper uel plerunq; recte fiunt. Natura siquidē in paucioribus delinquit. In humanis autem electionibus contrariū quotidie uidemus. Item quia quæ sunt eiusdem speciei non uariant in operibus quæ ipsius speciei naturā consequunt. Omnes enim hirundines similitudine pari nidificant. Quilibet item homo prima principia naturaliter nota intelligit. Humanæ uero electiones inter se sunt ualde dissimiles. Non enim naturā, sed uoluntatis libertatē sequuntur. Tum quia uirtutes ac uitia non homini sed naturæ imputarētur. Vnde consilium humanaq; prouidentia frustra essent. Præterea, ut ad principale propositum redeamus, nulla uirtus actiua ad ea quæ sunt supra speciem supraq; agentis naturam se extendit. Ipsum autem uelle sicut & ipsum intelligere omnem corporeā speciem transcēdit. Quia quemadmodū uniuersalia intelligimus, ita & uoluntas in bonū fert uniuersale, itē quæ ad finē sunt, proportio

nem cum ipso fine habere oportet. Sed humane actiones ad felicitatem tantam quam ad finem ultimam ordinantur. Quæ non in aliquo corporeo bono sed in hoc demum consistit, ut ipsi deo anima coniungatur. Quod omnium uirtutum corporum transcendit. Corpora itaque celestia electionum nostrarum causa per se esse non possunt. Sciendum tamen est quod licet ipsa non sint directe electionum nostrarum causa, indirecte tamen eorum uirtute electionibus nostris aliqua præbetur occasio, prout illorum influxus est cum corpora nostra suscipiant, animum ad diuersa inclinant. Cui tamen per liberum arbitrium potest ubique uelit homo resistere. Non ergo humanarum regimen actionum ab ipso cælo per se, sed à libero arbitrio pendet prouidentiaque diuina. Quo circa cælum deus seu astra dei esse non possunt. Deus enim cum sit prima causa, est omnium causa per se non autem per accidens. Verum quia non nulli corpora celestia animata esse ponentes cælum secundum se in nostrum intellectum non agere inquirunt, sed in quantum ab ipsius anima mouetur, à qua in nostras animas habeat influendi uirtute. Hoc procul esse à ratione pariter ostendamus. Illud enim per aliquod instrumentum fieri non potest, ad quod nullo modo instrumenti actio se extendit. Corporis autem actio nullo modo ad intellectus & uoluntatis immutationem nisi forte per accidens (ut dictum est) se extendit. Fieri ergo non potest ut celestis corporis anima etiam si ipsum sit animatum per sui corporis motum in ipsum intellectum ac uoluntatem impressionem efficiat. Præterea si anima celestis in animas nostras per corporum motum aliquid imprimeret: Actio illa ad nostram usque animam nisi per corporis nostri mutationem non perueniret, non enim nisi per medium corporis agit. Ideo non esset per se, sed per accidens (sicut diximus) actionum nostrarum causa. Quia scilicet ex celestium corporum uirtute immutatis corporibus nostris uel corporibus alijs naturalibus, aliquid aut boni aut mali, intellectui per sensum sit presens quod obiectiue uoluntatem mouet ad bonum prosequendum & ad malum fugiendum. Id tamen uoluntas libere facit. Nam & quantum ad exercitium actus sui iuris est uelle & nolle, & cogitare uel non cogitare. Quantum etiam ad specificationem actus potest oblatum sibi bonum occasione uirtutis celestium corporum sequi aut omittere, cum tale bonum non nisi corporeum ac particulare esse possit. Quod si etiam esset uniuersale uoluntas nihilominus ad illud cogitandum uel non cogitandum libera superesset, ut quotidiana docet experientia. Ex quibus omnibus sequitur quod homo est suarum electionum dominus, quodque humane uitæ regimen per se à cælo non pendet. Nec ergo cælum nec anima cæli est deus quia deus est causa per se. Ideoque exhibitus soli, lunæ ac cæteris astris uel creaturis cultus, uanus est atque perniciosus. Omnia enim corpora propter hominem facta sunt. Is autem se ipso inferiora honorare non debet. Hinc etiam patet quanta sit astrologorum uanitas humanarum rerum administrationem cælo ascribentium, actionesque hominum ex inspectione & obseruatione

obseruatione astrorum gubernare uolentium. Cæterum Astrologorū quidam nomine potius quam re christiani uanitatē iudiciariæ astrologiæ cæteris ineptijs uelare contendunt dicentes, intellectu & liberum arbitriū non cælo quidem per se, sed soli deo esse subiectum. Nihilominus cum ei per accidens subiiciatur, & omnes ferè homines sensitiuam partem sequantur, iactant se præuidere posse futura & ad mala euitanda hominibus remedia afferre, atq; rerum humanarum habenas hoc modo temperare. Deum enim inquirunt per secundas causas in hæc inferiora agentem ea mediante cælesti influxu gubernare. In quo cæco iudicio & ignorantia duci maiestatis diuinæ cultui derogant, & dæmoniacis superstitionibus mortalium animos imbuentes plus fidei & obseruationis cælo quam immortalī deo tribuendum uana quodammodo credulitate insinuare contendunt. Dum nihil nisi auspice cælo fieri posse credentes id ipsum alijs persuadere conantur. Verū hanc diuinatōriam astrologiam uanam prorsus esse ac nomine scientiæ uel artis indignam uel hinc maxime patet, quod excellentissimi Philosophorum eam potius irrisione ac silentio quam confutatione dignā censuerunt. Nam cum omnes philosophiæ partes explicare conati sint, nihil de hac materia tetigerunt, cū tamen Plato & Aristoteles atq; alij de cælo & astris haud negligenter scripserint, in quorum libris nullum omnino de futurorū scientia sit uerbum. Quod certe non fuisset à tam sagacissimis naturæ indagatoribus prætermissum, si ad scientiā quo quomodo pertinere posse cognouissent. Quin imbubiq; Aristoteles omnesq; præcipui Philosophi probant de ente per accidens & de casu ac fortuna deq; futuris contingentibus, circa quæ diuinatōria hæc astrologia semper uersatur, scientiam aut artem esse non posse. Quia causas non habent determinatas, sed incertas & infinitas. Præterea omnis futurorum ratio uel in re ipsa uel in eius causa cognoscitur. Futura autē contingentiæ neq; in se ipsis, cum nondum sint, neq; in sua causa cognosci à nobis possunt. Ideo enim contingentiæ dicuntur quia eorum causa uel ad producendum uel non producendum indifferēs est, in his præsertim, quæ à libero arbitrio pendent. Sequitur ergo ut nullo modo à nobis sciri possint. Item posito hæc futura aliquo modo cognosci, non tamen ex sola astrorum inspectiōne, quemadmodum Astrologi insulse affirmant, id sciri posset. Quia cælū est uniuersalis inferiorū effectū causa. Per solam autē uniuersalis causæ cōsiderationē nullā nisi ualde confusam particularis effectus cognitionē assequalemus, ut omnes philosophi confitent. Propterea dū ipsi philosophant, nō ex uniuersalibus causis sed particularibus proximis rimant effectus. Sic etiā in explorandis ægritudinū causis periti medici nequaquā solos lunæ ac planetarū motus, sed potius corporū dispositiones causasq; particulares & ppinquas, ex quibus uel semper uel plurimū hñc pueniunt effectus, diligēter inspiciūt & obseruāt. Incertos igitur rerū euentus à libero pēdentes arbitrio uel à causis in

neutram

neutram partem determinatis, qui infinitis modis impediri & alterari possunt,  
 ex sola astrorum contemplatione iuxta Astrologorum commenta uaticinari  
 & asseuerare uelle, leuissime uanitatis delirantiumque uel ignorantium homi-  
 num est. Præterea in diuersis cæli partibus diuersas esse proprietates distri-  
 ctasque uirtutes atque etiam contrarias, ut Astrologi tenent negare facile possu-  
 mus. Nam præstantissimi philosophorum, qui summo studio cæli proprie-  
 tates inuestigare conati sunt, cælum ipsum in hæc inferiora agere solū per lu-  
 men motumque asserunt. Per lumen scilicet tanquam per propriam qualitatē  
 in totum cælum diffusam. Per motum uero prout est primi agentis instru-  
 mentum, quod quidem non agit nisi sit à principali agente motum. Hinc conclu-  
 dunt diuersitatē rerum infra lunarem globum succedentium ex duobus prouen-  
 ire. Primo uidelicet ex ipsius cæli motus & luminis uarietate. Secundo ex  
 diuersa materiæ particulariumque agentium dispositione. Id tamen ad ipsos ef-  
 fectus cognoscendos non sufficit. Quia lux & motus uniuersales sunt causæ,  
 eorumque uarietas solam effectuum diuersitatem uniuersaliter ac confuse desig-  
 nat. Idcirco etiam agentia particularia materiæque dispositionē nosse oportet.  
 Quo insuper cognito nondum futuros & contingentes effectus præsertim  
 à libertate arbitrii proficiscētes propter allatas superius rationes prospiciemus:  
 Quāto ergo minus ex sola astrorum inspectione id assequemur: item pos-  
 sito diuersas in cælo esse proprietates, propter hoc tamen Astrologi futuro-  
 rum contingentium cognitionem habere non possent, quia cum particularia  
 res effectuum causæ sint proximæ, quanto eodem se habent ab effectu remo-  
 tius, tanto sunt magis uniuersales. Cum ergo cælum ac stellæ plus quam ele-  
 menta & quam naturales inferioresque causæ distent, manifestum est huiusmo-  
 di diuersas cæli proprietates uniuersaliores causas esse quam quæ sub ipso  
 cælo continentur. Sed ex solo uniuersalium causarum, quæ sub cælo sunt consi-  
 deratione, non possumus in particularium effectuum cognitionē uenire. Neque  
 enim ex elementari uirtute ignis uel ex genitrali animatorum uirtute tantūmo-  
 do examinata huius hominis uel huius oliuæ generationem scire ualemus.  
 Multo minus igitur ex sola cælestium influxuum indagacione poterimus futura  
 contingencia iudicare. Rursus si concesserimus uirtutes stellarum esse magis parti-  
 culares, quā uirtutes sint elementorum & causarum, quæ sub ipso cælo clau-  
 duntur, quāuis hoc nimis foret absurdum, tamen Astrologia diuinatoria uana  
 & inutilis erit. Tum quia has uirtutes inuestigare hominibus est impossibile  
 cum sint procul à sensu à quo omnis nostra incipit cognitio. Cuius signum  
 est, quia (ut prædiximus) excellentissimi ingenio Philosophi eas penitus igno-  
 rauerunt. Quin imò innumerabilium rerum sub cælo existentium quas ma-  
 nibus quotidie pertractamus, proprietates ac ueras differēcias inuenire mi-  
 nime potuerunt. Quāto minus ergo stellarum proprietates, quæ à nostris sensi-  
 bus infinite distant, inuestigare Astrologi poterunt, qui nec ingenio sunt nec  
 doctrina

doctrina præclarissimis illis philosophis conferendi. Tum quia etiam si uirtutes ille cognoscerentur, de sua uana superstitione Astrologi gloriari minime possunt. Quia agentia particularia & causæ infra cælum positæ frustra esse non possunt. Cum nihil in naturalibus frustra detur. Si ergo in cælo particulares distribuuntur uirtutes, ut puta illarum quædam ad hominē, quædam ad bouem generandū, atq; ita singulæ determinentur. Tunc fateri oportebit quod agentia sub cælo contenta ad disponendam materiam uim tantum habeant: Virtutes autem stellarum formam introducant. Quod si ita sit, non sufficit Astrologo inspicere cælum. Quia secundum diuersam materie dispositionem diuersæ introducuntur formæ. Nam si materia non sit disposita, non potest in eam naturalis agētis uirtus formā introducere. Cumq; materie dispositio possit multipliciter impediri, proculdubio nullam Astrologus particularium & contingentium effectuum cognitionem ex solo cæli intuitu percipere ualebit. Ut puta si stella determinatæ uirtutis ad uuas exiitæ producēdas inspiciatur, certum est quod huiusmodi effectum multa poterunt impedire, ueluti materia male affecta, uel superueniēs hominum aut brutorum uastatio, aut alterius stellæ concursus, quæ nimiam aquarum inundantiam seu siccitatem pariat, uel alia multa fortuita impedimenta, ex quibus illa solius uirtutis cælestis examinatio successu fraudabitur. Si ergo naturalibus effectibus ita se res habet, multo amplius circa liberi arbitrij expectationem multis ac prope infinitis uariabilem casibus incertum erit fallaxq; iudicium. Atq; ita patet à cælo non pendere hominum regimen, uel si quo modo, id est, per accidens pendeat, non tamen nisi uelut ab uniuersali causa deriuari. Et cum tam per liberum arbitrium quam per infinitos rerum euentus hominum opiniones ac desideria quotidie uariantur, idēmq; sæpe ab inclinatione, uel proposito suo retrahantur: Ridiculum & uanissimum est uelle per ipsam astrorum obseruationem uitam humanam gubernari. Præsertim quia tota ferè huiusmodi ars Astrologiæ diuinitatis si tamen ars nuncupanda est, fallis & incertis nititur fundamentis. Verum quia nostri propositi modo non est contra hanc uanitatē disputare, hæc ad præsens sufficiant. Satis enim nobis est probasse omnem astrorum uel cæli cultum hætenus inuentum uel qui inueniri queat, pro uano ac superstitioso esse existimandū. Hanc uero diuinatorem Astrologiam comes Ioannes Picus Mirandulanus inter parata naturæ miracula perspicacitate ingenij & doctrinæ subtilitate olim connumerandus, in libris disputationum suarum eleganter, subtiliter & efficaciter confutans ad nihilum ad eò redegit, ut qui tractatum illum legerit, & intellexerit, si ex animo penitus illam non irrideat, ipse certe omnibus sit irridēdus. Nos quoq; ut tam indocti quam docti illam ludibrio & contemptui habeant, tribus libris uernacula lingua æditis contra eam sufficienter disputauimus. Illos igitur libros perlegant qui maiorem in hac  
discussione

discussione copiam habere desiderant. Et intelligent quam fatuum sit in huiusmodi occupatissima uanitate laborare, aut ei fidem ullam adhibere.

*Idololatrarum sectam omnium uanissimam esse. Cap. IIII.*

**O**stendimus ergo religionem philosophorum, qui deo cultum, id est, primæ causæ tribuendum censebant non modo insufficientem, sed etiam erroneam ad obtinendam salutem fuisse, cultum uero cœlestibus corporibus exhibitum uanum pariter perniciosumque esse. Quanto igitur magis cultus ille, qui idolis & lapideis uel fustilibus statuis sculptilibusque tam hominum quam bestiarum absolute olim præstabat, uel si quis adhuc uspiam inuenitur, damnandus irridendusque est. Neque uero in hoc demonstrando laborare oportet. Quam sit enim procul à ratione ac stultum, lapides, ligna metallaque cæteraque insensibilia per se colere adeò probatum facile est, ut fatius prætereundum putem. Superfluū siquidem est cōtra unamquamque positionem sollicitum esse. Circa enim ea, quæ probabilitatis aliquid habent uerfari debemus. Simulacra autem insensibilia colere extreme demētis est. Verum quia qui insaniam hanc excusare contendunt, non inanimata sed deos in illos habitantes respōsaque dantes uel representatos se uenerari affirmant, quemadmodū & nos christiani Christi & sanctorum imagines adoramus. Demonstrabimus etiam cultum substantijs separatis à gentibus idolis attributum supersticiosum ac impium extitisse, ut postquā de extremis diximus etiā de medijs disseramus. Inter deū siquidē cœlumque medię habent substantiæ separatę. Primo autē sciendum non solum (ueluti superius probatum est) hominis uolūtatem neque à cœlo neque ab anima cœli ipso cœlo mediante, sed nec ab aliqua substantia separata seu spiritali creatura quantumlibet nobili, uerum à solo deo per modum agentis posse moueri. Per modum autem agentis aliquid ab alio moueri intelligitur cum ab illo tanquam à principio extrinseco mouet. Dico itaque ipsam à nullo principio extrinseco præter deum moueri posse. Quia per modum finis siue obiecti plurima illam mouere possunt. Multa enim agentia tam corporalia quam spiritalia suadendo uel dissuadendo & bona uel mala offerendo, in quo tamen semper uoluntas est libera suarumque operationum domina, possunt uoluntatem mouere. Quæ uero quidem motio per modum finis se habet. Vnde non est proprie causa, sed electionum eius occasio. Quod autem nihil præter deum, uolūtatem per modum agentis mouere possit perspicuum est. Quia sicut in re inanimata inclinatio uel appetitus naturalis ad proprium se habet finem, ita in substantia intellectuali uoluntas seu intellectualis appetitus se habet ad suum. Inclinationes autem naturales solus dare potest qui naturam instituit. Idcirco à philosophis probatum est grauia & leuia à generante moueri. Ergo ad aliquid uoluntatem per modum agentis inclinare ad eum solum, quæ intellectualis naturæ causa est, pertinet. Quod ipsius dei tantum munus est, Quia non de  
potentia

potentia materiae sed ex sola creatione anima intellectiua prouenit. Cum ergo  
 ergo creare sit ex nihilo aliquid facere, non nisi potetiae conuenit infinite. Quae  
 quidem deus est. Qui non modo uirtutes sed etiam operationes rebus imperi-  
 titur. Sicut enim in rebus corporeis ita multo perfectior in spiritualibus ori-  
 do reperitur. In rebus autem corporeis à primo motu omnis procedit motus,  
 ergo & in spiritualibus quilibet uoluntatis motus à prima uoluntate, id est, à  
 deo deducitur. Ex quo patet uoluntatem per modum agentis & finis à deo  
 moueri. Per modum quidem agentis immediate. Per modum uero finis &  
 mediate & immediate eam mouere potest. Quocumque tamen modo id agat,  
 non uiolenter agit. Quia secundum suae formae exigentiam à deo unumquodque  
 mouetur. Plane igitur constat solum deum, qui solus principium omnium  
 uoluntatum & motor ac uniuersi gubernator est cultu patriae colendum esse.  
 Caeteris autem intelligentijs, & si in eo quod de similitudine diuinitatis pri-  
 mae causae participat honorandae sunt, cultus tamen patriae minime debet.  
 Non ergo eis sacrificia thuraque, sed uni deo exhibere fas est. Cui tantum la-  
 triae cultum religio christiana persoluit. Licet angelorum sanctorumque me-  
 moriam recolat laudans deum in sanctis suis & gratias agens quod talia ac  
 tot beneficia suis concedere creaturis dignatus sit. Neque enim ipsos sanctos  
 uti deos sed tanquam dei amicos ueneratur, eorum suffragia implorans, ut  
 deo acceptissimi pro nobis exoret, quod ipsi meritis nostris impetrare non  
 ualemus. Hoc itaque modo deum praecipue colere ac separatas beatasque sub-  
 stantias honorare haud improbabile sed iustum sanctumque est. Quod quidem  
 ualde dissimili modo idololorum cultores obseruabant. Constat enim quod  
 diuersis idolis diuersa sacrificia thuraque offerebant, & ab eis figura, quorum  
 cognitio ad solum deum pertinet, sciscitabantur. Quispiam autem forte rei-  
 spondeat, quod licet ea sacrificia uarijs dijs tribuerentur, in solum tamen dei  
 um eorum uertebatur intentio. Vt in illa spiritali substantia, quam id simul  
 lacrum referebat. Deum ipsum laudarent ac colerent. Quod si concesserimus,  
 quanquam in multitudine saltem rudium populorum id ignoraretur, non  
 ideo tamen à uanitate ac pernicie cultus illius excusari poterunt. Quia in eo-  
 rum ritibus & ferè in tota illa sacrorum perfuntione uana per multa ridicu-  
 laque necnon bonis moribus aduersa fiebant. Quae si deprauationi scelestorum  
 & impiorum hominum uerum cultum inficientium imputare contenderint,  
 palam de mendacio arguent. Quia per totum orbem huiusmodi ritus etiã  
 à magnis uiris obseruabatur. Sed hoc etiam concesso, non tamen euadere  
 poterunt quin ij, quos colebant, spiritus minime boni sed execrabiles fue-  
 rint. Illorum itaque cultus inordinatis & deo contrarijs intellectibus, in quibus  
 deus ipse honorari non potest, exhibebatur. Ad quod probandum multae  
 suppetunt rationes. Primo quia creati ordinatiq; intellectus est, non solum  
 seipsum ad suam causam disponere eamque uenerari; Sed etiam alios ad hoc

V ipsum



ipsum dirigere, ut in omnibus glorificet deus qui omnia in omnibus facit.  
 Sed eiusmodi spiritus, quāuis multa responsa darent, nunquam tamen rectū  
 uiuendi ordinem syncerumq; dei cultum, quin imò oppositum docuisse ho-  
 mines legitur, uel saltem peruerso ordini cōsentientes, & iniqua seductione  
 gaudentes debitum deo honorem sibi arrogasse compertum est. Vnde uniu-  
 uerso mundo erroribus obruto nulla ferè de deo cognitio habebatur. Item  
 bonorum spirituum non est fouere odia ac nefaria perpetrare, aut eiusmodi  
 mala docere homines: At tales diuinitas, discordias, bella, sacrilegia, ince-  
 stus inter se exercere ferebantur, detestabiliaq; permulta, quæ nec ipsi falsā  
 esse prædicabant, ignorantia hominum consulentes, nec ea detestabantur.  
 Quæ certe nemo bonus sine offensione audiat nedū probare nunquā possit,  
 ex quo in errorem pessimum exitiali exemplo mortales inducebantur. Item  
 si deus, qui est omni ex parte perfectus bonorum nostrorū non indigens (ni-  
 hil enim illi adijci potest) nullo cultu propter seipsum sed propter utilitatem  
 nostrā delectatur, ut perfecti ac beati efficiamur: Quilibet ordinatus sub eo  
 intellectus ut cōformem auctori suo se reddat debet idem hominibus deside-  
 rare: Idcirco si illorum diuinitas boni fuissent, homines sibi in perfectione  
 similes fieri procurassent. Vnaquæq; etenim causa propter bonitatem perfe-  
 ctionemq; suam quoad potest, suum perficit effectum, & unum quodq; per-  
 fectū tale aliud quale ipsum est, facere querit. Ad hominis autem perfectio-  
 nem diuinorum cognitio maxime pertinet: Ideo bonorum spirituum erat  
 per quæ tradebant oracula hominē ad perfectam diuinorum cognitionem  
 perducere, & unum deum, à quo omnia pendent, orandum diligendum ac  
 quærendum ostendere. Quod minime fecerunt. Sed enim ante Christi ad-  
 uentum terrarum orbis densissima peccatorum & ignorantia caligine præ-  
 fertim circa res diuinas immersus in tenebris & in umbra mortis sedebat.  
 Quia quantum illi poterant diuinitas uero deo multis uanitatibus ac fallacijs ho-  
 mines detrahebant. Multoq; plura de ipso summo deo deq; bonis moribus  
 atq; de his, quæ ad beatam uitam faciunt, in scholis Philosophorum Pytha-  
 gore, uidelicet Socratis, Platonis, & Aristotelis quam in deorum templis  
 tradita legimus. Melioresq; ipsis dijs eorumq; sacerdotibus eiusmodi deli-  
 rijs semper intentis philosophi talia uel negligentes uel parum curantes in-  
 ueniebantur. Item si boni spiritus fuissent certiores de beatitudine homines  
 fecissent: Qui ob eius ambiguitatem solliciti ualde erant, uerumq; finem ac  
 uirtutes, quibus ad eam peruenitur beatitudinem, ostendissent, deficientiq;  
 philosophorum inquisitioni supplerent. Bonus enim spiritus qui hominis  
 curam ac providentiam gerit, debet ipsum de humanæ uitæ fine de que mei-  
 dijs ad deum perueniendi instruere. Alioquin uanum eius regimen foret.  
 Nam si hoc bonus homo facit, quanto magis bonus spiritus facere debet.  
 Atqui hoc spiritus illi non tradiderunt, quin potius confusionē mortalium  
 mentibus

mentibus inseruerunt. Ita ut ante Christi prædicationem proprium finem eiusque media prorsus homines ignorarent. Præterea bonus spiritus mendax non est neque homines decipit. Quia mendacium ac deceptio semper mala sunt. Sed spiritus illi in suis responsis multa mendacia ambiguosque sermones proferebant. Sicque homines sæpissime fefellerunt. Cumque insuper ostensum sit futurorum contingentium prædicationem ad solum deum sua æternitate omnia complectentem pertinere, si illi spiritus boni fuissent, nequaquam sibi quod dei proprium est usurpassent. Non enim hæc dicit dominus, more prophetarum dicebant. Sed sibi ipsis tanquam dijs futurorum præscientiam arrogabant. Qui dum se hoc modo eorum præscios ostendere conarentur, non diuinæ solum maiestati derogabant, illius in se gloriam conuertentes. Sed in multiplices superstitionum anfractus homines immergebant. Dum per uanas diuinationes in extis animalium, quæ sibi sacrificabantur, & in auspicijs uel garritu auium uel uolatu ac in huiusmodi illecebris delirare homines compellerent aut saltem permitterent. Quæ certe boni spiritus omnino prohibuissent. Quam enim ridicula illa uanitasque sint facile quisque rationis capax cognoscere potest. Eadem quoque dijs Magicis artibus fauebant. In quibus crebro adulteria cedensque innocentium perpetrantur, & sceleratis hominibus patrocinium cõfertur, mentiumque ludificationes, ac turpia multa fiunt. Quæ boni uiri graui legum animaduersione abominantur. Ex quibus affirmari iam potest prauos illos spiritus fuisse. Nullus item bonus spiritus crudelitate delectatur. Sed in illorum sacrificijs non solum brutorum. Sed hominum ac præcipue innocentium puerorum uidelicet puellarumque uirginum sanguinem infanda nece sibi offerri poscebant. Ex quo innumeri innocentes ipsis etiam patribus proprios filios immani scelere sacrificantibus, occisi sunt. Vnde post ipsorum Apostolorum prædicationem destructis delubris, congesta hominum & paruulorum utriusque sexus ossa plurima in eorum aditis inuenta sunt. Quod quidem non deorum sed pessimorum demonum in humanam stragem grassantium argumentum est. Infinita insuper mala, quæ ex idolorum cultu prouenerunt enumerare possemus. Sed quia immenso domini nostri Iesu Christi beneficio hic error iam ex mundo penitus sublatus est, nemoque est, qui huiusmodi errores iam nesciat, pauca hæc sufficere arbitramur. Præsertim quia à plerisque maiorum nostrorum eruditissimis talia copiosissime cõfutata sunt. Quod si dii illi fuissent, non esset à Christo homine illorum cultus & honor sicuti cernitur, omnino extinctus.

**N**aturalis itaq; rationis lumen ante Christi aduentum usq; ad eum de-  
 fecerat, ut nisi ipse dominus noster Iesus Christus per dito mundo  
 succurrisset omnes ppe homines tanto brutis sordidiores essent,  
 quanto ad nocendū callidiores, & in multiplici genere peccandi proniores  
 sunt ac sagaciores. Constat igitur naturale lumen, debile infirmumq; nimis  
 esse nisi supernaturalis uirtutis auxilio adiuuetur. Sed quia multi super cæle-  
 stis luminis munere abusi sunt inter quos Iudæi primatum huius erroris tenent,  
 nunc contra eos nostra disputatio conuertetur, ostendemusq; ritus  
 eos, quos modo illi seruāt, minime deo acceptos, sed perniciosos esse ac pro-  
 terua quadam & insita obstinatione potius quam ratione defendi. Quam  
 quam enim de ueteri Testamento diuinitus tradito sese iactant, inanis est do-  
 ctrina, quam peruersus intellectus & per contemptum ingratitude cor-  
 rumpit. Quoniam uero omnis eorum spes à Messia dependet, quem adhuc  
 præstolantur, si ostenderimus Messiam hunc iam aduenisse, & ipsum fuisse  
 & esse Iesum Christum Nazarenum dei filium, quem nos iure colimus, & ad-  
 doramus, negare non poterunt, quia nostra à deo sit religio, & quin magno  
 ipsi errore teneantur. Quamuis autem eis rationes à nobis in secundi huius  
 operis libro allatę satis superq; sufficere deberent, quia si Iesus non est uerus  
 Messias, quis alius eo maior inueniri potest; cum melior uita cultusq; sancti-  
 or eo quem ipse docuit dari nequeat. Tum ut suis eos telis confodiamus, & a-  
 pistorum scripturas contra eos adducemus. Quod & breuiter expediemus.  
 Quia à doctissimis uiris, quorum extant in ecclesia libri, hæc materia diligen-  
 ter discussa est. Et licet nobis ratione potius quam autoritate procedendum  
 sit, nulla tamen efficacior ratio adduci potest quam si scripturas, quibus ipsi  
 indubitanter credunt, pro fundamento posuerimus. Ex quibus non nihil eti-  
 am utilitatis incredulis resultabit, si quæ à Christo gesta sunt, tot ante annos  
 certis oraculis prænuntiata esse intelligent. Iesum igitur Nazarenum à Iu-  
 dæis crucifixum esse uerum Messiam, quem omnes Patriarchæ & Prophet-  
 tæ prædixerunt Quem tot mysterijs præsignarunt. Quem unum expecta-  
 runt, facile probabimus, si quædam ab eis planè concessa uel per se ipsa ma-  
 nifesta præmiserimus. Primum quippe apud omnes Hebræos perspicuum  
 est in scripturis sacris deum eis saluatorem magnumq; Prophetam promi-  
 sisse: Quem ipsorum futurum regem præstolabantur, utq; illum audientes  
 in cunctis illi parerent, eis esse præceptum. Hoc enim omnes usque in præ-  
 sentem diem uno ore confitentur ipsum summo desiderio expectantes. Vnde  
 de Moyses Deuteronomij decimo octauo ad populum sic loquitur: Prophet-  
 tam de gente tua & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi dominus deus i-  
 psium audies ut petisti à deo tuo. Pauloq; post ait dominus Moysi: Prophet-  
 tam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui & ponam uerba  
 mea in

mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Certum est etiam & ab omnibus Iudæis comprobatum in scripturis sacris tam in lege Mose, quam in Prophetis & Psalmis ipsius Messiae conditiones esse prænuntiatas. De qua scilicet stirpe, quoque loco ac tempore sit nasciturus. Quam insuper uitam doctrinamque tradere, quid uide agere debeat, multaque alia, quæ ad ipsum solum Messiam sanè pertineat. Perspicuum quoque est innumerisque codicibus diuulgatum sacras scripturas ueteris Testamenti eam recipere interpretationem ut conditiones omnes ad ipsum Messiam tantum pertinentes Iesu Nazareno, quem ipsi crucifixerunt ad eum conueniant & coaptentur, ut nihil omnino ex lege Mose, & ex Prophetis ac Psalmis relinquatur, quod non aptissime ipsi Iesu Christo respondeat. Nec solum personæ Iesu Nazareni magna cum facilitate & mira cum uoluptate rota ueteris Testamenti insinuatio ascribitur, sed omnibus gestis pariter quæ post illius obitum in ecclesia successerunt, conuenientissime applicant. Ad eum ut nisi sciretur hos Prophetas antiquissimos extare ipsis Iudæis per uniuersum dispersis fidem circumferentibus, forte ambigi posset talia Christianos commentos esse ad ipsorum fidem simulata auctoritate confirmandam. Querendum est ergo à Iudæis: An Iesus sit uerus Messias an non? Si est, cur eum non sequuntur & Christiani non efficiuntur? Cum teneantur ex dei præcepto ipsum audire ac sequi. Si non est Messias, postquam deus sollicitus est se missurum uirum sanctissimum. Cuius conditiones descripsit & ab omnibus obseruatum iri præcepit. Quomodo dehinc omnia hæc permisit in altero adimpleri? Nam si Iesus non est Messias ab eis tanto desiderio expectatus. E tribus unum concedant nobis oportet. Aut enim Deus Iesum nesciebat esse uenturum in quo omnia quæ de Messia prænuntiata erant, adimplerentur. Aut non poterat, quamuis sciret, prohibere. Aut si poterat noluit. Quicquid autem horum trium deo imputauerint dementiæ maxime arguentur. Si ergo hoc sciuit & prohibere potuit. Cur etiam noluit? Nunquid deus est hominum deceptor? Vere nos Christiani ab eo redargui non possumus, quod Iesum sequamur Nazarenum super omnes admirabilem. Cum nemini præter quod illi omnia sacra oracula, omnesque ueterum figure signantius accommodatiusque conueniant aut conuenire possint. Quod si is non est Messias, frustra de alio sollicitum esse oportet. Cum huic similem dari posse, credere stultum sit. Sano itaque intellectu ueteris Testamenti scripturas, & ea quæ per Christum & per ipsius ecclesiam acta sunt, reuoluant. Cogitentque quid expectato suo Messie tribuere amplius possint. Quod multo rationabilius & abundantius in Iesu Nazareno, etiam si nouus ille, ut aiunt, superueniat non inueniatur. Certe nisi ex demerito perfidia sue indurati essent, luce clariora hæc esse cognoscerent. Item cum in sacris

scripturis tempus de Messia aduentu praedictum iam longe transierit, nec alius, cui Messiae attributa conueniant, praeter Christum apparuerit. Quis Messiam dubitet Iesum esse Nazarenum. Aut enim scriptura mentitur. Cui rei protinus Iudaei reclamabunt. Aut confitendo scripturam, Iesum pariter Messiam concedere oportebit. Quod autem Messiae tempus praeterierit, patet. Primo siquidem in Genesi uaticiniū illud celebre testatis Iacob habetur, uide licet; Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Vbi Chaldea translatio, quae plurimum apud eos habet autoritatis ait: Donec ueniat Messias. Manifestum autem est iam sceptrum de tribu Iuda & ducem de femore eius ablatum esse. Item Danielis nono legitur: Septuaginta hebdomades abbreviate sunt super populum tuum & super urbem sanctam suam. Ut consumatur praeuaricatio, & finem accipiat peccatum, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur uisio & prophetia & ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo & anima duerte ab exitu sermonis ut iterum reaedificetur Hierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem & hebdomades sexaginta duae erunt & rursum aedificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce uenturo, & finis eius uastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomas una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Quibus ex uerbis profecto cognoscere facile possumus Iesum esse uerum Messiam. Quia longo intervallo hebdomades istae iam praeterierunt. Nec alius cui uerba huiusmodi tribui possint praeter Christum, mundo haecenus apparuit. Nam in sacra pagina pro diebus uel annis septem, hebdomas tantum accipitur. Ut Leuitici 25. & 25. patet. Septuaginta autem hebdomades pro annis quadringentis nonaginta nuncupantur. Qui a tempore Danielis in hunc usque diem iam quater reuoluti sunt. Quod si hebdomada hic a Daniele aliter quam in Leuitico accipi uelint, querendum est quod tempus intelligant. Cumque nil certi ex scripturis proferre queant, quicquid praeter canonem dixerint, inuolidum & commentitium habendum erit. Si enim hoc in loco hebdomas aliam praeter consuetam in sacris scripturis & praeter communem omnium interpretationem recipiat, neque id a Daniele sit declaratum, frustra haec temporis praescriptio, quando minime uestigabilis sit, posita esset. Manifestamque erroris ac confusionis occasionem ueritatis indagatoribus reliquisset. Cum igitur consentanea ac legitima interpretatione tempus id transierit. Christum iam

stum iam aduenisse dicere oportet. Nec responderi potest uerum esse post  
 has hebdomadas Christum uenturum expectari. Tempus tamen, quo post  
 eas expectandus est, indeterminatum esse, tum quia nihil certi de eius aduen  
 tu Propheta determinasset, tum quia subiūgit apertius dicēs. Scito ergo &  
 animaduerte ab exitu sermonis, ut iterum reādicetur Hierusalem usque  
 ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ  
 erunt. Item paulò inferius: Confirmabit autem pactum multis hebdomas  
 una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium. Cuius certa  
 textus expositio nemini aliij conuenientius quam Christo tribui potest. Ex  
 quo patet quod propter illum talis scriptura facta sit. Alioquin ipse deus  
 (ut prædictum est) causam errori nostro dedisset. Qui cum prohibere posset  
 in alio uaticinium id ad unguem impleri passus sit. Sed iam ad expositio  
 nem accedamus. Quia enim ut ex præcedentibus patet. Iesus uenit ad ex  
 pellendos errores, & ad inducendos homines ad bene beatēque uiuendum,  
 quod quidem per Apostolorum præconia effecit, bene dicitur, septuaginta  
 hebdomades, scilicet annorum abbreviatæ sunt, id est, à deo decretæ super  
 populum tuum & super urbem sanctam tuam. Quia primum prædicauit  
 Iudæis. Ut consumatur præuaricatio & finem accipiat peccatum & addu  
 catur iustitia sempiterna. Quæ omnia (ut constat) in toto orbe terrarū iam  
 impleta sunt. Cum uero omnium ora Prophetarum nil aliud quam Iesum  
 Nazarenum loqui uideantur, bene sequitur in textu. Et impleatur uisio &  
 Prophetia. Et ungetur scilicet Spiritu sancto in sua conceptione, sanctus  
 sanctorum, id est, Iesus Christus. Quo meliorem & sanctiorem unquam fu  
 isse neminem superius à nobis enarrata testantur. Quia uero tali tempore  
 digna memoratu uaria diuersaque facta sunt, enumerationem temporis ac  
 curate distinguit. Primo de hebdomadibus septem mentionem faciens,  
 Quia in his annis summa cum difficultate templum & ciuitas noua ædifica  
 tione instaurata est, ut in Esdra & Neæmia continetur. Secundo sexaginti  
 duas hebdomadas describit, quibus Iudæi (ut in Machabæorum historijs  
 legitur) grauer uexati sunt. Tertio hebdomadem unam enumerat.  
 Quia ab illius initio cœpit Iesus prædicare, & in eiusdem dimidio fuit occi  
 sus. Tribus enim annis cum dimidio prædicauit. De hinc Apostoli E  
 uangelium populis annuntiauerunt, ostendentes, quod hostiæ & sacrificia,  
 quæ uenturum Christum significabant, amplius necessaria & persoluenda  
 non erant. Quia præsentē ueritate cessare debet figura. Prouide signan  
 ter ait. Scio igitur & animaduerte ab exitu sermonis. Ut iterum ædi  
 ficetur Hierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, &  
 hebdomades sexagintaduæ. Quia scilicet in fine harum hebdomadum

& in principio septuagesimæ prædicans Christus se palam populis facere  
 cœpit. Vt aperte doctores nostri ex annalibus regum declarant. Quæ quia  
 ubiq; legi possunt breuitatis hic gratia omitemus. Et rursus scilicet in pri-  
 mis septem hebdomadibus ædificabitur platea & muri in angustia tempor-  
 rum. Et post hebdomadas sexagintaduas, uidelicet in medio hebdomadis  
 septuagesimæ occideret Christus. Nam post septuagintaduas hebdomadas  
 illas, cum primū cœpit uerbo & opere se cunctis patefacere, cœperunt & lu-  
 dæi in illius perniciē conspirare. In medio autē hebdomadis eum crucifixe-  
 runt. Et quia corā Pilato illum ipsi Iudæi ultro negarūt, dicentes: Non habet  
 mus regē nisi Cæsarē, fuerunt ab ultore scelerū deo non iniuria reprobati.  
 In quorū locum populus gentilis uocatus est. Propterea sequit̄. Et non erit  
 eius populus, qui eum negaturus est. Insuper propter hoc peccatū clades or-  
 stendit̄ cum dicit̄: Et ciuitatē & sanctuariū, id est, templū dissipabit populus,  
 scilicet Romanus, cum duce uenturo, scilicet Vespasiano & Tito. Atq; inde  
 dispersos & uēditos absq; ulla redemptione uel reædificatione dirute urbis  
 & templi sequens declarat textus dicens: Et finis eius uastitas & post finē bel-  
 li statuta desolutio. Quoniā uero se missurū deus Patriarchis & Prophetis  
 Messiam promiserat, qui eis regnum cœlorum aperiens legem nouam præ-  
 dicaret, ut Hieremiæ 31. habetur dicentis: Ecce dies uenient dicit dominus,  
 & feriā domui Israēl & domui Iuda fœdus nouū non secundū pactū quod pe-  
 pigi cum patribus uestris in die qua apprehendi manū eorum, ut educerem  
 eos de terra Ægypti, pactū quod irritū fecerunt & ego dominatus sum eor-  
 rum. Sed hoc erit pactū, quod feriā cum domo Israēl. Post dies illos (dicit do-  
 minus) dabo legē meam in uisceribus eorū. Et in corde eorum scribā eam.  
 Et ero eis in deū, & ipsi erunt mihi in populū. Subditur itaq; in Daniele. Con-  
 firmabit autē, id est, per sanguinē suum & per suam & Apostolorū prædica-  
 tionē pactū, id est, nouū Testamentū multis, non omnibus quia non omnes  
 crediderunt. Hebdomas una, scilicet ultima, & in dimidio hebdomadis de-  
 ficiet hostia & sacrificium. Quia in hoc dimidio occisus fuit Christus Iesus.  
 Quē omnes hostiæ & sacrificia ueteris legis referēbāt. Merito itaq; superue-  
 niente luce umbra cessauit. Cū uero templū pristinū cum suis sacrificijs post  
 modū inutile omnino foret, uoluit deus ut pphanaretur, ac tandē funditus  
 destrueret̄. Vnde sequit̄: Et erit in tēplo abominatio desolationis. In loco em̄  
 in quo arca erat, erecta est Adriani imperatoris statua. Quā ideo abomina-  
 tionē uocat, quia apud Iudæos omne idolū abominabile dicit̄. Vel ad eorū  
 sacrificia referri potest. Quæ abominabilia deo facta sunt. Deniq; quia Iudæi  
 non nisi in fine mundi ad fidem Christi conuertentur, concludit Daniel. Et  
 usq; ad consummationem & finem perseuerabit desolutio. Quod pariter O-  
 seę tertio confirmatur his uerbis: Dies multos expectabis me. Non fornica-  
 beris, scilicet cum idololis, Iudæi enim non sunt idololatræ, Neq; post reditū  
 eorum

eorum de Babylonica captiuitate exceptis forte per paucis tēpore Machabaeorum in hunc usq; diem idola coluerunt. Et non eris cum uiro, id est, Christo Iesu. Sed & ego expectabo te. Quia dies multos sedebūt filij Israhel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine teraphin. Et post hæc reuertentur filij Israhel & querent deum suum & Dauid, id est, Christum natum de Dauid regem suum, & pauebunt ad dominum & ad bonū eius in nouissimis dierū. Ecce ergo quā aperte & rationabiliter huiusmodi pphetia de Iesu Nazareno explanat. Idemq; de omnibus alijs, si quis diligenter eas legerit, cōperietur. Sed ut ad rem propositam redeamus, patet Messie tēpus iam transactū esse. Cum ergo nemo alius, cui Messie pphetiares cōueniant, præter Iesum Nazarenū hæctenus apparuerit, & præfixa diuinorum oraculorum tempora in eo cōsummata transierint, & multæ etiam temporū determinationes à ludæorum magistris dehinc positæ eos fefellerint: Alium expectare Messiam deliriū atq; impiū est. Hoc idem postrema eorum testat captiuitas. Si omnia ipsorum euenta cōsiderantes Babylonicæ captiuitatis, de qua totiens antea scriptis ac figuris per Prophetas fuerat prænuntiatum, hanc nouissimā comparemus. Babylonicæ siquidē captiuitatis causam ipsi suis libris asserūt eorum scelera ac flagitia innumerabilia & præsertim idololatriæ peccatū fuisse. Quod inter omnia crimina est maximū. In ipsa autem captiuitate non desuere duces ac Prophetæ uiriq; sancti, qui illos usque quoq; consolarent. Captiuitatis insuper eiusmodi terminus septuaginta, scilicet annorum eis prænuntiatus fuit, ultra quē captiui non fuerunt. Hæc autē ultima eorum captiuitas iam ad quinquaginta supra mille & quadringētos annos usq; perdurauit. Quibus omni diuina consolatione destituti, neq; duces neq; prophetas, neq; sanctos uiros nec quenquā, qui huius captiuitatis terminum eis prænuntiet, habuerūt. Neq; uero huius afflictionis causam idololatriæ peccato ascribere possunt. Quia (ut diximus) post captiuitatē Babylonicam paucis exceptis, in quos Machabæi uultu sunt, tale peccatū non admisisse perhibent. Queramus ergo à ludæis quæ tantæ in eos diuinæ uindictæ sit causa, ut in omnē terrā dispersi & apud cunctas nationes ludibrio odioq; habitus infatigabiles pœnas luant. Cur hoc inquā ludæi? Nempe ideo usquequoq; dispersi ut scriptorum uestrorū monumenta in testimoniū Messie Christi q; nostri circūferatis. Ne nos scilicet habeamur de ueritate suspecti. Cur inquam post mille iam à quadringētos à Hierusalē euerfione annos incerti adhuc erratis cunctis odiosi nationibus & miserabiliter afflictis? Quæ tantæ est aduersus uos causa uindictæ? Cur uos clemētissimus deus genus electū, genus sibi peculiariter consecratum post tot pœnas minime respicit? Cum itaque propter eorum scelera & potissimum propter idololatriæ peccatū ludæi septuaginta annorum tantūmodo captiuitatē perpessi sint, uarijs tamē prophetarū oraculis interea confirmati, in hac autem postrema diuturna q; ac sine termi

no aut



no aut ullo diuino subleuamento miseram ærumnosamq; conditionem perferant, maius profecto aliquod quam idololatriæ scelus imputari illis oportet. Quid autem maius esse potest quam Messie illis promissi contemptus, persecutio & occisio pessimâq; cōtra eum obstinatio. Quam ob causam proculdubio tot malis obnoxij Iesum hunc uerum esse Messiam, in quem tam grauius deliquerunt, cōfiteri deberent. Item cum nullum sanctitatis & ueri diuiniqu; cultus uestigium amplius in eis appareat: Sed solum auaritiæ studiū in usuris cumulandisq; pecunijs sequatur, atq; omni careant prophetia, nullumq; indicet signum deum cum illis esse. In populo uero gentili omnis uitæ sanctimonia magnâq; & miranda opera, quæ superius commemorata fuerunt, facta cernantur. Manifestum est Malachiae impletam prophetiam primo capitulo in persona domini ad Iudæos dicentis: Non est mihi uolūtas in uobis dicit dominus exercituū, & munus non suscipiam de manu uestra. Ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gētibus, dicit dominus exercituū, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus dicit dominus exercituū. Alioquin si deus cum gentibus non esset, quandoquidem Iudæos deseruit, sequeretur ut relicta mortalium cura is nullam humanarū rerum prouidentia haberet. Item cū res mininas deus non negligat, multo minus negliget maximas. Sed per ora prophetarū multo minora ijs, quæ à Christo & ab eius discipulis in orbe terrarū gesta sunt, prænuntiavit. Nā de quolibet ferē etiam exiguo regno, ut de Idumeis, Moabitis, Ammonitis & similibus uaticinia extant. Mirabile igitur esset de incōparabilibus Christi eiusq; discipulorum operibus, quibus uniuersis mūdus immutatus est, nihil eum omnino præmonuisse præsertim cum omnia, quæ ab exteris contra Iudæos tentata aut illata sunt mala, quemadmodū euenerūt, illis prænuntiata sint. Sed nulla gens Iudæis grauior a diuturnioraq; intulit detrimenta quā Christianū imperiū. De quo si nulla facta esset mentio frustra in minoribus tanta sollicitudine & instatia per prophetas fuissent præmoniti, quādo in maximis omnium calamitatibus in tantōq; religionis discrimine, nihil ab ipsis prophetis, acciperent. Cum ergo hoc credere nefas sit, cōcedere oportet de Iesu eiusq; operibus prophetas proculdubio cecinisse. Sed si diligētius scripturæ & opera eius considerentur, illa tantūmodo oracula ipsi conuenire possunt, quæ de Messia scripta fuerunt. Quoniam hæc non nisi Iesu Christo inter omnes homines, qui in hanc usque diem mundo apparuerunt accommodari possunt. Cui soli omnes Messia proprietates & scripturarum omnium interpretationes conueniunt. Patet igitur uerum ipsum esse Messiam. Nisi homines ab ipso deo fuisse deceptos (quod absolum impiūq; esset) sit ai bitradum. Præterea Hebræorum historias perquirentes semper inueniemus ante Christi aduentum apud eos deum mirabilia fecisse, qualia nunquam alibi uisa sunt.

uifa sunt. Sed postquā Christus aduenit, & sui eum non receperunt. Manum pariter deus subtrahens omni eos uacuos gratia reliquit. Hoc etiam obtenebratio eorum intellectus declarat. Quia postquā ueritate contempta obscuratum est inspiens cor eorum tot fabulas mendaciāq; in thalmutica ipsorum disciplina confinxere, ut nulli hominum magis delirent. In exponendis autem sacris scripturis tot ac tam manifestis implicantur erroribus, ut iam amplius peccandi consuetudine eos errare non pudeat. Quasi familiaris sit ipsis deprauandi mentiendiq; licentia, ac de temeritate atq; indurata obstinatione sua liceat gloriari. Plurimæ aliæ rationes contra eos afferri possent. Sed quia à multis sacris doctoribus efficaciter copioseq; ueritas in aperto posita est, his paucis contenti simus, quæ si cum expositis in secundo libro iungantur, certissimam fidem facient Iesum Nazarenum esse uerum deum uerumq; Messiam: In quo leges omnesq; Prophetæ conquieuerunt.

*Hæreticorum omne dogma falsum ac peruersum esse. Cap. VI.*

**N**unc cōtra hæreticos disputandum est. Qui licet Christum eiusq; Euāgelium confiteantur uarijs tamen implicantur erroribus. Verum quia singulorum dogmata recēdere ac refellere in maius uolumen excederet, quod quidem minime necessarium est, cum à sacris doctoribus ubique confusi profligatiq; sint, omnes uno eodēque ictu semel confodiemus. Primum quidē probabimus oportere uniuersam ecclesiam uno tantum capite gubernari. Nam si hæretici credunt diuina prouidentia homines ecclesiamque, pro qua tot mirabilia deus fecit, regi ac gubernari, concedere oportet ecclesiæ regimen esse optime ordinatum utpote ab eo dispositum per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Multitudinis autem regimen optimum est, si per unum regatur. Quod ex fine regiminis patet, qui est pax subditorum & unitas. Huius autem rei causa congruentior unus est quam multi. Ideo ecclesiæ regimen ita dispositum esse oportet, ut unus toti præsit ecclesiæ. Militans quoq; ecclesia à triumphantis autem ecclesiæ unus est rector & dominus, scilicet deus. Vnum igitur militantis ecclesiæ præsidem esse oportet. Item cum naturalia sint ordine mirifico instituta, tātō magis in supernaturalibus id credendū est. Videmus autē ubicunq; in naturalibus regimen apparet, ad unum redigi: Quæa dmodum omnes motus ad unū primū motorē. Apes ad unū regem, omnia animalis mēbra ad cor deniq; diriguntur. Itidēq; in reliquis & unoquoq; genere dare oportet unū primū, quod est aliorū mēsurā. Ergo in ecclesia dei tātō magis necessariū est caput unū ad totius populi christiani gubernationē, quātō omnia regimina sua dignitate excellit. Itē omnes hæretici aut nobiscū in nouo Testamento

isto Testamēto tantū: Aut in utroq; cōueniunt. Sed in utroq; unū caput eccle-  
 siae decernit. Nam Osee primo legit: Cōgregabuntur filij Iuda & filij Israel  
 pariter, & ponent sibi met caput unū. Et Ioannis decimo. Fiet unum ouile &  
 unus pastor. Neq; id soli Christo rationabiliter tribuendum est. Itaq; post su-  
 am ascensionem in cœlum absq; duce ac uicario ecclesiam reliquerit. Maxi-  
 ma nanq; inde cōfusio sectioq; in partes, & uariarum opinionum præsertim  
 circa fidem & bonos mores incerta determinatio sequeretur. Non enim sci-  
 ri posset quæ ut potissima esset tenenda sententia, nullaq; iustitiam admini-  
 strandi ratio aut facultas haberetur. Sed etiam ipsius Christi uerbis repugna-  
 ret. Quandoquidem singulariter Petro iniūxit. Pasce oues meas, & iterum:  
 Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus con-  
 firma fratres tuos. Quapropter Petrum uicarium suum ostendebat. Quod  
 etiam apertius expressit, cum dixit tu es petrus & super hanc petram ædifi-  
 cabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.  
 Et tibi dabo clauis regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram  
 erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum  
 & in cœlis. Non autem dicendum est hanc dignitatem uni Petro & non  
 eius posteris esse concessam, cum ecclesiam pari ordine usque in finem se-  
 culi duraturam Christus instituerit. Vnde discipulis suis omnium fidelium  
 uices tenentibus ait: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsum-  
 mationem seculi. Et Esaias nono inquit: Super solium David & super regnū  
 eius sedebit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia modo &  
 usq; in sempiternum. Sequitur ergo ut ministerium hoc perpetua successio-  
 ne usq; ad consummationem seculi tanquam ipsi ecclesiae perutile omninoque  
 necessarium sit confirmatum. Cum itaq; Petrus fuerit à Christo uicarius, to-  
 tiusq; ecclesiae pastor subrogatus, consequens est ut omnes Petri successores  
 eandem habeant potestatem. Cumq; Episcopi Romanæ sedis locum Petri  
 teneant. Manifestum est Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum esse dor-  
 cem atq; magistram omniumq; fidelium cōgregationem Romano esse pon-  
 tifici uniendam. Qui ergo ab unitate Romanæq; ecclesiae doctrina dissentit,  
 proculdubio per deuia oberrans à Christo recedit. Sed omnes hæretici ab  
 ea discordant. Ergo ij à recto tramite declinant, neq; christiani appellari possunt.  
 Hæreticus enim ille dicitur, qui sacrae paginae ac sacrosanctæ Romanæ  
 ecclesiae doctrinam peruertens quam sequatur sectam sibi deligens in ea ob-  
 stinate perseuerat. Item ut sepe dictum est, ueris uera concordant, omniaq;  
 uera sese mutuo confirmant. Sed hæretici ita inuicem dissentiunt, ut in nullo  
 ferè conueniant: Quin imò alternis se ferunt iaculis, aded ut nil in eis solidi  
 inueniatur. Ex hoc ergo cognoscitur quod à ueritate sunt alieni. Romanæ au-  
 tem ecclesie doctrina in his, quæ & ad fidem & ad bonos mores pertinent  
 una est. Cumq; innumerabiles ferè sint catholici doctores, in nullo ab ea aut  
 dissentiant

dissentiunt aut dissentire uolunt. Item Christi & militantis ecclesie regnum non modo usque ad consummationem seculi stabilitum est. Sed post renouationem orbis pariter durabit in eternum. Vt Euangelium & omnes scripturae sanctorumque monumenta testantur. Heretici autem, qui & ui & ingenio catholicos sunt acerrime persecuti, in acie contra Romanam ecclesiam stare non potuerunt. Sed cum suorum prauitate dogmatum sectatorumque pernicacia funditus corruerunt. Ex quo patet eorum falsa uolumina à deo non fuisse nec eorum doctrinam fuisse christianam. Vita insuper eorum multis in secta sceleribus idem potissime arguit. Quorum nemo etiam ex præcipuis hæresiarchis tam in uita quam in morte in honore aut ueneratione habetur, aut habitus est. Sicut innumeri contra fideles. Quorum memoria in benedictione permanet in eternum. Quorum etiam cineres ossaque à catholicis adorantur, natalisque ipsorum dies summis cum laudibus celebratur. Eorum denique libri uanis pleni manifestissimisque erroribus, non modo contra sacram scripturam, sed contra rationem naturalem ueramque Philosophiam tendentibus reuincuntur. Quia ergo satis contra eos à sacris est doctoribus disputatum, utque funditus sublatis sunt, non oportet in hoc nos amplius laborare. Illorum & enim doctrinae peruersaque religionis abolitio fidem facit eorum prauitatis. Quoniam quæ à deo sunt certam rectitudinem firmitatemque habent, ac dissolui non possunt.

*Mahumetanorum sectam omni ratione carere. Cap. VII.*

**A**T Mahumetani quodammodo inter Iudæos & Hæreticos medijs, postremo nobis loco conuincendi supersunt. Nam & Iudæorum circuncisionem imitantur. Et omnium ferè Hæreticorum errores coaceruarunt. Ideo non multo labore hæc contra illos pugna conficietur. Si quis enim inter eos uersetur illorumque mores ac religionem diligenter consideret, legiserique Mahumetis perlegat Alcoranum, quem inuiolabili fide tenendum putant, facile uanitatem rei deprehendet. Omnis namque uera religio aut à naturali aut à supernaturali lumine proficiscitur. Sed eorum superstitio penitus confusa à neutro horum lumine prouenit. Quiuis enim uel mediocriter rationis Philosophiaque peritus tam in speculatiuis quam in practicis eam religionem facile subuerteret. Cuius autor se literarum omnino ignarum fuisse ostendit. Librum enim suum, quem Alcoranum, id est, præceptorum collectionem uocat, ad eum insulse ac confuse tradidit, ut à nemine ordinem ullum in eo deprehendi posse existimem, quod præcipuum ignorantia est atque secordia signum. Tot præterea in eo fabulae totque contra bonos mores imperata uel permessa continentur, quæ Philosophi ludibria & nefaria censerent, ut ea irridere satius sit quam refellere, huiusmodi ergo religio ab ipso lumine naturali, cui contraria est, prouenire non potest. Neque etiam

etiam à supernaturali proueniet. Quicquid enim naturali lumini aduersat, ipsi etiam supernaturali contrarium est, ut postea ostendemus. Item quæ malo inchoata sunt principio, bonum per raro uel nunquã exitum sortiuntur. Sed hæc secta autore gloriatur Mahumetæ. Qui sicut certa tradit historia profus irrationabilis, sceleratus, adulter, & populorum prædator fuit. Cumq; epileptico ut fertur, morbo sæpe correptus collaberetur, interrogatus cur id ei contingeret, se angeli colloquio tunc frui referebat. Vt autem & gladio non rationibus instructus, pollicitationibus primum malæq; arte homines rudes ac impuros sibi asciuit. Quibus paulatim alios in suam lasciuam fabulosamq; sectam pellexit. Armisq; peruagante licentia imbellem multitudinem subegit. Cum ergo origo pessima fuerit. Neq; à deo cœpisse, neq; bono potest sine concludi. In Alcorano item Mahumetes Euangelium uetûsq; Testamentum ubiq; probans atq; confirmans Christum cõmendat. Quem de uirgine natum Prophetamq; uerissimum confitetur. Quid ergo insipientius dici potest, quam eadem affirmare & negare. Nec eam, quam probat, doctrinam sed contrariam sequi. Illud autem ridiculum est, quod in erroris sui excusationem affert dicens Euangelium à nobis esse cum ueteri Testamento deprauatum. Quod tam facile ac aperte refellitur, quam leuiter temerèq; prolatum est. Pro certo enim constat utriusq; Testamenti codices Hebraicis, Græcis Latinisq; literis iuxta harũ nationũ idiomata antiquæ monumentis asseruari, & per uniuersum orbem exijs complura uolumina eodem exemplo uarijs temporibus fideliter esse transcripta, uetustissimæque nouissima confirmari. Quomodo ergo in tot exemplaribus apud diuersas mundi nationes uarijs linguis dissimilibusq; hominum studijs & ingenijs potuit hæc simul locum habere deprauatio? Imò ex huiusmodi scripturarum consensu illius fabulæ ac mendacia, quibus inepte procaciterq; utrumq; Testamentũ uitiauit, planè deprehenduntur. Vera insuper religio ad bene beatèq; uiuendum & ad cordis puritatem ueritatisq; contemplationem est ordinata. Eiusmodi autem secta terrena tantum sapiens nulla uere beatitudinis mentione habita, bestialem quandam uoluptatem uentri consentaneã pollicentem uitam pollicetur. Nequis uero eum parabolice locutum existimans in alium sensum illius uerba accipienda putet, asseueratio totius sermonis ostendit. In quo liberum sibi mentiri putans, nihil in figuris à se traditis inter tot deliramenta unquam dixit. Huius ergo uanitas religionis per se declaratur. Nil præterea diuinum aut mirabile in hac secta, propter quod à deo existimanda sit, apparet. Nullis enim quemadmodum christiana religio, fulcitur miraculis. Quod ipse Mahumetes attestatur. Qui ait Christo miraculorum uirtutem, quibus potissime mundum conuerteret, sibi uero gladij potestatem esse concessam. Et ad hoc missum ut per uim ad fidem suam populos compellat, perinde ac per tyrannidem uoluptatèq; acceptabile

acceptabile deo sacrificium. Quod autem maximum inter eos habetur est ubi pronuntiatur. Non est deus, nisi deus, & Mahumetes nuntius eius. Et sæpe repetit Alcoranus. Deus est magnus & potens, & notissima quædam de deo multis postea deturpata fabulis. Quas nec pueri nostri dignarentur.

Nemo insuper inter eos magnarum diuinarumq; rerum autor uel Prophetæ aliquando uisus est. Sed fatuos stultosq; quosdam per furorem ac insaniam seipso ferientes, ac debacchantes tanquam sanctos uenerantur. Apud quos nullam omnino diuinorum peritia est. Quam stulte etiam Mahumetes in Alcorano sibi met contradicat, uel ex eo apparet, ubi se nescire fatetur utrum ipse & sui in uia sint salutis necne. Neminemq; inter mortales haberi, qui Alcoranum intelligat. Nonne is autor de sua deq; aliorum salute incertus ac mandata perplexa inscrutabiliq; proponens potius lapidibus obruendus quam imitandus fuit? Cum itaque nullis rationibus, nullis miraculis, nulla que uitæ sanctimoniam huiusmodi dogma fundatum sit: Sequitur ut omni ex parte sit sugillandum. Quod si disputandi cum eis daretur locus, facillime uanitatis huius error detegeretur: Sed inscitiae ac prauitatis suæ conscius Mahumetes callide mandauit non nisi gladio religionem suam tuendam esse. Ut quod ratione & honestate defendi non poterat, serino impetu decerneretur. Sed fortè obijciat aliquis. Cur fide Christi iam in toto orbe terrarum propagata passus est deus opere Mahumetis innumeros populos ab imperio ipsius Christi subduci & ad alias leges compelli? nec ultricem manum tanto tempore in eos extendit? Sed potius illorum imperium in hunc usque diem augeri permisit: Si ergo Christus est deus, illique Mahumetes aduersus cur se à Mahumete superari passus est? Vera igitur (inquiunt Saraceni) fides nostra est, uestra autem falsa. Hoc enim potissimum argumento aduersus Christianos se defendunt. Quo etiam multi è nostris ita obediunt, ut quid respondeant prorsus ignorent. At nos primo respondemus ex hoc superiora argumenta nostra, quibus Christum deum & religionem Christianam ueram esse probauimus, non infirmari. Nam si uita sanctior ea, quam docuit Christus, inueniri non potest: Atque si nemo alius à seculo tot mirabilium & diuinorum patrator operum comparuit, quis dubitet hunc cœlitus deum & hominem pro salute humani generis aduenisse, quem talia ac tanta oracula, signa, gesta, successusq; testantur? Quod si qua in terris religio uera est. Nulla præter Christianam alia dari potest. Quæ profecto Mahumetis legi penitus celsisset. Si meliora præcepta ab eo introducta, aut maiora opera fuissent exhibita. Cum autem in eius lege uniuersoq; populo nil magnificentum, nil præclarum, nil singulare æditum sit. Sed enormia & subsannanda multa conspiciantur, nunquid præferendus est Christo: eo quod multos à catholica fide seduxerit, plures debellauerit, & in malo inuoluerit? Cur

luerit: Cur non pari argumēto humani generis subuersor diabolus Christo  
 melior dici potest: qui plures multo quā Mahumetes à ueritate detorquet.  
 Cur iustis sanctisq; uiris impij & bonorum corruptores qui plures quam iu  
 sti ad se trahunt, non præponuntur: O admirabile argumentum Mahumet  
 tem Christo præponi, quia rudes & eneruatos populos ipsius fraudibus &  
 pollicitationibus, minis insuper & gladio à fide Christi sanctissima subdu  
 ctos ad uoluptatem perditosq; mores induxerit. Sanè opere precium est in  
 malitia gloriari. Haud talia nostra sunt argumenta. Non his religio nostra  
 nititur fundamentis. Quid uero mirum est si pauciores Christum sequantur  
 iubentē benefacere, & mala pati, & propter inuisibila omnibus mundi blan  
 ditijs abstinere. Duraq; omnia acerbacq; potius eligere quam modestiam,  
 Continentiam, iustitiam, Pietatem fidemq; maculare: Quod si illorum uali  
 da esset ratio, omnis Philosophia confundi posset. Dum bonum malum, ue  
 rum falsum, ac lucem deniq; ipsam tenebras existimare appellareq; liceret.  
 Pauci enim Philosophorum ueritatem uerumq; bonum sequuntur. Ideoq;  
 rari inter eos uiri integri extiterunt. Si ergo uitam ex numero commende  
 mus certe bonum quod à per paucis obseruari cōsueuit, malum potius, mul  
 torum autem errorem bonum esse dicemus. Quod cum absurdum sit, con  
 stat ab ipso Mahumete non ideo Christum esse superatum, quod diuina uo  
 luntia permittente multos lasciuenti licentia armisq; subegit. Quemadmo  
 dum etiam diabolo ac prauis hominibus assidue incautos & inertes simpli  
 cesq; & innocentes circunuenire & opprimere permissum est. Nam si Chri  
 stus cum adhuc eius nomen ignotum esset & nouitate ignominiose mortis  
 inaudita omnibus fugiendus & nihili pendendus uideretur, contra uniuersu  
 sum mundū præualuit: Quid modo si uellet post eius ubiq; gloriam celebra  
 tam receptamq; efficere possit: Nonne facilius nunc quam ab initio Christia  
 ni nominis palma consurgeret: Sed hæc omnia ipso sciente ac permittente,  
 quemadmodum etiam ab ipso prænuntiata sunt, in ultionem scelerum eue  
 nerunt. Scriptum est enim. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Ecclesia quæ  
 sæpenumero aucta & diminuta est. Liberum enim ad uirtutes & ad uitia no  
 bis deus dedit arbitrium. Nec ab ipso deo in alterutram partem coguntur  
 homines. Neq; enim stante natura cogi possunt. Alioquin neq; merito, neq;  
 demerito locus esset. Si libertas cessaret. Deus autem premijs tantum homi  
 nes attrahens & pœnis à malo deterrens, non semel concessit naturæ uiola  
 tor, sed conseruator existit. Delinquētibus itaq; uarias pœnas comminatus  
 primam statuit, nisi cito resipisceret, mentis excæcationem. Vnde in perso  
 na Christi & iustorum omnium contra impios loquitur Dauid: Obscurent  
 oculi eorum ne uideant, & dorsum eorum semper incurua. Et ad Esaiam ait  
 do minus: Vade excæca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos  
 eius

eius claude, ne quando uideat oculis suis & auribus suis audiat & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Sic & incredulis Iudæis, qui credere primi debuerant cordis obstinationi Euangelio sæpius & euersio Hierusalem eorumq; captiuitas usque in finem mundi duratura prænuntiata est.

Item multos à fide catholica defecturos paucosq; saluandos legimus. Vbi in ipso Euangelio de nouissimis diebus loquitur dominus. Quia enim abundabit iniquitas, refrigescet (inquit) charitas multorum. Et alibi. Cum uenerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra: Et Apostolus eius Paulus ad Timotheum scribit. Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide: Attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisis loquentium mendacium. Denique si Euangelicam doctrinam reuoluamus hæc omnia à Christo prænuntiata & ipso permittente subsequuta esse comperiemus. Male uiuentes enim suo priuat lumine ac in cæcitate relinquit. Quemadmodum ergo Iudæos propter ipsorum superbiam pertinaciamq; ita & Mahumetanos aliosq; à fide contumaces propter scelera puniuit. Nulla enim pœna grauior infligi potest quam ueri luminis rectæq; uitæ priuatio. Propter quam certa damnationis æternæ uia præcipitium ducit. Nam prout superius declarauimus extra fidem Christi nulla reformatio nullaq; salus sed error ac perditio est. At fortè dices. Cur pro patribus filij pœnas luunt? Si enim prisci Iudæi ac Mahumetani peccauerunt, cur in filios & nepotes eorumq; posteros huiusmodi pœna deuoluta est? Respondemus itaque eam esse christianæ fidei ubiq; terrarum manifestationem & miraculorum famam, ut nemo se excusare possit, quin ei ueritatis inquirendæ cognoscendæq; facultas oblata sit. Quam si neglexerit, ipsi impitetur, neq; enim in parentum reatum ueniret ultio, nisi idem crimen sequeretur. Aut si iuxta rationem naturalem uitam saltem componeret. Ab ipso deo, qui in necessarijs nemini deest, sed semper est præsto, proculdubio illustraretur. Id quod iam satis supra ostendimus. Quanquam occulta insuper dei iudicia plurima sunt. Quæ ab hominibus inuestigari non possunt. Propterea ait Apostolus: Cõclusit deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur. Moxq; inscrutabilem & profundissimã diuinæ maiestatis abyssum expauescens exclamat. O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uia eius. Quis enim cognouit sensum domini, aut quis cõsiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi & retribueretur ei? quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia, ipsi honor & gloria in secula seculorum, amen.

Illud tamen sciendum est quod sicut dominus noster Iesus Christus futura hæc mala prænuntiavit: Ita ecclesiam quoq; suam in stabili petra fundatam nunquam defuturam attestatus est dicens: Ecce ego uobiscum sum omnibus



diebus usq; ad consummationem seculi. Sicut ergo quæ is prænuntiavit ad hunc usq; diem omnia euenerunt: Inter quæ multorum à fide cernitur defectio: Ita credimus ecclesiam in æternum permansuram. Tam solida enim habet fundamenta: Vt putare nefas sit ea posse subuerti. Quin imò ubi ultrix ira dei in pessimos christianos cæterosq; infideles completa fuerit ecclesia illum suam renouaturum atq; uniuersum terrarum orbem ad se conuersurum esse confidimus, ut fiat unum ouile & unus pastor. Quod non procul abhinc omnino fore speramus. Atq; ita per varias temporum uices nunc prospere, nunc aduerse nauigans Petri nauicula perseuerabit. Donec ueniat dies domini magnus. In quo manifesta erunt abscondita tenebrarum, iustissimæque dei iudicia tum demum cognoscentur. Nunc autem quo ad peruersitatem Marci humetis pertinet satis dictum est: Postquam neq; diuinis neq; humanis rationibus se tueri potest. Sed sola ui atq; irrationabili impetu fertur. Cùmque nullum uiolentum possit esse perpetuum quanto magis aucta est, tanto maiore corruet lapsu. Cuius sanè ruina seductis ab eo populus comperta ueritate fiet in salutem.

*Christianam religionem omnino ueram & stabilem esse.*

Caput

VIII.

**S**Vperioribus itaq; sectis & erroribus confutatis. Cum omnis religio uel à naturali uel à supernaturali lumine, uel ab utroque proficiscatur: Si quæ aliæ uel religiones uel superstitiones inuentæ fuerint ad illas quas enumerauimus, redigentur. Religiones enim solo lumine naturali contentæ, aut à ueris principijs humanæ rationis proueniunt, & hæc Philosophorum traditio, quam ad salutem non sufficere probauimus est. Aut à falsis principijs originem habent. Et hæc duplici constant differentia. Quæ uel à falsis tantummodo rerum naturalium principijs pendent. Cuiusmodi est Astrologorum superstitio quandam ostentantium diuinandi periciam, quam pariter reprobauimus. Vel à falsis habentur principijs dæmonum arte inuentis. Veluti est idololatria superius à nobis damnata. Si autem à lumine supernaturali religio sit accepta. Nulla alia, quæ lumen naturale transcendat, præter ueteris & noui Testamenti legem inuenitur. Aut ergo solum uetus Testamentum probatur. Idque Iudæi faciunt deum uerum se colere affirmantes. Aut nouum peruertitur & deprauatur, quod ab hæreticis, aut utrunque confunditur, quod ab ipsis fit Mahumetanis. Qui autem utrunque Testamentum cum naturali lumine fideliter tenent, christiani sunt naturalium scientiam supernaturalemq; amplectentes, ac præ omnibus recte sentientes. Cum itaq; omnes mundi religiones sectæq; hætenus inuentæ, uel inueniendæ sint, quas recensuimus, uel inter eas annumerandæ: Nullaq; aliarationibus ac miraculis christianæ religioni cõferri possit, quæ tanto cæteras omnes

omnes excedit, quanto est cœlum terra sublimius, quantum uis lux à tenebris differt. Manifestum est solam christianam religionem ueram ipsamque unicam salutis portum tutissimum esse. At si quis arbitretur religionem adhuc meliorem forte superuenturam, futurumque aliquando existimet ut ea superueniente christianæ fidei derogetur. Nequid relinquatur intactum omnem cauillationem auferemus. Primo itaque dicimus cum in presenti nulla melior religio quam christiana inueniatur, huic esse penitus inhærendum. Ut quantum conceditur deo recte seruiamus. Sin autem meliorem deus inspirauerit, tunc illam sequi oportebit. Sed hoc nondum apparuit. Idque esse euenturum omni ratione coniecturæ caret. Si enim ut superius efficaciter probatum est nullus melior humanæ uitæ finis, nec certius medium aut perfectior uita his, quæ christiana religio ponit, inueniri aut excogitari possunt: Quid amplius licet optare? Cum etiam illius exterior cultus sit admirabilis, & ad inducendum homines ad suum finem optimus. Tot insuper rationibus, oraculis, signis, atque miraculis fundata stabilitaque sit, ut nil maius in mundo fieri possit. Sed esto meliorem in posterum dari posse religionem. Non tamen christianam professionem ea damnare aut abolere posset. Cum enim christiana fides (ut in secundo huius operis libro ostendimus) supernaturali præcipue lumine ducatur. Non potest esse nisi à deo. Ex quo tot bona totque mirabilia mundo affluerunt. Quæ solus ipse deus non alius facere ualuit. His pariter naturale rationis lumen ab ipso deo institutum consentaneum accedit. Si ergo noua religio melior ac perfectior quam christiana, siue naturali, siue supernaturali lumine induceretur. Non posset illi esse contraria. Quæ enim ratione naturali nobis insita sunt, uerissima esse oportet, ita ut aliter cogitare nequeamus. Quæ uero fide tenemus, tam euidentem confirmationem ostendunt, ut uel minimum dubitare sit nefas. Quia ergo uerum uero consonat, certum est quod à quocumque lumine talis religio procederet christianæ religioni repugnare non posset. Quoniam ambæ essent à deo, à quo utrunque lumen procedit, quæ sibi nunquam cōtradicit, nec modo uera modo contraria docet. Autori enim ueritatis falsitatem aut fallaciam imputare impium blasphemumque est. Contrarijs item rationibus ita implicatur intellectus, ut in ueri rationem procedere nequeat. Sed si contrariæ cognitiones nobis à deo immitterentur, ex hoc intellectus noster in cognoscenda ueritate impediretur. Quod ab ipso deo esse non potest. Si ergo religio nostra à lumine supernaturali procedens omni etiam approbat, quæ à naturalis lumine rationis proueniunt: Necessè est quamlibet religionem ueram, si qua uetura esset, quicquid Christiana tenet religio esse proculdubio approbaturam.

**V**T autem breui epilogo quæ superioribus libris dicta sunt perstrin-  
gentes collectę oculis rationes facilius offerantur. Dicimus Chri-  
stianos ad credenda obseruandaque Christi & eius ecclesię myste-  
ria ac præcepta non leuiter, sed sapientissime moueri. Primum siquidem sa-  
pientis est orbis huius magnitudine, ordine, pulchritudine perennitateque  
diligenter consideratis deum tanto operi præesse, hoc est, primum moto-  
rem, seu primam causam, seu primum ens omnium nobilissimum confiteri.  
Nihil enim mouet seipsum. Et in mouentibus seu producētibus non est pro-  
cessus infinitus. Cum uero spiritus corpore nobilior sit, & actus potentia:  
Necessę sit actum simpliciter esse potentia ipsa priorem. Quis deum non  
esse corpus nec corporis formam, neque ex partibus compositum, nisi qui  
penitus desipiat, negare potest: quod si deus actus est purus, quis dubitet  
ipsum esse perfectum & summum bonum infinitęque potentia, quæ omni-  
bus operatur. Immutabilem quoque & æternum atque unum: Nisi omnis  
prorsus Philosophiæ sit expers. Et cum uideamus in rebus nobilioribus, ut  
in ipsis animatis, quod quanto magis à materia earum formæ eleuantur,  
tanto magis cognitionis participes sunt. Nemini ambigendum est, cum dei  
us sit actus purus, quin etiam sit intelligens: Imò ipse intellectus ac sapientia  
infinita. Cum autem nullus sine uoluntate sit intellectus, nullaque non libet-  
ra uoluntas, manifeste patet deo uoluntatem inesse, & quæ agit, non necessi-  
tate naturæ sed propria agere libertate. Quapropter cum omnibus per su-  
um intellectum & uoluntatem tanquam prima causa operetur, etiam con-  
fiteri oportet ipsum habere omnium præsertim rerum humanarum prou-  
dentiam. Cum homo sit omnium creaturarum corporearum nobilissimus,  
& propter ipsum facta sint omnia naturalia. Dei itaque est hominem ad fi-  
nem suum dirigere. Homo autem prout est rationalis non potest ad alium  
finem præter quam ad diuinorum contemplationem ordinari cum finis  
intellectus sit ueritas & uoluntatis obiectum sit bonum uniuersale. Quod in  
rebus creatis inueniri non potest. At quoniã præsens uita calamitatibus ple-  
na existit, nostraque cognitio, dū hac mole carnis tegimur, per exigua resultat  
beatitudinē in ea ponere ualde irrationabile est. Ideo aliã uitam cedere ne-  
cessitas cogit. Animamque nostrã esse immortalē atque ipsius corporis formã.  
Alioquin nõ appareret quomodo & per quod homo esset homo. Proinde sequi-  
tur ipsam aliquo modo subsistentē & separabilē esse. Qui em̄ ita sentiunt ueritatis  
tenentes omnes laqueos modosque, quibus ij qui ab hac sententia  
discrepant implicantur, facillime euadunt. Si igitur rerum naturalium ordi-  
nem subi-

nem subtiliter inuestigemus quid doctrinæ christianæ talia asserenti irrationabile impingi potest: Nonne hæc omnia rationi consona à sapientissimis uiris insolubilibus argumentis approbata sunt. Proponamus etiam nobis descriptum superius triumphum incomparabilia Christi opera considerantes. Nilquæ in doctrina christiana à ratione alienū inueniemus. Quis enim negare potest aliquam in mūdo ueram esse religionem: cum omnes homines ad colendum deum stimulante natura inclinentur. Cultusquæ ipse diuinus medium perueniendi ad beatitudinem existat. Nihil siquidem ab ipso deo ad aliquem finem sine exhibitione mediæ ad illum tendentis ordinatur. Alioquin ad huiusmodi finem id frustra institueretur. Quod deo minime conuenit. Quid uero aliud quàm bene uiuere uerus dei cultus exposcit: Deum enim colere est ipsum uenerari, & ut deum agnoscere. Is autem melius uenerari non potest, quam in sui effectus perfectione. Qui in bona hominis uita consistit. Cum autem nulla melior uita quam christiana inueniri aut excogitari queat, patet ipsius cultum esse optimum, cuius sine ac medio ad ipsum finem perueniendi nullus rationabilior & perfectior finis aut certius medium dari potest. Certum est ergo religionem christianam ueram & à deo esse. Quæ ad ueram beatitudinem recto tramite homines perducuntur. Nisi enim hæc ad beatitudinem perducatur, quænam alia id præstare poterit: Non ergo leuiter sed sapientissime professio uitæque christiana suscipitur & obseruatur.

Quod si tibi prima fronte absolum uideatur credere crucifixum deum dei filium & hominem esse, cogita quæso tantam uitæ rectitudinem à tam immenso errore generari non posse. Experientia siquidem docet uitam christianam, quæ purgatissima est, à fide crucifixi prouenire, nutriri, augeri ac perfici. Animaduerte item sacras ueteris nouique Testamenti scripturas, in quibus tota consistit fides, non nisi à deo esse posse, ex quibus tot ante nos futura prænuntiata sunt totque sanctissime uitæ Christianæ fructus emanarunt, ac innumeri sapientes ad ueritatis huius lumen conuersi sunt.

Præterea si fides Christi falsa esset, id profecto uiris præsertim purgatissimis in oratione diuinorumque contemplatione à deo super omnia ueritatis lumen obsecrantibus tandem aperiretur. Sed cum re ipsa compertum sit huiusmodi uiros magis ac magis in hac professione confirmari. Nequaquàm potest cum falsitate diuinissimus effectus conuenire, neque subinde Christi fides falsa esse. Quod etiam ab exteriori cultu probatur. Cui quanto deuote magis & humilius homines subijciunt, tanto sanctiores euadunt. Contra uero qui eum contemunt uel irreuerenter obeunt, deteriores efficiunt. Præterea si uana hæc fides esset, quo pacto immobilis animi tranquillitas & inrepida libertas solidūquæ gaudiū christianis insitū esset: Ut innumeri utriusque sexus summas tribulationes pressurasquæ perferentes in præcipuis delicijs cõstituti uideantur

uideantur. Nempe si eiusmodi errore ducerentur, nec bonæ uitæ illis incre-  
mētum, nec supra humanas uires constans in aduersis letitia pro Christi no-  
mine redundaret. Quin imò hanc animi synceritatem iucunditatemq; adeo  
refulgere in ipso corpore cernimus, ut apud omnes quadam frontis uenusta-  
te totiusq; oris maiestate uenerabiles fiant, ex eorūque conspectu plurimi  
tanquā radijs diuinitus afflati in melius uitam commutēt. Quæ cum quoti-  
die in ecclesia dei cōspiciantur. Quis fidem tam sanctam, tam admirabilem,  
tam efficacem nisi omnino mente captus irridere, imò non approbare atq;  
admirari queat. Si uero Christum de superis inferisq; triumphantem consi-  
derauerimus, nullus dubitatiōi supererit locus, quin ipse uerus sit deus. Qui  
reluctantem uniuersum orbē. Dijs scilicet omnium nationum, necnon imper-  
ratoribus, tyrannis, philosophis, hæreticis efferisq; gentibus cōtra eum pu-  
gnantibus non ui, nec armis, nec terrenarum rerum pollicitationibus, non  
facundo ac resonanti eloquio, sed sobrio castoq; paucorū pauperū & humi-  
lium sermone exemplōq; subegit suisq; legibus immutauit. Et quæcunq; co-  
gitauerat, quæ uel impossibilia omnino uidebantur, effecit. Mirabili quoq;  
sapientia sua facillime incredibilisq; celeritate totum iacētē in tenebris ter-  
rarum orbem penitus illustrauit ab erroribusq; purgauit. Immensa dehinc  
bonitate sua ita ad sui amorem hominum corda illexit, ut innumerabiles o-  
mnium gentium populi utriusq; sexus, & cuiuscunq; conditionis professio-  
nisq; homines etiam sapientissimi mundana omnia pro eius amore atq; con-  
fessione floccipenderint. Ludibria insuper, minas, uerbera, tormenta extre-  
māq; supplicia gratāter adierint. Quis rogo hominum aut deorum eiuismo-  
di potentiæ, sapientiæ ac bonitatis unquam apparuit. Si ergo hic deus non  
est, quis inquam alius esse potest. Nūquid scelestissimus & superbissimus ho-  
mo, qualem si deus uere non esset Christum dicere oporteret, talia implere  
potuisset. Nonne si absque miraculis ea fecisset, hoc ipsum absque ullo obti-  
nuisse miraculo miraculorum esset maximum. Quid uero à ratione alie-  
num Christus edocuit? Si incomprehensibilis Trinitatis archanum reuelauit,  
eius uestigium & imaginem in creaturis cernimus. Nec ideo contra phi-  
losophiam aliquid astruimus. Si mundi creationem perhibuit, contra ratio-  
nem non militat, cum omnia à prima efficiente causa facta esse congruum  
sit. Si animarum sanctificationem consideres. Ratio pariter dicit, ut homo  
ad supernaturalem beatitudinem, ad quam ordinatur, per supernaturale do-  
num ipsum sanctificans transferatur. Quo autem ad beatitudinem & glori-  
am animarum, cōsentaneum est, ut ad id ad quod ordinate sunt perueniant.  
Si resurrectionem corporum attendas, non frustra expetitur, quia anima se-  
parata ut forma propriam materiam, suum appetit corpus, cum quo prout  
bene uel male egerit æquum est ut communem retributionem recipiat. Si  
cotius

totius mundi glorificatio expectatur. Quid inde inconueniens dicimus? Quamquam enim beati post resurrectionis gloriam corporum ministerio, nec propter corpus, nec propter intellectum indigebunt, eo quod incorruptibile tunc corpus induerint, nec per sensum cognitionem accipient, cum omnes dei essentiam uisuri sint, tamen quia corporeus oculus ad essentiæ diuinæ uisionem non perueniet, conuenientissimum erit etiam corpora cœlestia & elementa glorificari, ut ipsi oculo glorificato congruum & delectabile obiectum præbeatur. Si deum hominem factum asserimus, quid decentius magis uerum ab optimo parète & opifice omnium concedi potuit quam ut sedentes in tenebris & in umbra mortis per semet deus ipse illuminaret, & de sine perfectâque uita eos certiores faciens pro illorum peccatis pariter satisfaceret. Quibus diluendis nemo alius sufficere poterat. Idcirco qui ad delenda peccata uenerat, etiâ sine peccati labe de uirgine nasci debuit, & in cruce mori, ut exemplum nobis exhiberet pro iustitia nullum genus mortis esse fugiendum. Ipsum denique resurgere & in cœlum ad patris dexteram ascendere dignum fuit. Ut omnibus resurrectionis æternæque uitæ spes certior præberet. Et qui pro omnibus factus reus iudicium ultro subiit, par est ut omnium iudex supremus existat. Quid insuper circa moralia aut iudicialia à christiana religione irrationale traditur? Cum nulla uita melior nullumque perfectius regimen quam christianæ institutionis inueniatur. Quicquid enim boni super his à philosophis doctissimisque uiris tractatum est, illa suscipit, nihilque ueri reiciens perfectiora multa abundantius cumulauit. In ceremoniaribus quoque nil impossibile nil contra rationem admittitur. Sed magnam inde sanctitatem diuinorumque delectationem homo acquirit. Quid simile quæso aliæ religiones afferunt? An Philosophi in eius comparationem uenire possunt? Qui nec de fine humanæ uitæ, nec de ipso medio quicquam certi diffiniunt, errores plurimos disseminarunt. Astrorum uero cultoribus fabulis ac uanis superstitionibus occupatis nulli perniciosius stultiusque delirant. Idololatræ nihil ueri aut honesti habent. Contra Iudæos signa, promissa & oracula Prophetarum, sacerdotia, sacrificia omniâque illius gentis monumenta, euentus denique ipsi, ac mille iam & quadringentorum quinquaginta pluriusque annorum captiuitas extirpatioque ac dissipatio uastatioque reclamant. Hæreticos Euangelium, & inter eos dissensio, ac demum profligatio satis coarguit & iam funditus extinxit. Contra Mahumetanos omnis Philosophia, omnis iusta institutio inuehitur. In quibus nil solidum aut fide dignum reperitur. At doctrinam christianam tot stabilitam uitæ sanctissimæ fundamentis totque bonorum in mundum operum effectricem, que tanto tempore contraque tot acerrimos impugnatores sua sanctitate præualuit, nulla obiectio naturali uel supernaturali lumine eruta infringere uel dānare potest. Quis ergo recte sentiens fidem hanc Christi saluberrimam non imitandam & amplectendam omnino proponat?

Desistite

Desistite igitur scioli ac temerarij, qui non aliter quam cōtra fidem blasphemando sapientes uideri posse putatis. Desinite tandem contra eam garrire, & in perniciem uestram prophanis sacra latratibus temerare. Sed cum tanta temporum rerumq; connexionione sacris uaticinijs, manifestis signis, certo successu, saluberrima doctrina, in comparabili uitæ sanctimonia, præclarissimorum uirorum approbationibus & exemplis, miraculorumq; frequentia ac celebritate, postremæq; innumerabilium martyrum sanguine ab exordio in succedentia usq; tempora fundata, extracta roborataq; sit. Concedite hanc unam uerissimam esse. Aliam hinc celeriter uitam sine ullo dubio expectantes. In qua tremēdi iudicis sententia tubeunda est. Qui oues quidem, id est, bonos à dextris, hœdos autem scilicet malos à sinistris statuēt. Hicque ibunt in supplicium æternum. Illi uero uero in uitam æternam. Vbi in Trinitate unum deum ineffabilem immensumq; uidebūt. Eoq; perpetuo

perfruentur, per gratiam inuictissimi triumphantisq; redemptoris nostri domini Iesu Christi. Cui est ho-

nor, uirtus, potestas & imperium per infinita secula seculorum.

Amen.

# EXPOSITIO AC

MEDITATIO IN PSALMVM, MISERE

re mei, Quinquagesimum, Hieronymi Sauonarolæ  
de Ferraria, quam in ultimis diebus  
uitæ suæ ædedit.



**I**NFELIX ego, omnium auxilio destitutus, qui cœlum terramque  
offendi. Quo ibor? Quo me uertam? Ad quem confugiam?  
Quis mei miserebitur? Ad cœlum oculos leuare non audeo,  
quia ei grauius peccaui. In terra refugium non inuenio, quia  
ei scandalum fui. Quid igitur faciam? Desperabo? absit. Mi-  
sericors est Deus, pius est Saluator meus. Solus igitur Deus  
refugium meum, ipse non despiciet opus suum, non repel-  
let imaginem suam. Ad te igitur piissime Deus, tristis, ac mœrens uenio, quoni-  
am tu solus spes mea, tu solus refugium meum. Quid autem dicam tibi, cum o-  
culos leuare non audeam? Verba doloris effundam, misericordiam tuam im-  
plorabo, & dicam.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.

**D**EUS, qui lucem habitas inaccessibilem, Deus absconditus, qui oculis  
corporeis uideri non potest, nec intellectu creato comprehendi, nec  
lingua hominum seu angelorum explicari. Deus meus, te incomprehen-  
sibile quero: te ineffabile inuoco, quiddam es, qui ubique es. Scio enim te  
summam esse rem, si tamē es res, & non potius omnium rerum causa, si tamē es causa.  
Non enim inuenio nomen, quomodo tuam ineffabilem maiestatem nominare que-  
am. Deus, inquam, qui es, quicquid in te est. Tu es enim ipsa sapientia tua, boni-  
tas tua, potentia tua, & summa felicitas tua. Cum itaque sis misericors, quid es,  
nisi ipsa misericordia? Quid autem sum ego, nisi ipsa miseria? Ecce ergo o De-  
us misericordia. Ecce miseria coram te est. Quid facies misericordia? certe opus  
tuum. Nunquid poteris recedere à natura tua? Et quod opus tuum? Miseriam  
tollere, homines miseros subleuare. Ergo miserere mei Deus. Deus, inquam,  
misericordia, tolle miseriam meam, tolle peccata mea, etenim sunt summa mise-  
ria mea. Subleua me miserum, ostende in me opus tuum, exerce in me uirtutem  
tuam. Abyssus abyssum inuocat, Abyssus miseriae, inuocat abyssum misericor-  
diae. Abyssus peccatorum inuocat, abyssum gratiarum. Maior est abyssus mise-  
ricordiae, quam abyssus miseriae. Absorbeat ergo abyssus abyssum. Absorbeat  
abyssus misericordiae abyssum miseriae.

Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Non secun-  
dum misericordiam hominum quae parua est, sed secundum tuam, quae magna  
est, quae immensa est, quae incomprehensibilis est, quae omnia peccata in immen-  
sum excedit. Secundum illam magnam misericordiam tuam, qua sic dilexisti  
mundum, ut filium tuum unigenitum dares. Quae maior misericordia esse po-  
test? Quae maior charitas? Quis desperare potest? Quis non confidere? Deus fa-  
ctus est homo, & pro hominibus crucifixus est. Miserere ergo Deus secundum  
hanc magnam misericordiam tuam, qua filium tuum pro nobis tradidisti, qua  
per ipsum peccata mundi abstulisti, qua per crucem eius omnes homines illumi-  
nasti, qua ea quae in caelis, & quae in terris sunt, per ipsum instaurasti. Laua me  
domine in sanguine eius, illumina me in humilitate eius, instaura me in resur-  
rectione

Y rectione



rectione eius. Miserere mei deus, non secundū paruam misericordiam tuam, parua enim misericordia tua est, cum homines corporalibus miserijs subleuas, magna autē quādo peccata dimittis, & homines per gratiā tuā super altitudinē terrę sustollis. Ita Dñe miserere mei secundū hanc magnā misericordiā tuam, ut me ad te conuertas, ut peccata mea deleas, ut per gratiā tuam me iustifices.

Et secundū multitudinem miserationum tuarū dele iniquitatem meam. Misericordia tua Domine est abundantia pietatis tuę, qua miseros pie respicis, Miserationes autē tuę sunt opera & processus misericordię tuę. Venit Maria Magdalena ad pedes tuos, bone Iesu, lachrymis eos lauit, capillis absterxit, indulsisti ei, & in pace eam remisisti, hæc una misratio tua dñe. Petrus negauit, & cum iuramēto detestatus est te, respexisti eum, amare fleuit, indulsisti ei, & principē Apostolorū eum confirmasti, hæc iterum misratio tua dñe. Latio in cruce unico uerbo saluatus est, Paulus in persecutionis feruore uocatus, statim spiritu sancto repletus est. Hæc sunt miserationes tuę dñe. Deficeret omne tēpus, si omnes miserationes tuas numerare uellē. Quot enim iusti, tot miserationes. Nul- lus gloriari potest in semetipso, ueniant omnes iusti siue in terra siue in caelo, & interrogemus eos coram te, an in sua uirtute salui facti sint. Certe omnes uno corde, uno ore respondebunt.

Non nobis domine non nobis, sed nomini tuo da glorā. Super misericordia tua & ueritate tua. Nec enim gladio suo possederunt terrā, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua & brachiū tuum & illuminatio uultus tui, quoniam placuisti in eis, id est, non ex meritis eorum, non ex operibus saluari sunt, ne quis gloriari possit, sed quia ita placitū est coram te, quod & expressius dicit Propheta dixit, cum ait. Saluum me fecit, quoniam uoluit me. Cum itaq; tuus idem Deus, apud quem non est trāsmutatio, nec uicissitudinis obumbratio, & nos creaturę tuę sicut & patres nostri, qui ex concupiscentia nati sunt, peccatores sicut & nos, unusq; sit mediator dei & hominū, Christus Iesus qui manet in æternum. Cur miserationes tuas non effundis super nos, quemadmodū & effudisti super patres nostros? An oblitus es nostros? an nos soli peccatores? an non pro nobis mortuus est Christus? an nullæ amplius supersunt misericordię?

Domine deus noster, te rogo, te obsecro, dele iniquitatē meam secundū multitudinem miserationū tuarum. Nam multę & infinitę sunt miserationes tuę, ut uidelicet secundū multitudinem miserationū tuarum deleas iniquitatē meam, ut sicut innumerabiles peccatores traxisti, suscepisti, & iustos reddidisti, ita me trahere, suscipere et iustū per gratiā tuam reddere digneris. Secundū ergo multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatē meam. Absterge cor meum, ut omni iniquitate deleta, ac omni immundicia expulsa, fiat sicut tabula munda, in qua digitus dei legē charitatis suę scribat, cū qua habitare nulla potest iniquitas.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Fateor domine, semel delesti iniquitatem meam. Delesti iterum, lauasti me millies, adhuc laua me ab iniquitate mea, quia iterum cecidi. Nunquid ad certū numerum parcis homini peccatori? Qui Petro interroganti, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei septies, respondisti: non dico septies sed & septuagies septies, numerum finitum pro infinito accipiens. Nunquid ergo indulgentia superaberis ab homine? nonne maior Deus homine? nonne melior homine? Quin imò Deus magnus dominus, & uniuersa uanitas omnis homo uiuens, & solus Deus bonus, omnis autem homo mendax. Nonne tu dixisti, In quacuncq; die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor? Ecce ego peccator ingemisco, quia corruptę sunt cicatrices meę à facie insipientię

ſipientiæ meæ. Miſer factus ſum & curuatus ſum uſq; in finē, tota die contriſta-  
tus ingredior ad te, afflictuſ ſum & humiliatus ſū ualde, rugio à gemitu cordis.

Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus, à te non eſt ab-  
ſconditus. Cor meum conturbatum eſt in me, dereliquit me uirtus mea, & lumē  
oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Cur ergo dñe non deſes iniquita-  
tem meam? & ſi iam deleſti eam ſecundū miſerationum tuarum, ampliùs laua  
me ab iniquitate mea. Adhuc enim imperſecte mundatus ſum, perſice opus tu-  
um, tolle culpam uniuerſam, tolle reatum, adauge lumen, accende cor meū cha-  
ritate tua, expelle timorē, quia perfectā charitas foras mittit timorē, amor mun-  
di, amor carnis, amor gloriæ, amor proprius prorsus à me recedant. Ampliùs &  
magis ac magis, laua me ab iniquitate mea, quia contra proximum peccaui, &  
à peccato meo, quo deum offendi, munda me.

Vt non ſolum culpam & reatum, ſed etiam peccatorum fomitem deleas. La-  
ua me, inquam, aqua gratiarū tuarum, aqua, de qua qui biberit, non ſitiet in æter-  
num, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in uitam æternā. Laua me aqua lachryma-  
rum mearum. Laua me aqua ſcripturarum tuarum, ut inter eos cōnumerari ual-  
eam, quibus dixiſti. Iam uos mundi eſtis propter ſermonem meum.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum cōtra  
me eſt ſemper.

Quamuis enim ex intuitu miſericordiæ tuæ & miſerationū tuarum, dñe fidu-  
cialiter ad te confugiā, non tamen uenio ſicut Phariſæus, qui ſanctus apud ſe o-  
rabat, imò ſeipſum laudabat, & proximū ſuū deſpiciebat, ſed ſicut Publicanus  
qui nec audebat ad cœlū oculos leuare. Quoniam iniquitatē meam ego cogno-  
ſco, dum enim peccata mea penſo, nō audeo ſurſum oculos leuare, ſed cum Pu-  
blicano humiliatus dico, Deus propitiuſ eſto mihi peccatori. Nam inter ſpem  
& metum anima mea fluctuat, & modo timore peccatorum, quæ in me cogno-  
ſco, deſpero, modo ſpe miſericordiæ tuæ ſubleuor. Verum quia maior eſt tua mi-  
ſericordia quā miſeria mea, ſemper in te domine ſperabo & miſericordias tuas  
in æternū cantabo. Scio enim quod non uiſ mortē peccatoris, ſed ut conuertat,  
ſed ut iniquitatē ſuam cognoſcat, ſed ut peccatū deſerat & ad te ueniat & uiuāt.

Deus meus, da mihi, ut in te uiuā. Quoniā iniquitatē meam ego cognoſco.  
Scio enim quā grauis ſit, quam multa, quam pernicioſa, non ignoro eam, non  
abſcondo, ſed eam ante oculos ſiſto, ut lauē eam lachrymīs meis, & confitear ad  
uerſum me iniuſtitia meam dño. Nam & peccatum meum quo ſuperbe contra  
te egi, contra me eſt ſemper, ideo contra me, quia contra te peccaui, uere contra  
me, quia contra animam meam, quia ante te iudicē ſemper me accuſat, quia ſem-  
per & ubiq; me damnat, & adeo contra me, ut ſit ſemper cotam me, opponens  
ſe mihi, ne ad te mea tranſeat oratio, ut à me tollat miſericordiā tuam, ut eam im-  
pediat ne ad me tranſire poſſit, ideo contremiſco, ideo ingemiſco, miſericordiā  
tuam imploro. Sicut ergo domine tu mihi donaſti cognoſcere iniquitatem me-  
am, & flere peccatum meum, ita perſice contritionem meam, perduc ad finem  
ſatiſfactionem meam. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectū  
de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.

Tibi ſoli peccaui & malum corā te feci, ut iuſtificeris in ſermonibus tuis,  
& uincas cum iudicaris.

Nimium tibi ſoli peccaui, quia mihi præcepiſti, ut diligerem te propter te, &  
creaturarū amorem ad te referre, ego autem dilexi creaturā magis quam te, dili-  
gens eam propter ſe. Quid eſt autē peccare niſi amori inharere creaturæ ppter  
ſe? Quid autē hoc niſi facere contra te? Certe qui amat creaturā propter ſe, facit  
Y 2 creaturam

creaturam deū suum. Ego itaq; tibi soli peccaui, quia creaturā deum meum constitui. Abieci ergo te, tibi soli iniuriam feci. Non enim contra aliquā creaturam peccaui, si finem meum in re creata constitui, quia non mihi præceptū fuit, ut aliquam creaturam diligerem propter se. Si enim mihi mādasses & angelū solum propter se amarem, & ego pecuniam propter se dilexissem, utiq; angelo peccassem, at cum tu solus diligendus sis propter te, & creatura amāda in te & ad te, quidem tibi soli peccaui, quoniam propter se creaturam amaui.

Sed quod deterius est. Et malū coram te feci. Non em̄ erubui peccare coram te. O deus quot peccata cōmissi corā te, quæ nullo pacto corā hominibus perperassem, imō quæ nullo modo homines scire uoluissē. Timui magis homines quam te, quia cæcus eram & cæcitatē amabā, ideo nec uidebā nec considerabā te, oculos solum carnis habebam, ideo solum homines qui caro sunt cernebam, eosq; timebam. Verum tu omnia peccata mea intuebaris & enumerabas ea, idcirco nec ea celare te, nec tergiuerfari, nec fugere à facie tua potero.

Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? Quid igitur faciā? Quo me uertā? Quem inueniam defensorem? Quem obsecro nisi te deus meus? Quis a deo bonus? Quis ita pius? Quis tam misericors? qui pietate omnes creaturas incōprehensibiliter superas. Tibi em̄ propriū est misereri & parcere, qui omni potentiā tuam maxime parcendo & miserando manifestas. Fateor dñe, tibi soli peccaui & malū coram te feci. Miserere mei et omnipotentiā tuam manifesta in me, ut iustificeris in sermonibus tuis. Nam tu dixisti. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiā. Iustifica me dñe in sermonibus tuis, uocame, suscipe me, da mihi agere fructū dignum pœnitentiæ, propter hoc enim crucifixus es, propterea mortuus & sepultus. Dixisti etiam, cum exaltatus fuero à terra omnia trahā ad meipsum. Iustificare in sermonibus tuis. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorū tuorū. Dixisti iterū, uenite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiā uos. Ecce ego uenio ad te onustus peccatis, laborans die ac nocte in gemitu cordis mei. Refice me dñe, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Nā multi dicunt, nō est salus ipsi in deo eius, deus dereliquit eum. Vince dñe istos, cum ita iudicaris ab eis, ne me derelinquas usquequaq;. Da mihi misericordiā & salutem, & iniecti sunt.

Atiunt enim, qd mei non misereberis, qd me proicies à facie tua, qd me amplius nō suscipies. Ita iudicaris ab hominibus, ita à te loquunt homines, hæc sunt eorū iudicia, sed tu pius, tu misericors, miserere mei, & uince eorū iudicia, ostende in me misericordiā tuam, laudet in me pietas tua. Fac me unū de uasis misericordie tue, ut iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Te enim homines iudicant rigidū & seuerum, uince tua pietate & dulcedine iudiciorum, ut discant homines peccatoribus misereri, & accendantur delinquentes ad pœnitentiā, uidentes in me pietatem & misericordiā tuam.

Ecce em̄ iniquitatibus cōceptus sum, & in peccatis cōcepit me mater mea.

Ne respicias domine grauitatē peccatorum meorū, ne consideres multitudinem, sed agnosce figmentū tuum. Recordare, quoniam puluis sum, & omnis caro ut fœnū. Ecce em̄ in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Mater, in quā, carnalis ex concupiscentia me concepit, & in ea, peccatum originale contraxi. Quid autē est peccatum originale nisi priuatio iustitiæ originalis & rectitudinis totius hominis? Ideo homo conceptus & natus in huiusmodi peccato totus obliquus est, totus curuus. Caro cōcupiscit aduersus spiritū, ratio debilis est, uoluntas infirma, homo fragilis & similis uanitati, sensus decipiunt eum, imaginatio fallit, ignorantia ducit eum per inuuium, infinita habet

habet obstacula quæ ipsum de bono retrahunt & ad malum impellunt. Peccatum itaq; originale radix est omnium peccatorum, fomes enim omnium iniquitatum. Quâuis enim in quolibet homine ex natura sua sit unum, uirtute tamen est omnia peccata. Vides itaq; dñe, quid sum & unde sum, in peccato enim originali (qd omnes iniquitates & omnia peccata cõtinet) cõceptus sum, & in eo concepit me mater mea. In peccatis ergo totus, & laqueis undiq; circumdatus, quomodo effugere poterõ? Nõ enim qd uolo, hoc ago, sed qd nolo malũ, hoc facio, quia inuenio aliã legẽ in mēbris meis, repugnantẽ legi mentis meæ & captiuam tem me in lege peccati & mortis. Eo itaq; magis pietas tua me subleuet, quo me fragiliorem & tot laqueis circumdatũ inuetur. Quis non misereatur infirmos? quis non compatiatur languidos? ueni ueni dulcis Samaritane & uulneratum semiuuium subleua, uulnera mea cura, uinum & oleum infunde, pone me super iumentum tuum, duc in stabulum, cõmenda me stabulario, profer duos denarios & dic ei, quicquid supererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.

Ecce enim ueritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi,

Veni dulcissime Samaritane, ecce enim ueritatẽ dilexisti, ueritatem, inquam, promissionũ, quas humano generi fecisti, eas nimirũ dilexisti, quia eas fecisti & seruasti, nam tuum diligere ipsum est benefacere. In te enim ipso immutabilis es, nec sicut nos, modo amas, modo non amas, ut actus tuæ dilectionis transeat & redeat. Sed tu es totus amator, qui nunquã mutatur, deus enim charitas est; tuum itaq; diligere creaturã, est ei benefacere, & quibus melius facis, hos magis diligis. Quid est ergo tuam diligere ueritatem? nisi facere & seruare ueritatem: Abrahã promissisti filiũ, cum iam esset senex, Sarã sterilis & uetulã promissionem seruasti, quia ueritatem dilexisti. Filij Israel terram fluentem lac & mel spondisti & tandem tradidisti, quia ueritatem dilexisti.

Dauid pollicitus es, dicens. De fructu uentris tui ponã super sedem tuã, factũ est, quia ueritatẽ dilexisti. Innumerabiles fuere promissiones, in quibus semper fidelis fuisti, quia ueritatẽ dilexisti, peccatoribus ad te confugientibus ueniã & gratiã promissisti, & neminẽ unquã fraudasti, quia ueritatẽ dilexisti. Filius ille prodigus, qui abiit in regionẽ longinquã & dissipauit uniuersã substantiã suã uiuendo luxuriose ad se reuersus uenit ad te, dicens. Pater, peccauĩ in cœlum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis, cum adhuc longe esset, oculis tuæ pietatis intuitus es eum, occurristi ei, cecidisti super collũ eius, & osculatus es eum: protulisti stolã primã, annulũ in manu eius, & calciamenta in pedes eius posuisti: uitulũ saginatum occidisti: totã domũ latificasti, dicens: Latemur & epulemur, quia hic est filius meus, qui mortuus erat & reuixit: perierat, & inuẽtus est. Cur hæc dñe deus? Nempe, quia ueritatẽ dilexisti. Dilige ergo pater misericordiarũ, hanc ueritatẽ in me, qui ad te reuertor de regione longinqua, occurre mihi, & osculũ oris tui da, redde prima ornamenta, trahe in domũ tuã: occide uitulũ saginatum, ut in me latentur omnes, qui sperant in te, & pariter epulemur in conuiujs spiritualibus. Num dñe mihi soli non custodies hanc ueritatẽ? si iniquitatẽ obseruaueris dñe, dñe quis sustinebit? equidẽ tu non obseruabis iniquitatẽ, quia ueritatem dilexisti, dilexisti quidem immenso amore. Quæ nanq; est ueritas, quam dilexisti? Nõne filius tuus? Qui dixit: ego sum uia, ueritas & uita. Ipse enim est ueritas, à qua omnis ueritas in cœlo & in terra nominatur. Hanc igitur dilexisti, & in ea sola tibi complacuisti, quia eam sine macula inuenisti, & pro peccatoribus eam mori uoluisti. Custodi ergo Deus hanc ueritatem, ecce ego peccator magnus,

in quo tu custodies eam, cui tu indulgeas peccata multa, quæ sanguine Christi tui abluas, quem per passionem eius redimas. Cur domine hanc de filio tuo notitiam: cur hanc de eo fidem tradidisti mihi? Num ut maiori afficiar dolore, ut dens redemptionem meam & minime attingens eam: absit. Sed ut intelligens mihi paratam ueniam, apprehendam illam per Christi gratiam. Redime ergo me domine, nam incerta & occulta sapientiam tuam manifestasti mihi, ut hæc ipsa cognitio me adiuuet & ad salutem perducatur. Hæc profecto non cognouerunt Philosophi, hæc fuerunt eis incerta, hæc erant eis penitus occulta, hæc ante incarnationem filij tui, exceptis paucis, quos tu dilexisti, nullus hominum cognouit.

Scrutatores orbis curiosissimi (sapientes dico huius seculi) trans cælum ocularios leuauerunt, & hanc tuam sapientiam inuenire non potuerunt, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, id est, humilibus piscatoribus & sanctis prophetis tuis, qui ea nobis tradiderunt. Si ergo incerta & occulta sapientiam tuam scripturarumque tuarum manifestasti mihi. Cur frustra ea cognosco: frustra autem cognosco illa, si me ad salutem non perducunt. Nam & philosophi cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Num de numero istorum me esse patieris: absit. Tu es enim ipsa misericordia, quæ nunquam penitus deserit. Parce ergo domine, parce famulo tuo, & iube ipsum esse in numero paruulorum tuorum, ut incerta & occulta sapientiam tuam, quæ manifestasti ei, ducatur ad fontem sapientiam, quæ est in excelsis, ut lauderis in opere misericordiam tuam, quam feceris cum seruo tuo domine, qui nunquam deseris sperantes in te.

Asperges me domine hyssopo, & mundabor, lauabis me & super niuem dealbabor.

Quia domine ueritatem dilexisti & incerta & occulta sapientiam tuam manifestasti mihi. Spem magnam concepisti & confido, quod non repellis me à facie tua, sed asperges me hyssopo & mundabor. Hyssopus est herba humilis, calida & odorifera, quæ quid aliud significat, quam filium tuum dominum nostrum Iesum Christum. Qui humiliauit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis. Qui calore suæ immensa charitatis dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Qui odore suauitatis & mansuetudinis suæ atque iustitiæ totum mundum suauitate repleuit. Hoc ergo hyssopo asperges me, quando uirtutem sanguinis eius effundes super me, quando per fidem habitabit Christus in me, quando per dilectionem ei coniunctus fuero, quando humilitatem eius & passionem imitabor. Tunc mundabor ab omnibus immundicijs meis. Tunc lauabis me lachrymis meis à Christi amore fluentibus. Tunc laborabo in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Tunc ergo lauabis me & super niuem dealbabor. Nix enim candida est & frigida, ita profecto domine, si me hyssopo asperseris, super niuem dealbabor, quia tua maxima luce perfundar, quæ omnem corporalem superat candorem, & per eam amore celestium bonorum accessus, omnes carnis affectus relinquit, frigidus ad terrena & ad celestia inflammatus.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata. Tunc enim domine orabo ad te, mane, id est, initio lucis tuæ exaudies uocem meam, audiamque quid loquatur in me dominus deus. Quoniam loquetur pacem in plebem suam, dabitque mihi pacem, domine pacem dabis mihi, quia in te speraui. Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, cum audiam quod audiuit Maria. Et quid audiuit Maria de illa loquor, quæ fuit secus pedes tuos, quid igitur hæc audiuit: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Audiam quoque quod audiuit Lathro. Hodie

Hodie eris mecum in Paradyso. Gaudium itaq; mihi erit de remissione peccatorum, lætitia de promissione bonorum. Nunquid non gaudebo & non lætabor, quando reddes mihi duplicia pro omnibus peccatis meis? Tunc gustare incipiam, quoniam dulcis es domine, tunc discam in cœlestibus habitare, tunc dicam cum Propheta. Quam magna multitudo dulcedinis tuę domine, quam abscondisti timentibus te. Tunc gaudebo & lætabor & exultabunt ossa humiliata. Quid sunt ossa, quę carnem sustinent, nisi animę rationalis uires, quę carnis nostrę fragilitatem portant, ne in omnia uicia fluat, ne totus homo efficiatur caro penitusq; tabescat? Ossa ergo hæc humiliata sunt, quia nimis debilitata est ratio & uoluntas ad malum ualde prona. Iam iam non caro obedit rationi, sed ratio carni. Vitijs resistere non possum, quia ossa mea humiliata sunt. Et quare humiliata? Quia reliquerunt te fontem aquę uitę, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quę continere non ualent aquas, quia gratia tua non sunt repleta, sine qua ne mo potest bene uiuere, sine te enim nihil possumus facere. Cōfidebant in uirtute sua, quę non erat uirtus. Ideo defecerunt in stultitia sua. Veniat ergo uirtus tua domine & exultabunt ossa humiliata, ueniat gratia tua, ueniat fides, quę per dilectionem operatur, ueniant uirtutes & dona, & exultabunt ossa humiliata. Exultabit quippe ratio, lætabitur memoria, gaudebit uoluntas. Nimirum exultabunt, quia extra se saltem, dum ad bona opera prodibunt, uirtute magna exercebuntur in eis, nec deficient, sed te iuuante ad finem usq; perducentur.

Auerte faciē tuam à peccatis meis & omnes iniquitates meas dele.

Cur domine respicis peccata mea? cur numeras ea? cur adeo diligēter ea consideras? Nūquid nescis quia homo tanquā flos agri? cur non respicis potius in faciē Christi tui, heu me miserum. Cur uideo te mihi iratū? peccauit fateor, sed tu benignus, miserere mei. Auerte faciē tuam à peccatis meis. Facies tua, cognitio tua est. Auerte itaq; cognitionem tuam à peccatis meis. Non loquor de cognitione simplicis apprehensionis, qua omnia semper uides, sed de cognitione approbationis & reprobationis, qua opera iustorum approbas & peccata impiorum reprobando condemnas. Noli peccata mea ita cognoscere, ut mihi imputes ea, sed aufer faciem tuam à peccatis meis, ut per misericordiam tuam deleantur. Respice domine creaturam quam creasti, respice imaginem tuam, & ego miser superinduxi imaginem diaboli, auerte faciem tuam ab imagine diaboli, ut non irascaris mihi, & respice imaginem tuam, ut miserearis mei.

O misericors dñe, recordare, quia Zacheum ascendente in arborem sycomorum respexisti, & in domū eius descendisti, quod plane nunquā fecisses, si imaginē diaboli in eo respexistes, sed quia imaginē tuam in eo uidisti, cōpassus es ei & salutē ei tribuisti. Ipse male ablata restituere quadruplicata, & dimidiū bonorum suorū pauperibus erogare promisit, & cōsecutus est misericordiā & salutē. Ego me totum trado tibi, nihil mihi reseruo, tibi semper sincero corde promittō seruire, uota mea tibi reddā omnibus diebus uitę meę. Cur ergo domine in me quoq; non respicis imaginem tuam, ut quid adhuc peccata mea cōsideras? Auerte obsecro faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Omnes rogo dele, ut nulla remaneant. Scriptum est enim. Qui totam legem seruauerit, in uno autem offenderit, factus est omnium reus, id est, factus est reus gehennę, quę est pœna omnium peccatorum, quę ducit ad mortem. Dele ergo omnes iniquitates meas, ne ulla te offendat, quę me omnium reum faciat.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

Nam cor meum dereliquit me, nunquam de me cogitat, suę salutis penitus

oblitum per deuia uagatur, peregre profectum est, sequitur uanitates, & oculis eius in fines terræ, uocauit ipsum & non respondit mihi, abiit, periit, in peccatis uenundatum est. Quid ergo domine, quid dicam: Cor mundum crea in me deus, cor humile, cor mansuetum, cor pacificum, cor benignum, cor piū, quod nulli inferat malum, quod malum pro malo non reddat, sed pro malo bonum, quod te super omnia diligat, de te semper cogitet, de te loquatur, tibi gratias agat, in hymnis & canticis spiritalibus delectetur, in cœlis cōuerfetur. Cor tale crea in me deus, ex nihilo produc illud, ut quale nō potest esse per naturam, fiat tale per gratiam, hæc enim à te solo per creationem in animam uenit, hæc est forma cordis mundi, hæc omnes uirtutes secum trahens, omnia uicia pariter expellit. Cor itaq; mundum per gratiam tuam crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis.

Spiritus enim tuus deducet me in uiam rectam, qui me à terrenis affectibus purgabit & ad cœlestia subleuabit. Amans enim & amatum sunt unum, qui ergo amat corpora corpus est, qui uero spiritum diligit, spiritus est. Da mihi spiritum te amantem, teq; summum spiritum adorantē. Nam spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Da spiritum rectū, non quæ sua, sed quæ tua sunt quarētem. Innoua spiritum rectū in uisceribus meis, innoua, quia primum quem mihi dederas, peccata mea extinxerunt, da spiritū nouū, qui innouet quod inueteratū est, nā anima mea spiritus est, & à te ita creata, ut in se recta sit, ex natura enim sua te super se amat, & propter te omnia desiderat. Nam amor naturalis rectus est, eo quod à te est, sed ex praua uoluntate sua inueteratus est, & amorem naturalem contabescere facit. Innoua ergo hunc spiritum, & hunc amorem per gratiam tuam, ut recte incedat secundum naturam suam, innoua in uisceribus meis, ut intus radices ita firmet, ut nunquā amplius possit euelli, innoua, inquā, in uisceribus meis, ut semp amore cœlesti me urat, semper me faciat ad te suspirare, te iugiter amplecti & nunquā deserere.

Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Ecce domine, sto ante faciem tuam, ut inueniam misericordiā tuam. Sto ante bonitatem & benignitatem tuam, expecto gratam responsionē tuam. Sto ante cœlestem & benignitatem tuam, expecto gratam responsionē tuam, ne proijcias me à facie tua confusum. Quis unquam domine uenit ad te & confusus abcessit? Quis rogauit faciem tuam, & uacuuus abiit? Certe abundantia pietatis tue & merita supplicum excedis & uota, pluraq; præstas, quam homines desiderare aut intelligere possint, à seculo non est auditum, quod uenientē ad te proieceris à facie tua confusum. Nunquid dñe primus ero à facie tua proiectus: an à me uis initium habere confundendi uenientes ad te, num amplius non uis misereri et parcere: absit. Cananæa te sequebat, clamabat uocibus, aëra implebat, discipulos tuos ad compassionē puocabat, & tu tacebas, ipsa perseuerabat pulsans, te adorabat, dicens, domine adiuua me, at tu nec sic respondebas, discipuli rogauerunt pro ea, dicentes, dimitte eam, quia clamat post nos. Quid obsecro: quid domine ei respondisti: equidem quod inaniter flebat, quod frustra laborabat.

Dixisti enim, non sum missus, nisi ad oues quæ perierāt domus Israël. Quid hoc audito debuit Cananæa facere: Vtiq; de gratia, quā desiderabat desperare, nec tamen desperauit, sed confidens de tua misericordia. Iterum rogabat, dicens, domine adiuua me. Cui importune insistenti domine respondisti. Non est bonum tollere panem filiorum & mittere canibus, ac si patenter dixisses, recede à me. Vos Cananæi canes estis, immundi estis, idolatra estis, dona gratiarum cœlestium ad uos non pertinent, non debeo ea tollere ludæis, deum uerum colentibus & dare uobis canibus, demones adorantibus. Quid nūc facies o Cananæa:

Cananæ: Erubescere iam & recede, quia iratus est dominus, non solum tibi, sed & uniuersæ genti tuæ. Quis domine Deus ad hæc uerba tua cõfusus non recessisset? Quis non submurmurasset? Quis non te crudelem iudicasset? & tamen hec ipsa mulier in oratione persistit, spem non amisit, uerba dura non egre tulit, non irata est, sed magis humiliata & in petitione persistens, confidenter dixit: Etiam domine, uerum est quod dicis, sed panem non peto, gratias filiorum non postulo, quia catula ego sum, micæ peto quæ cadunt de mensa filiorum tuorum. Ipsi miraculis & gratiis abundant, mihi ad hæc minima gratia non negetur, ut filia mea à dæmonibus libererem. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Ecce quanta fides, quanta fiducia, quanta humilitas. Ideo tu non iratus de eius importunitate, sed gauisus de illius uirtute, dixisti: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Cur hæc scripta sunt dñe deus? ut discamus in te sperare, ut in oratione pie & humiliter pseueremus, quia dare uis. Sed regnum celorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spiritum habeamus:

Ne ergo proijcias me à facie tua domine, qui die noctuque ante faciem tuam stans & euulans sto, non ut me liberetis à dæmonij oppressione corporali, sed ut animam meam eripias ab eius potestate spiritali. Ne me confundas bone Iesu quia in te solo spero, non est mihi salus nisi in te domine. Omnes enim dereliquerunt me, nam & fratres & filij abiecerunt me, uiscera mea abominantur me. Ne minem amplius habeo adiutorem, præter te. Ne ergo proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Nemo potest dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Itaque si ego inuoco te domine Iesu, hoc facio in spiritu sancto. Si de peccatis commissis doleo, si ueniam peto, hoc certe facio in spiritu sancto. Ideo te obsecro, spiritum sanctum tuum ne auferas à me, ut mecum sit, mecum laboret, nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed spiritus adiutat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis, id est, postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus. Hunc ergo spiritum sanctum tuum ne auferas à me, ut me orare doceat, & in labore me adiuuet, faciatque me in orationibus persistere & lachrymis, ut tandem inueniam gratiam coram te, & seruiam tibi omnibus diebus uitæ meæ.

Redde mihi læticiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

Rem magnam peto domine, quoniam tu es deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos, tibi iniuriam facit, qui à te parua petit. Parua sunt omnia quæ trãseunt, parua omnia corporalia, magna & pretiosa spiritualia. Tolle spiritum, tolle animam à corpore, quid remanet nisi stercus? quid nisi puluis & umbra? Ergo tantum distat inter spiritum & corpus, quantum inter corpus & umbram eius. Qui igitur petit à te corporea, parua petit, qui uero spiritualia, magna profecto postulat, maxima autem qui tui salutaris læticiam petit. Quid est enim salutare tuum, nisi Iesus filius tuus? hic est uerus deus & uita æterna. Cur ergo à te patre immenso & liberalissimo hoc salutare non petam, quem pro me super lignum tradidisti. Tu cum mihi obtulisti, quare petere ipsum erubescam? Maximum & infinitum munus est, non sum ego tanto munere dignus, te tamen decet tam magna dare. Propter hanc itaque ineffabilem pietatem, audeo ad te fiducialiter accedere & salutaris tui læticiam petere.

Nam si à patre carnis suæ petierit quis piscem, nunquid porriget ei serpentem? & si petierit ouum, nunquid dabit ei scorpionem? Et si petierit panem, nunquid dabit ei lapidem? Si ergo patres carnales, cum mali sint & peccatores, uolunt bona eis à te data dare filiis suis, quanto magis tu pater celestis, qui per essentiam bonus es, dabis spiritum bonum petentibus te? Ecce filius tuus de regione longinqua reuersus, dolens & poenitens, petit à te piscem fidei. Sicut enim



Sicut enim piscis latitat sub aquis, ita fides est de ijs, quæ non uidentur. petit dico, fidem ueram ut latetur in salutari tuo. Nunquid porriges ei serpentem? Nunquid dabis ei infidelitatis uenena de tortuoso & antiquo serpente diabolo proficiscentiar? Peto à te domine ouum spei, ut sicut ex ouo sperat pullus. Ita ex spe ad uisionem salutaris tui mihi uenire concedas, ut de ipsa spe egrediatur uisio quasi pullus de ouo. Peto ouum spei, ut interim spe ipsa saluetur anima mea in hac lachrymarum ualle, & latetur in salutari tuo. Nunquid dabis mihi desperationis scorpionem, ut sicut scorpio in extremitate caudæ habet uenentem. Ita & ego in extremo uitæ reseruem peccatum blandiarum mihi in illecebris mundi, sicut scorpio in facie blandiri uidetur? Peto etiam domine à te panem charitatis Christi, qua se sicut panis omnibus communicat, ut semper gaudeam in salutari tuo. Nunquid lapidem dabis mihi hoc est, cordis duritiam. Absit. Cur itaque diffidam petere & impetrare magna à te domine, qui me excitas & inuitas ad petendum & pulsandum usque ad importunitatem? Quid uero tibi gratum magis & mihi salubrius petere possum, quam ut reddas mihi lætitiā salutaris tui?

Iam gustauī quā dulcis sit dominus, quā leue & suauē sit onus eius. Memor sum quanta pace, quanta animi tranquillitate fruebar, quando in dño gaudēbam & exultabam in deo Iesu meo. Ideo nunc magis doleo, quia scio quid perdidī, scio quam maxima bona amisi, ideo importune clamo. Redde mihi lætitiā salutaris tui. Redde quod per peccata mea mihi abstulī. Redde quod mea culpa perdidī. Redde obsecro, per merita eius, qui semper stat ad dexteram tuam & interpellat pro nobis, ut per ipsum sentiam te mihi placatum, ut sit signaculum super cor meum, ut dicam cum Apostolo, Christo cōfixus sum cruce, uiuo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus: Verum quia magna est fragilitas mea. Spiritu principali confirma me, ut nullis perturbationibus à Christo separari ualeam, nullis terroribus à te recedere, nullis cruciatibus infirmari. Nō enim uirtus mea tanta est, ut pugnare possit cum antiquo serpente, & ei proualete. Petrus me docuit, quanta sit infirmitas nostra, ipse uidit te domine Iesu, & tecū familiarissime conuersatus est. gloriam tuam in monte gustauit, quando transfiguratus es, uocem patris audiuit. Mira opera oculis suis conspexit, ipse quoque uirtute tua miracula plura fecit. Super aquas pedibus ambulauit, uerba tua, tam potentia, tam suauia quotidie audiuit, feruentissime fidei uidebatur, dicebatque se paratum tecum & in carcerem & in mortem ire, & cum negationem ipsius denuntiaret ei, non tibi credebat, in uirtute sua confidebat, magis sibi homini quam tibi deo fidem adhibebat. At cum ancilla dixit ei. Tu de illis es? illico terribus negauit. Venit alia ancilla, & dixit: Vere tu ex illis es? iterum negauit.

Non potuit coram mulieribus stare, quomodo stetit corum regibus & tyrannis? & cum iterum ab astantibus interrogaret & accusaret, cepit iurare & detestari, quia non nouisset te, quid putas dicebat? arboror, quod per deum & legem Mosi iurabat, quod te non nouerat & detestabatur, dicēs. Puratis uos me discipulū huius Samaritani, seductoris ac dæmoniāci, qui legem nostrā destruxit. Ego discipulus sum Mosi, hunc autē nescio unde sit. Deo gratias, quia cessauit interrogatio. Si enim non cessasset interrogatio, nec quidē cessasset negatio, mille interrogationes, mille fecissent negationes, imò mille periuria & detestationes. Sed hæc interrogationes fuerūt uerba, quid rogo, si Iudæi uenissent ad uerberat. Nihil certe Petrus reliquisset, quo se per negationes & periuria detestationes ac blasphemias de manibus eorū explicuisset. Tu autē pie dñe respexisti eum, & statim peccatū suum cognouit, nec tamē ausus est in mediū prosilire & cōfiteri te filium dei esse, quia nondum confirmatus erat uirtute ex alto.

Nam proculdubio iterum negasset, si flagella sibi præparata uidisset, imò maturior i

matiori consilio egressus est foras & fleuit amare. Tu uero post resurrectionē tuam apparuisti ei, consolatus es eum, nihilominus latebat propter metū Iudæorum, uidit te in cœlum tam gloriose ascendentem, & angelorum uisione consolationēq; confortatus est, nec tamen in publicum prodire audebat, experientia quippe didicerat fragilitatē suam, probauerat infirmitatē, imò expectabat promissum spiritū sanctum, uenit & repleuit gratia pectus eius. Tunc prodijt, tunc loqui cœpit, tūc uirtute magna testimoniū resurrectionis tuæ reddidit, tūc Principes sacerdotū & Reges nō timuit, sed gloriabatur in tribulationibus, crucēq; pro summis delictis amplexabatur. Itaq; dñe in spiritu principali cōfirma me, ut iugiter permaneam in lætitiā salutaris tui, alioquin contra tot bella persistere non possum. Caro concupiscit aduersus spiritum. Mundus undiq; me premit, diabolus non dormit, da mihi uirtutem spiritus tui, ut cadant à latere meo mille & decem millia à dextris meis, ut sim fidelis & fortis testis fidei tuæ. Si enim Petrus quē tot muneribus & gratiis donaueras, ita miserabiliter cecidit, quid ego domine, quid facerem? qui nec te in carne uidi, nec gloriam tuam in monte gustauit, nec miracula tua conspexi, quin imò opera tua mirifica, uix à longe intellexi, tuamq; uocem nunquam audiui, sed in peccatis semper fui. Spiritu itaque principali confirma me, ut in tuo obsequio perseverare ualeam, & dare pro te animam meam.

Docebo iniquos uias tuas & impij ad te conuertentur.

Non hoc dñe temeritati adscribas, si docere cupio iniquos uias tuas. Non enim iniquus, infamis, et in uinculis, iniquos docere cupio, sed si reddideris mihi lætitiā salutaris, si me spiritu principali cōfirmaueris, si me liberū miseris, tunc docebo iniquos uias tuas. Non enim hoc est tibi difficile, qui de lapidibus potes suscitare filios Abrahæ, nec peccata possunt obstare tibi, si uolueris hoc facere, quin imò ubi abundauit peccatū, superabundauit & gratia. Paulus spirās minarum & cædis in discipulos domini, potestātē accepit, ut si quos inuenerit uiros ac mulieres te sequentes, tuamq; fidem confitentes, uinctos perduceret in Hierusalem. Ibat igitur furijs infectus, sicut lupo rapax, ut oues tuas disperderet, raperet & occideret, dum ergo esset in uia in feruore persecutionis, in actu peccati, dum te persequeretur, dum tuos occidere uellet, dum nulla ei inesset ad gratiam preparatio, nullaq; peccati cognitio, quando totis uiribus tibi aduersabatur & blasphemabat, teq; detestabatur. Ecce uox pietatis tuæ super eum, dicens: Saule quid me persequeris, qua uoce illico prostratus & erectus, prostratus est corpore, erectus est mēte, excitasti dormientē, oculis somno grauatis insudisti lucem tuam, ostendisti faciem tuam, effudisti ineffabilem misericordiā tuam. Surrexit mortuus, oculos aperuit, uidit te & ait, domine quid me uis facere? Misisti lupum ad agnum, misisti eum ad Ananiam. Baptisatus est, & repente spiritu sancto repletus, factus est uas electionis, ad portandum nomen tuum coram Regibus & Gentibus & filijs Israël. Continuo ergo ingressus synagogas intrepidus prædicauit te, affirmans, quoniam tu es Christus. Disputabat, inuascescebat & confundebat Iudæos. Ecce domine, quia statim de persecutore fecisti eum prædicatorem, & talem ac tam magnum, ut plus cæteris Apostolis laborauerit. O mira uirtus tua, si uolueris de iniquo facere iustū, de persecutore prædicatorem, quis prohibebit? quis resistet tibi? quis dicere poterit, cur ita facis? Omnia quæcunq; uoluisti, fecisti, in cœlo & in terra in mari & in omnibus abyssis. Non ergo arrogātia imputetur, si non mea sed tua uirtute docere cupio iniquos uias tuas. Scio em̄ me nihil tibi offerre posse, quod oculis tuæ pietatis magis placet, hoc sacrificium est omnium maximum, nihil etiam possum offerre mihi utilius. Si ergo me in alium uirum mutaueris, docebo iniquos uias tuas.

Non uias

Non uias Platonis, non Aristotelis, non implicationes syllogismorum, non Philosophiæ dogmata, non Rhetorum inflata uerba, non negotia secularia, non uias uanitatis, non uias ducentes ad mortem, sed uias tuas & præcepta tua, que ducunt ad uitam, non unam uiam tantum, sed multas uias, quia multa sunt præcepta tua, omnes tamen istæ uix terminantur ad unam, omnes enim in una charitate, quæ ad eodē coniungit animos fidelium, ut fiat eis cor unum & anima una in dño, uel certe diuersæ uix, diuersæ uite, per alia namq; incedunt Clerici, per aliam Monachi, per aliam mendicantes, aliamq; tenent matrimonio cōiuncti, aliam in uiduitate degentes & continentes, aliam uirgines, aliam sequuntur Principes, aliam Doctores, deniq; diuersi status hominum per diuersas uias ad patriam cœlestem proficiunt. Docebo itaq; iniquos uias tuas, unum quemq; iuxta conditionem & captū suum & impij ad te conuertentur, quia prædicabo eis non me ipsum, sed Christum crucifixum in dño non ad laudes meas, sed ad te conuertentur, relinquent em̄ uias suas, ut uenientes ad tuas, per eas incedant & ad te perueniant.

Libera me de sanguinibus deus deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam.

In multis sanguinibus suffocor & de profundis eorum clamo ad te domine, domine exaudi uocem meam. Ne differas domine, quia morti proximus sum, sanguines mei peccata mea sunt. Sicut em̄ in sanguine est uita carnis, ita in peccato est uita peccatoris, effunde sanguinem & moritur animal, effunde per confessionem peccatum, moritur peccator & iustus efficitur. Ego igitur non solum in sanguine inuolutus sum, sed etiam in sanguinibus immerfus, gurgites sanguinum me trahunt ad inferos, succurre mihi domine ne peream, libera me de sanguinibus deus, quia omnia gubernas & moues, qui solus potes me liberare, in cuius manu est spiritus uitæ. Libera me de sanguinibus deus auctor salutis meæ. Deus in quo solo est salus mea, libera me domine sicut liberaisti Noë de aquis diluuij, libera me sicut liberaisti Loth de incendio Sodomorum, libera me sicut liberaisti filios Israël de profundo maris rubri, libera me sicut liberaisti Ionam de uentre ceti, libera me sicut liberaisti tres pueros de camino ignis ardentis, libera me sicut liberaisti Petrum de periculo maris, libera me sicut liberaisti Paulum de profundo pelagi, libera me sicut liberaisti infinitos peccatores de manu mortis & de portis inferni, & exultabit lingua mea iustitiam tuam, id est, propter iustitiam tuam, quam in me sentiam per gratiam tuam. Iustitia enim tua, ut dicit Apostolus, est per fidē Iesu Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Exultabit itaq; lingua mea, laudando hanc iustitiam tuam, extollendo gratiam tuam, magnificando pietatem tuam, confitendo peccata mea, ut in me laudetur misericordia tua, quæ tam magnum peccatorem dignata sit iustificare, ut cognoscant omnes homines, quod saluas sperantes in te, & liberas eos de manu angustiarum domine deus noster.

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

Magna res est laus tua domine. Etenim de tuo fonte procedit, de quo non bibit peccator. Non est enim speciosa laus in ore peccatoris. Libera ergo me de sanguinibus deus deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iustitiam tuam. Tunc domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Tu enim habes clauem Dauid, qui claudis & nemo aperit, & aperis & nemo claudit. Tu ergo aperies labia mea, sicut aperuisti labia infantium & lactantium, ex quorum ore perfecisti laudem tuam. Hi profecto fuerunt Prophetæ, & Apostoli, & Philoſophi & Oratores, qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis

à nobis sunt, quis noster deus est? Aperiebāt ipsi labia sua, non tu aperiebas ea, imò ex eorum ore non perfecisti laudem tuam. Infantes tui domine laudabant te, & sup̄sos despiciabant. Philosophi, dum se laudare gestiebāt, seip̄sos magnificare uolebant. Lactantes tui laudabāt gloriam tuam, quam per gratiam super cœlestem cognoscebant. Philosophi per sola naturalia te cognoscentes, laudes tuas perfecte exprimere non poterant.

Sancti tui corde & ore bonisq; operibus te laudabāt. Philosophi solis uerbis & inflata sapientia. Pueri tui in toto terrarū orbe laudes tuas diffuderunt. Philosophi uix paucis discipulis prædicauerunt. Amici tui laudibus tuis innumerabiles homines à peccatis ad uirtutes & ad ueram felicitatem conuerrebant. Philosophi nec ueras uirtutes, nec ueram felicitatem cognoscebant. Dilecti tui ineffabilem pietatem tuam, quam ostendisti in filio charitatis tuæ prædicauerunt. Philosophi hanc nullo pacto intelligere potuerūt. Ex ore itaq; infantium & lactantium perfecisti laudem tuam. Semper enim tibi soli placuit exaltare humiles & humiliare superbos. Quia ergo superbis semper resistis, da mihi ueram humilitatem, ut ex ore meo perficias laudem tuam. Da mihi cor paruuli, quia nisi conuersus fuero sicut paruulus, non potero introire in regnum cœlorum. Fac me sicut unum de infantibus & lactantibus tuis, ut semper pendeā ab uberibus sapientie tuæ, quia meliora sunt ubera eius uino, & melior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non ualent comparari. Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitie dei. Si ergo me paruulum feceris, laudem tuam in ore meo perficies. Tunc enim aperies labia mea & os meum annuntiabit laudem tuam, annuntiabit quippe perfecta sicut ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem.

Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

Os meum domine annuntiabit laudem tuam. Scio enim hoc tibi gratissimū esse, cum per Prophetam dicas. Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare meum, offeram itaq; laudem tibi, laudem inquam infantium & lactantium pro omnibus peccatis meis. Et quare laudem potius quā sacrificium offeram tibi pro peccatis meis? Quoniam si uoluisses sacrificium dedissem, utiq; holocaustis non delectaberis. Nunquid sanguine hircorum aut uirulorum placari poteris? Nunquid manducabis carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabis? an, forte aurum quæris, qui cœlum & terram possides? Num uis ut corpus meum sacrificem tibi? qui non uis mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat.

Castigabo tamen cum mensura carnem meam, ut per gratiam tuam rationi subiecta sit, eisq; deseruiat, nam & in hoc, si mensuram excessero, mihi imputabitur ad peccatū. Rationabile (inquit Apostolus tuus) obsequiū uestrū. Tu quoq; dixisti per Prophetam, misericordiam uolo & non sacrificium. Igitur os meum annuntiabit laudem tuam, quia hæc oblatio honorificat te, & pandit nobis iter ad salutare tuum, paratum cor meum deus, paratum cor meum, paratum per gratiam tuam, ad omnia quæ tibi grata sunt facienda, hoc unum inueni tibi acceptissimum, hoc offeram tibi, hoc semper erit in corde meo, hoc personabunt labia mea, quoniam si uoluisses sacrificium corporale, utiq; dedissem, paratum enim cor meum per gratiam tuam, ut impleat uoluntatem tuam, sed huiusmodi holocaustis non delectaberis, corpora enim fecisti propter spiritus, ideo tu spiritus, nō corpora quæris. Dicit enim in quodam loco. Præbe fili mi, cor tuum mihi, hoc est, sacrificium quod tibi placet, cor dolore peccatorum & amore cœlestium

lestium bonorum inflammatum offeratur tibi, & nequaquam amplius repetatur, huiusmodi holocausto tu delectaberis.

Sacrificium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despicias.

Spiritus quidem contribulatus, non caro contribulata tibi placet. Nam caro contribulatur, quia terrena quae optat, non habet, uel certe in se sentit quae odit. Spiritus uero contristatur de culpato, quia fecit contra deum quae amat. Doleat se suum creatorem & redemptorem offendisse, se sanguinem eius despexisse, se tam bonum & dulcem patrem contempsisse, hic ergo spiritus contribulatus sacrificium est tibi odoris suauissimi, ex aromatibus enim amarissimis, id est, ex memoria peccatorum conficitur. Dum enim peccata in mortariolo cordis colliguntur & pistillo compunctionis contunduntur, in pulueremque rediguntur, atque aquis lachrymarum humectantur, inde fit unguentum & sacrificium suauissimum tibi, quod oblatum nequaquam despicias.

Nam cor contritum & humiliatum deus non despicias. Qui ergo cor suum saxeam ex durissimis peccatorum lapidibus constructum frangit & conterit, ut inde unguentum conficiat contritionis in abundantia lachrymarum & de peccatorum multitudine aut grauitate minime desperans, humiliter tibi huiusmodi sacrificium offert, nullo modo a te despicietur, quia cor contritum & humiliatum deus non despicias. Maria Magdalena in ciuitate peccatrix tale unguentum confecit in alabastro cordis posuit, domum Pharisei ingredi non timuit, secus pedes tuos prostrata est, flere inter epulas non erubuit, dolore pressa non loquebatur, sed cor eius in lachrymas soluebatur, quibus lauit pedes tuos, capillis suis terxit, unguento unxit, & non cessauit osculari, quis audiuit unquam tale? aut quis uidit huic simile? Placuit itaque tibi hoc eius sacrificium, & adeo gratum fuit, ut Phariseo qui iustus uidebatur eam praetuleris, uerbis enim tuis in tuuasti tantum distare inter iustificationem Mariae & iustitiam Pharisei, quantum inter se distant, lauare pedes aqua, & abluere lachrymis, osculari semel faciem, & non cessare osculari, pedes ungere, caput oleo, & ungere pedes unguento preciosissimo, quia imo longe amplius Maria praestabat Phariseo, quia ipse nec aquam nec oscula, nec oleum tibi exhibuerat: O magna uirtus tua domine, magna potentia tua, quae se maxime parcendo & miserando manifestat, uideo igitur, quia cor contritum & humiliatum deus non despicias.

Idcirco huiusmodi cor tibi offerre studeo, nec oportet me hoc uerbis suadere, quia tu es deus scrutans renes & corda. Duescipe ergo & hoc sacrificium meum, & si forte imperfectum est, tu qui solus potes ipsum, perfice, ut fiat holocaustum, id est, totum incensum ardore tuae immensae charitatis, ut tibi placeat, aut ut ipsum saltem non despicias. Si enim non despexeris, scio quod inueniam gratiam coram te, & post hac nullus sanctorum tuorum, siue in caelo, siue in terra me despiciet.

Benigne fac domine in bona uoluntate tua Sion, ut aedificentur muri Hierusalem.

Quia enim scriptum est. Cum sancto sanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris, ualde cupio omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, hoc enim & eis necessarium & mihi utile esset. Nam eorum orationibus, meritis & exemplis resurgerem, & ad meliora quotidie prouocarer. Rogo ergo te domine quauis peccator. Benigne fac in bona uoluntate tua Sion, ut aedificentur muri Hierusalem. Sion est ecclesia tua. Nam Sion interpretatur specula, quia ecclesia tua per gratiam spiritus sancti, gloriam dei pro captu huius uix speculatur. Hinc dicebat Apostolus. Nos

Nos reuelata facie gloriam domini specularantes in eandem imaginem transfotamur à claritate in claritatem, tanquam à domini spiritu. Domine deus quam parua est hodie Ecclesia tua. Iam totus mundus deficit, nam longe plures sunt infideles quàm Christiani. Inter Christianos autem ubi sunt, qui relictis terrenis gloriam domini specularunt? Paucos certe inuenies comparatione eorum qui terrena sapiunt, quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum. Benigne fac dñe in bona uoluntate tua Sion, ut augeantur merito & numero. Respice de caelo, & fac benigne iuxta consuetudinē tuam, ut ignem charitatis è caelo emittas super nos, qui consumat omnia peccata nostra. Fac dñe in bona uoluntate tua, ut non secundū peccata nostra facies nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuas nobis, sed fac nobis secundā magnam misericordiā tuam. Tu dñe pater noster & redemptor noster, tu pax & gaudiū nostrum, tu spes nostra & salus æterna, omnes à te bona expectant, dante te illis colligent, aperiēte manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Auertente autē te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient & in puluerem suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, domine obsecro, quæ utilitas in damnatione tot milium hominum?

Infernus impletur, Ecclesia quotidie euacuatur. Exurge quare obdormis domine, exurge & ne repellas in sinē. Benigne fac in bona uoluntate Sion, ut ædificentur muri Hierusalē. Quid est Hierusalē quæ interpretatur uisio pacis, nisi beatorum ciuitas sancta quæ est mater nostræ? Huius muri corruerunt, quando Lucifer cum angelis suis corruit, in quorum loca assumuntur homines iusti. Benigne igitur fac dñe Sion, ut cito impleatur numerus electorum, & ædificentur perficianturq; muri Hierusalē ex lapidibus nouis te semper laudantibus & permanentibus in æternum.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum uitulos.

Cum enim benigne feceris in bona uoluntate tua Sion, acceptabis sacrificiū iustitiæ, acceptabis dico, quia igne tuæ charitatis consumes, sic enim sacrificium Moisi & sacrificium Helix acceptasti. Tunc enim sacrificia iustitiæ acceptas, quæ do animas quæ iustæ uiuere satagunt, gratia tua impinguas, quid prodest sacrificia tibi offerre, quando non acceptas ea o domine? quot offerimus hodie sacrificia que tibi grata non sunt, sed potius abominabilia? offerimus enim sacrificia non iustitiæ sed ceremoniæ nostræ, ideo non sunt accepta. Vbi nunc Apostolorum gloria? ubi Martyrū fortitudo? ubi Prædicatorū fructus? ubi Monachorū sancta simplicitas? ubi primorum Christianorū uirtutes & opera? Tunc enim acceptabis eorū sacrificia, quædo gratia tua & uirtutibus eos exornabis. Si quoque tu benigne feceris Sion in bona uoluntate tua, tunc acceptabis sacrificiū iustitiæ, quia populus incipiet bene uiuere & mādta tua seruare ac iustitiā facere, & super ipsum erit benedictio tua. Tūc oblationes sacerdotū & clericorum tibi acceptæ erūt, quæ relictis terrenis ad perfectiorē uitā sese accingēt, & unctio benedictionis tuæ erit super capita eorum, tunc grata tibi erunt holocausta religiosorum, qui relicto corpore, & tepiditate eliminata, incēdio diuini amoris omni ex parte consumabuntur. Tunc Episcopi & Prædicatores imponent super altare tuum uitulos, quia in omni uirtute cōsumati, & spiritu sancto repleti, non dubitabunt ponere animas suas pro ouibus suis. Altare enim tuum quid est nisi crux tua bone lesu, sup quā oblatu fuit? Quid uitulus lasciuēs significat nisi corpus nostrū? Tūc ergo imponent sup altare tuū uitulos, quædo corpora sua offerent cruci, id est, cruciatibus & morti pro nomine tuo. Tunc florebit Eccle

fia, tunc dilatabit terminos suos, tunc laus tua resonabit ab extremis terrarum, tunc gaudium & lætitia occupabit orbem terrarum. Tunc exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, expectantes nos in terra uiuentium. Fiat obsecro dñe nunc mihi illud tunc, ut miserearis mei secundum magnam misericordiam tuam, ut suscipias me in sacrificium iustitiarum, in oblationem sanctimoniarum, in holocaustum religiosarum uitarum, & in uitulum crucis tuarum, per quam transire merear ab hac ualle miseriarum, ad gloriam illam quam præparasti diligentibus te.

## MEDITATIO E-

IVSDEM HIERONYM. IN PSALMVM

In te domine speraui, quam præuentus morte,  
implere non potuit.



**T**RISTITIA obsedit me, magno & forti exercitu uallauit me, occupauit cor meum clamoribus, & armis die noctuq; contra me pugnare non cessat. Amici mei sunt in castris eius, & facti sunt mihi inimici. Quæcunq; uideo, quæcunq; audio, uexilla tristitiarum deferunt; memoria amicorum me contristat, recordatio filiorum me affligit, consideratio claustrum & cellarum me angit, meditatio studiorum meorum dolore me afficit, cogitatio peccatorum me premit. Sicut enim febre laborantibus, omnia dulcia amara uidentur, ita mihi omnia in mœrorum & tristitiarum conuertuntur. Magnum profectionis super cor tristitia hæc. Venenum aspidum, pestis perniciose murmurat contra deum, blasphemare non cessat, ad desperationem hortatur. Infelix ego homo, quos me de manibus eius sacrilegi liberabit. Si omnia, quæ uideo & audio uexilla feruntur & fortiter contra me pugnant, quis erit protector meus? quis auxiliabitur mihi: quo uadam? quo pacto effugiam? Scio quid faciam, ad inuisibilia me conuertam, & adducam ea contra uisibilia. Et quis erit dux, tam excelsi, tanquam terribilis exercitus? Spes quæ de inuisibilibus est, spes in qua contra tristitiam ueniet, & expugnabit eam. Quis stare poterit contra spem? Audi quid dicat Propheta. Tu es dñe spes mea, altissimum posuisti refugium tuum. Quis stabit contra dñm quis expugnare poterit refugium eius, quod est altissimum? Vocabo itaq; eam, ueniet, & ex nec me confundet. Ecce iam uenit, gaudia attulit, pugnare me docuit, dixitq; mihi. Clama ne cesses, & ait. Quid clamabor? dic, inquit, confidenter et ex toto corde.

In te domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Omnia mira potentia spei, cuius faciem non potuit tollere tristitia. Iam uenit consolatio. Clamet & obstrepet nunc tristitia cum exercitu suo. Premat mundus in surgant hostes, nihil timeo, quoniam in te dñe speraui, quoniam tu es spes mea, quoniam tu altissimum posuisti refugium tuum. Iam ipsum ingressus sum, spes me introduxit, non ego imprudenter intraui, ipsa me excusabit coram te, ecce, inquit, spes, o homo, altissimum refugium dei, aperi oculos tuos, & uide, Deus solus est, solus ipse est substantiarum pelagus infinitum. Cætera ita sunt, ac si non essent, omnia enim dependent ab eo, & nisi sustentaret ea, in nihilum repente rediret, quia ex nihilo facta sunt. Considera potentiam eius, qui in principio creauit cælum & terram. Nunquid non ipse omnia in omnibus operatur? Quis potest mouere manum sine eo? quis potest a se aliquid cogitare? Pensa sapientiam eius, qui in tranquillitate omnia gubernat, qui omnia uidet, & cuius oculis omnia sunt nuda & aperta. Hic est qui solus te liberare scit, & potest, solus consolari, solus saluare. Noli confidere in filiis hominum, in quibus non est salus, cor hominum in manu eius.

manu eius, quocūq; uoluerit uertet illud. Hic est qui potest & scit te iuuare. An forte tibi est suspecta uoluntas? Pensa bonitatē eius, considera dilectionē, an nō ipse est amator hominū, qui pro hominibus factus est homo, & pro peccatoribus crucifixus? Hic est uere pater tuus qui te creauit, qui te redemit, qui tibi semper bene fecit. Nūquid poterit pater relinquere filium suum? Projice te in eum, & excipiet & saluabit te, scrutare scripturas, & inuenies, quā studiosē tanta pietas te monet, ut speres in eum. Cur hoc? Nēpe, quia saluare uult. Quid enim per Prophetā dicit: Quoniā in me sperauit, liberabo eum. Ecce, quia nulla alia causa eum liberare uult, nisi, quia sperauit in eum. Et quid Prophetæ quid Apostoli: quid deniq; ipse Apostolorum dominus, prædicauerunt: nisi ut homines in domino sperarent? Sacrificate itaq; homines sacrificium iustitiæ & sperate in domino, & ipse liberabit uos, & eruet de omni tribulatione.

O magna uirtus spei, nimirū diffusa est. Diffusa est enim gratia in labijs tuis. O uere altissimū refugiū tuum domine, ad quod malū tristitiæ accedere non poterit. Hac cognoui & intellexi, ideo in te dñe speraui. Quanquā em̄ peccatorū moles me grauius premat, tamen desperare nescio, quā bonitas tua tam benigne ad sperandū me prouocat. Imò non confundar in æternū. Potero quidē in tempore confundi, non tamen in æternū, spes enim, quæ introduxit in altissimū refugiū tuum, non me docuit sperare temporalia, sed æterna. Nam spes de inuisibilibus est, quæ autem uidentur temporalia sunt, quæ uero non uidentur, æterna.

Audiens itaq; ego uerba spei, quæ me eripere de manibus tristitiæ uenit, in te domine speraui, cupiens ante omnia à peccatis liberari, & per misericordiam et gratiā tuam ad æterna, quæ non uidentur, peruenire. Hoc primum desiderium meū. Mea enim peccata sunt maxima tribulatio, ab hac enim omnis alias tribulatio proficiscit. Tolle dñe peccata mea, & liber sum ab omni tribulatione. Nā tribulatio & angustia de fonte cordis procedunt. Omnis enim tristitia ex amore prouenit. Si amo filium & moritur, tribulor, quia perdidit quod amabā, si seruum non amo & morit, non cōtristor, quia perdidit qd non amabā. Tolle ergo dñe peccata mea per gratiam tuam, quid restat, nisi ut te ex toto corde diligā, & omnia temporalia, ut uana cōtemnam? Si ergo te habeo per fidem, à quo etiam id spero, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quid me poterit conturbare? Quod præter deum amifero perdidit, quod non amo. In te domine speraui, quomodo spes mea sperare me docuit, ideo non confundar in æternū, quia mihi dabis æterna. Qui autem non sperat in te, sed in uanitate sua, confundetur in æternum, quia ad æternam confusionē descendet. Potero quidem confundi temporaliter, & à te, & ab omnibus, sed non confundar in æternum. A te quippe, dum peto liberari ab angustia tēporali, et fortassis non exaudies me, confundar tunc quidem temporaliter, at non cōfundar in æternū. Nō enim expedit mihi, quia uirtus in infirmitate perficitur. Ab hominibus uero temporaliter confundor, & præualent aduersum me, quando persequuntur me. Sed hoc etiam permittitur à te, ut in æternum non confundar. Si ergo ante te mille anni sunt, tanquam dies hesternæ quæ præterijt, confusiones temporales libenter sustinebo, ut non confundar in æternum, sperabo in domino, quomodo spes mea me sperare docuit, & cito ab omni tribulatione liberabor. Quibus meritis liberabor? Non meis domine, sed in iustitia tua libera me. In iustitia tua dico, non mea. Ego enim misericordiam quæro, non meam iustitiā offero.

Sed si per gratiam tuam me iustum reddideris, iam habeo iustitiam tuam. Gratia enim tua in nobis est iustitia tua. Pharisei confidebant in operibus iustitiæ, confidebant quidem in iustitia sua, & ideo iustitiæ dei non fuerunt subiecti, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram deo.



Iustitia autem dei apparuit per gratiam Iesu Christi, etiam sine operibus legis. Philosophi gloriabantur in iustitia sua, & ideo non inuenerunt iustitiam tuam, quia non intrabant per ostium. Fures erant & latrones, qui uenerant non ad saluandum, sed ad perdendum & mactandum oues. Gratia ergo tua, iustitia tua domine. Et gratia iam non esset, si ex meritis daretur, ergo non in iustitia mea, sed in iustitia tua, libera me a peccatis meis, uel certe libera me in iustitia tua, id est, in filio tuo, qui solus inter homines inuentus est iustus. Quid ergo est filius tuus, nisi ipsa iustitia, in qua homines iustificantur. In tua ergo iustitia iustifica me, & libera me a peccatis meis, ut liberer & ab alijs tribulationibus, quas propterea patior, ut remota causa remoueatur & effectus. Ecce te domine rogaueri consolatus sum, spes ita me docuit, gauisus sum, quia in te speraui, ideo non confundar in aeternum. Tristitia redijt, cum magno apparatu reuersa est, gladius & lanceis undiq; munita est, magno impetu graditur, iam ciuitatem nostram circuncinxit. Terruit me clamor equitum eius, foris stans, silentium indixit, & procul locuta est. O inquit, ecce qui speraui in domino, qui dixit, non confundar in aeternum, qui spem consolatricem secutus est. Et cum me ad haec uerba erubescere conspexit, appropians ait, Vbi tuae spei promissae? ubi consolatio? ubi liberatio? quid tibi profuerunt lachrymae? quid orationes tuae tibi attulerunt de caelo? clamaisti & nemo respondit tibi, fleuisti, & quis misericordia motus est super te.

Inuocasti deum tuum, & ipse tacuit, rogasti eum & obsecrasti, & non fuit uox neq; sensus, implorasti omnes sanctos, & nullus eorum respexit te. Ecce quid tibi attulerunt uerba spei? laborasti & nil in manibus tuis inuenisti, an putas, quia Deus haec inferiora respiciat? Circa cardines coeli perambulat, nec nostra considerat. Haec illa blasphemans, aiebat. Et cum ad uerba eius horrescerem, appropians in aure locuta est, dicens. Putas uera esse, quae fides praedicat? Vis uidere ea hominum esse commenta? uel ex hoc cognosce, quia si deus factus esset homo & pro hominibus crucifixus, non posset tanta pietas hominem maximo more confectum ad se clamitantem & lachrymantem non consolari, si, ut aiunt, bonitas infinita eum de caelo descendere fecit, ut crucem subiret, quomodo nunc ad homines miseros non descenderet, ut eos consolaretur? hoc certe facilius est & eadem pietate subueniendum.

Cur angeli & beati, si tam pii sunt, non ad te consolandum ueniunt? Quot putas homines, si possent, ad te uenirent, & uerbis & operibus, quantum facultas daretur, te laudarent, quin etiam ab omni angustia liberarent? Cur hoc non faciunt beati, qui longe meliores hominibus esse creduntur? mihi crede, causa omnia reguntur, non sunt nisi ea quae uidentur. Spiritus uester euanesceat sicut fumus, quis unquam reuersus ab inferis, nuntiauit aliquid de his, quae dicuntur post mortem animabus euenire? Fabulae sunt haec muliercularum, surge ergo & ad auxilia hominum confuge, ut de isto carcere solutus taliter uiuas, ut non frustra ab ista tua spe deceptus semper labores. His dictis, tantus clamor auditus potuerim, & nisi spes mea dilecta mihi auxilium praestitisset, uinctum cathenis me ad suam regionem tristitia deduxisset. Venit itaq; spes diuino quodam splendore corusca & subridens, dixit: Eia miles Christi, quid tibi cordis? quid tibi animi est in isto certamine? quod audiens illico erubui. Et illa, noli timere, non capiet te malum, nequaquam peribis, ecce tecum sum, ut liberem te, an nescis quia scriptum est? Dixit inspiens in corde suo, non est deus, quasi una de stultis mulieribus locuta est tristitia haec nunquid tibi persuadere poterit, non esse deum, aut deum non habere prouidentiam omnium? An poteris de fide dubitare tu

dubitare tu? qui tot argumentis & rationibus eam roborasti: miror te, adeo ex uerbis eius esse prostratū. Dic obsecro, num in corde tuo de fide dubitare cœpisti: Viuit dñs & uiuit anima tua. O mater mea dulcissima, quia nec minimū infidelitatis stimulū sensi. Nam per Christi gratiā, nō minus credo uera esse, quæ fidei sunt, quā ea, quæ oculis corporeis cerno. Verū, tristitia a deo me premebat, ut potius traherer ad desperationē, quā ad infidelitatē. Fili scias, hoc magnū donum esse dei, nam fides donum dei est, non ex operibus, ne quis gloriatur.

Exurge ergo & nolī timere; sed potius ex hoc cognosce, quia non reliquit te dñs, qui etsi non cito exaudit, non est desperandū, si morā fecerit expecta eum, quia ueniens ueniet & non tardabit. Agricola patienter expectat fructū in tempore suo, natura non statim introducit formā, cum aliquid generat, sed primū materiam præparat, & paulatim disponit, donec susceptioni faciat idoneam. Scias tamen, dñm semper pie & humiliter orantē exaudire. Nunquā enim uacui ab eo recedūt, nec rationibus hoc probare contendā, eo quod in te ipso hoc senseris. Dic mihi, quis cor tuum ad deum leuauit de terra? quis te ad orandū perduxit? quis dolorē peccatorū & lachrymas tribuit? quis spem dedit? quis te hilarem in oratione & post eam reliquit. quis te in sancto proposito quotidie confirmauit? nonne dñs, qui omnia in omnibus operat. Si igitur hæc tibi iugiter dona largit, cur dicit illa sceminarū pessima? ubi sunt orationes tuæ? ubi lachrymæ & cetera uerba blasphemiarū? An nescis, quia distincta est cœlestis Hierusalem ab ista terrestri? An ignoras? quia nec cōueniens, nec necessarium, nec item utile est, deum seu angelos & sanctos eius uisibiliter ad homines descēdere, & eis familiariter loqui.

Conueniens quippe non est propter distantiam meritorū. Quæ enim cōuentio lucis ad tenebras? num enim bene conueniunt uiatores & comprehēsores? Diuersę ciuitates, diuersos habent ciues. Verum quibusdā propter excellentiā sanctitatis, cum sint iā patriæ uicini, datū est Angelos uidere & eos alloqui, sed speciale priuilegiū non omnes tangit. Necessarium autem non est, quia cum inuisibiliter beati nos gubernent & illuminent ac consolentur, non est opus uisibiles apparitiones adhibere. Quanquā dñs adeo bonus est, ut apparitiones esse uisibiles, cum opus fuerit, nunquā prætermittat. Quid enim potuit facere pro nostra salute & non fecit? utile non est, quia nimia familiaritas parit contemptū, nam ludæis miracula & magna & multa nihil profuerunt. Rara enim preciosa sunt. Sufficiat ergo tibi inuisibilis uisitatio, scit enim dñs, quid opus sit tibi. An non ipse consolatus est te? Scio quid in tuo corde sensisti. Surge, ad orationē ergo reuertere. Clama, pete, quare, perseuera, quia si nō dabit, eo quod amicus eius sis, propter tamen importunitatē dabit omnia quæ sunt necessaria. His uerbis cōsolatus surrexi, & pstratus ante deū, prosecutus sum orationē meā, dicēs.

Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Domine deus meus, ad te reuertor, spes me misit, non mea præsumptione uenio. Bonitas tua me inuitat, misericordia tua me trahit, o quanta dignatio. Gaudeo plane, nec mihi alia super est consolatio, felix pfecto ista necessitas, quæ me aduenire cōpellit, quæ me cogit loqui cum eo, quæ me urget orare. Loquor igitur ad deum meum, quamuis sim puluis & cinis. Inclina ad me aurē tuam, quid ais anima mea? Num deus habet aures? num ipse corpus est? Absit, cum enim longe melior sit spiritus corpore, quis asserat deum esse corpus, nisi insanus? Sed balbutiendo, ut possumus domine excelsa tua resonamus. Cognoscimus te per creaturas, loquimur tibi & de te per earum similitudines. Auris itaque tua domine quid est? an forte cognitio tua? Nam per aures intelligimus ea quæ nobis

nobis dicuntur, tu autem omnia quæ loquuntur, & cogitant homines ab æterno cognouisti. Num ergo per aurem tuam accipere possumus cognitionem tuam? Aliquid profecto insinuat mihi auris tua, quod non capitur in nomine simplicis cognitionis tuæ. Nam quibusdam inclinas aurem tuam, alijs uero auertis eam. Cognitionis autem tuæ semper eadem permanet. Quid ergo auris tuæ approbationis & reprobationis notitia tuas?

Inclinas aurem tuam, & audis uerba iustorum, quia tibi placent, & approbas ea, auertis aurem tuam à uerbis impiorum, quia ab impietate recedere nolunt, quia tibi non placent, & reprobas ea. Quid est ergo inclinare aurem tuam loquentibus tibi nisi eorum orationes approbare, & eos uultu pietatis aspicere illuminare & accendere, ut cum fiducia & charitatis seruire, te ore, teq; deprecantur, quia eis dare uis, quod humili pietate postulant. Nam si res pauperi cupienti loqui cum eo, uultum hilarem ostendat, oculos ad eum conuertat, & attentum uerbis eius se demonstraret, nonne latabitur pauper; nonne facies & attentio Regis eloquium ei præstabit; nonne uerba & facundiam subministrabit? ita domine intelligimus te ad nostras preces, tunc inclinare aurem tuam, quando nos in oratione spiritu feruere concedis. Rogo ergo te domine, inclina ad me aurem tuam, approba orationem meam, illumina me, accende me, doce quod petere debeam, eleua sursum cor meum, ut tandem exaudias deprecationem meam, accelera ut eruas me, abbrevia dies, festina tempus. Ita inclina ad me aurem tuam, ut cito merear exaudiri. Tibi enim qui habitas æternitatem, omne tempus breue est, æternitas namq; tota simul comprehendit & in immensum excedit totum tempus uniuersum. At mihi quælibet dies longa est. Nam tempus est numerus motus, qui enim motum non sentit, nec quidem tempus sentit. At qui sentit motum & tempus sentit. Maxime autem motum sentit, qui numerat partes eius, ego itaq; quia numero dies & horas, maxime tempus sentio, & ideo sicut ubi mille anni, tanquam dies hesternæ quæ præterijt, ita mihi una dies, tanquam mille anni qui uenturi sunt, accelera ergo domine, ut eruas me à peccatis & aduersitatibus meis.

Nam mors properat, & in omni loco me expectat, accelera domine, ne forte præoccupatus ab ea, non habeam spacium poenitentiae. Erue me domine de manu maligni, libera me de uinculis peccati, eripe me de laqueo mortis, educ me de profundo inferni, salua me ab oppressiõe & dura seruitute tustitiae, ut anima mea exurgat & lætetur in te, & benedicat tibi omnibus diebus uitæ suæ. Gratias tibi domine per Iesum saluatorem meum, quia secundum multitudinem dolorum meorum, in corde meo consolationes tuæ iustificauerunt animam meam. Ego igitur in te semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam. Tu autem domine inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Heu me miserum ecce iterum tristitia terribilibus armis instructa. Vexillum iustitiæ præcedit eam. Innumerabilis exercitus sequitur pedes eius, unusquisq; lanceam habet in manu sua, uasa mortis circumquaq; conspicio. Ve mihi, quia perij, uoce horribili clamat, o miser spes illa tua te decepit, ecce laborasti in uanum, dixisti enim inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Nunquid inclinauit ad te deus aurem suam? nunquid exaudita est oratio tua? ubi liberatio? ubi consolatio? nū accelerauit eruere te? adhuc uinctus es, nihil erga te innotatum est, si credis fidem esse ueram, cur spem solam amplecteris? an nescis, quia deus iustus est? an ignoras iustitias eius? Angelis suis non pepercit, num miserus est eis? necq; miserebitur, propter unum peccatum tantum damnati sunt in perpetuum Adam peccauit, & iustitia dei totum genus morte puniuit. An putas deum non ita amare iustitiam sicut misericordias? Pueri in originali peccato decedentes,

decedentes, tūc quā uidebunt faciem dei, adeo enim seuera est iustitia dei, ut propter peccatum, quod ipsi non fecerunt sed contraxerunt, aeterna poena plectantur, in inferno autem nulla redēptio, nescis quia deus non parcat delinquenti: Nonne tempore Noë perdidit ferè totum genus humanum? Nonne Sodomam & reliquas ciuitates ei adhaerentes igne consumpsit? Nec iustitia diuina in infantibus & innocentibus saltem compassa est? Quoties Iudæos peccantes puniuit? Nonne Hierusalem per manum Nabuchodonosor funditus euertit? Templo quoq; suo non pepercit, quod etiam à Tito Romanorum Principe factum est, ubi tam crudeli animaduersione grauati sunt Iudæi, ut nemo sit qui audiens non expauescat. Sed uide quam dura sit iustitia diuina, filij pro patribus usq; in hodiernum diem puniuntur. Ecce Iudæi ubiq; terrarum serui sunt, & in caecitate sua morientes, poenis cruciantur aeternis. An putas, quia maior sit misericordia dei quam eius iustitia? equidē in ipso deo, neq; maior neq; minor est. Quis quid enim est in deo, est substantia eius. Sed opera iustitiae & misericordiae consideremus. Nimirum opera iustitiae excedunt opera misericordiae. Deus ipse testis est, qui ait. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Pensa obsecro quot infideles damnantur, quot mali christiani, quā pauci bene uiuunt, & facile intelliges, longe plura esse uasa iustitiae quam misericordiae.

Electi enim dei uasa sunt misericordiae, reprobj uero uasa iustitiae. Non te sperare faciat Maria Magdalena, non Latio, non Petrus, non Paulus, Maria enim una fuit, Latio unus, Petrus unus, Paulus item unus. An putas te inter paucos connumerandum? qui tot & tam magna peccata commisisti, qui scandalum in Ecclesia fuisisti, qui coelū & terram offendisti? Ecce fleuit oculus tuus, cor tuum misericordiam implorauit, & adhuc misericordiam non es consecutus. Tot orationes eorum qui diligebant te, num fuerunt exaudita. Quare hoc nimirum quia inter uasa iustitiae computaris. Spes illa tua frustra te laborare fecit. Sequere consilium meum, coelum te respicit, terra te non recipit, confusionem hanc magnam quis tollerare possit? Melius est tibi mori quā uiuere, elige mortē, quam si nullus infert, mitte tu manus in te ipsum. Hæc illa mira importunitate ingerebat, totusq; exercitus eius magnis uocibus congeminabat, dicēs, mors sola refugium tuum mors sola refugium tuum. Ego uero hæc audiens, expaui, & illico in facie ceciidi eiulans, & dicens. Dñe adiuua me, dñe ne derelinquas me. Spes mea ueni, spes mea ueni. Ecce subito spes de coelo micans descēdit, & tetigit latus meum, & leuauit me, statuitq; supra pedes meos, & ait, usqueq; paruulus eris? quandiu tyrunculus esse uoles? Totiens in bello fuisisti, & in medio umbræ mortis ambulasti, & nondum certare didicisti? Noli turbari de magna iustitia dei, confortare pusillanimis. Timeant qui ad dominum non conuertunt, qui ambulant in uisibus suis, qui sequuntur uanitates, qui uiam pacis non cognouerunt, pauent impij qui peccant & dicunt, quid fecit? qui non conuertuntur ad cor, qui uocantur & uenire renuunt, ignorant deum, & nolunt intelligere, ut bene agant, hi ergo timeant. Quid dicit Apostolus? horrendum est incidere in manus dei uiuentis. Tales profecto iustitia dei punit, huiuscemodi homines ad eam spectant. At peccatores qui ad se reuersi surgunt, & ad patrem misericordiarum currunt, dicentes, Pater peccaui in coelum & coram te, sed propitius esto mihi peccatori, confidant in domino, quia, qui eos traxit, proculdubio suscipiet & iustificabit. Proferat in medium hæc ipsa tristitia (si potest) aliquem peccatorem quantumlibet magnum, qui ad dominum conuersus sit, & non fuerit ab eo susceptus & iustificatus? Quamuis enim de Esau scriptum sit, non inuenit poenitentiae locum, quanquā cum lachrymis inquisisset eam, hoc non obstat nostræ sententiae, quia Esau non fleuit propter peccata commissa, sed propter bona temporalia amissa,

quæ recuperare non potuit. Nec putes iustitiam ita respicere impios, ut à misericordia penitus separaretur, nec misericordiam ita ad iustos sperare, ut à iustitia se iungatur, uniuersa enim uix domini misericordia & ueritas.

Nam & peccatoribus misericordiam facit, dum eis propter bona quæ temporaliter agunt, temporalia dona retribuit, & post hanc uitam eos non quantum merentur punit. Electos quoque sua iustitia prosequitur, dum pro culpis eos temporaliter affligit, ne pœnis deputentur æternis. Tu igitur patienter interim suffere dominum, peccasti enim, pœnitentiam age, sufficiat tibi remissio culpæ per gratiam eius. Fili mi noli negligere disciplinam domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quæ enim diligit deus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Perseuera ergo in disciplina, tanquam filio tibi offert se deus. Er quamuis pauci sint electi comparatione eorum, qui reprobis sunt, innumerabiles tantum sunt qui saluantur, nec una tantum est Maria Magdalena, nec unus Lathro, unus Petrus, unus Paulus, quia innumerabiles secuti sunt eorum uestigia, pœnitentiam agentes & à domino suscepti, multis magnisque gratiæ muneribus decorati, nec minor est misericordia in operibus suis quàm iustitia, nam tam magna bona misericordia iustis præstat, ut opera eius, opera iustitiæ in immensum excedant.

An nescis, quia misericordia domini plena est terra? Quæ nam creatura potest gloriari se aliquid habere, & non accepisse illud à misericordia? Si autem grauius deum offendisti, maior est eius misericordia, quam omnia peccata mundi, noli turbari propter multitudinem & grauitatem peccatorum. Nonne misericordia iam occurrit tibi? Nonne osculata est te? ecce cecidisti & non es collisus. Quare? nunquid tu non es uas fragile quod cum ceciderit conteratur necesse est? nisi quis supponat manum suam, quare ergo cadens non es cõtritus? quis supposuit manum suam? quis, inquam, nisi dominus? signum hoc magnum electionis tuæ, electus cum ceciderit non collidetur, quia dominus supponet manum suam. Nonne scribit Apostolus, diligentibus deum omnia cooperantur in bonum? & adeo omnia, ut etiam ipsum peccatum eis cooperetur in bonum. Nonne eis ille casus cooperatur in bonum, unde & humiliores efficiuntur & cautiore? Nonne dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Dilexisti dominum pluribus annis, pro eius amore laborasti, eleuasti deinde cor tuum, & in uanitate sensus tui ambulasti, subtraxit dominus manum & cecidisti, & in profundum maris descendisti. Veruntamen dignatio domini statim supposuit manum suam, & non es collisus. Dic ergo, impulsus. euerfus sum ut caderem, & dominus suscepit me.

Non sic impij non sic, quos deus reprobauit, cadentes autem non adijcient ut resurgant, sed aut pudore maximo excusant peccata, aut fit eis frons meretricis, & iam nec deum timet, nec hominem reuerentur. Surge itaque & forti animo esto, confortare & esto robustus, expecta dominum & uiriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Probasti uirtutem tuam quam nulla sit, humiliare ergo iam sub manu potenti dei & amodo cautior esto. Patientia tibi necessaria est, sine intermissione ora, & dominus exaudiet te in tempore oportuno. Surge itaque & omnem tristitiam à te repelle, pedes domini amplectere, & ipse saluabit & liberabit te. His dictis, rapta est in coelum, me confortatum & miro modo consolatum relinquens, quam statim ex toto corde persecutus, ante deum steti & ad pedes mei saluatoris prouolutus confidenter dixi. Esto mihi in deum protectorem & in domum refugij, ut saluum me facias. Tu enim deus omnium maximus & fortissimus, tu redemptor & saluator uniuersorum, tu protector tuorum fidelium, ad te confugio confidenter. Spes me introduxit, spes quam tua pietate summa diligis, quam nobis semper commendasti, non timui antefaciam tuam

ciem tuam cum ea uenire. Fateor indignus sum, sed ipsa me traxit, Timebā ingredi propter multa scelera mea, sed mihi ipsa fidutiā prābuit.

Ecce stat coram te, ipsa testimoniū perhibeat, loquar ad dominū meum caro & peccator. Spes me docuit, dixitq; mihi, ut confidenter os meum aperiā. Dulcis, inquit, est dñs, non te repellet, non irascetur, libenter audiet, quicquid petieris dabit. Credidi ei, propter quod locutus sum. Verum tuam maiestatem confidens, humiliatus sum nimis, & dixi in excessu meo, omnis homo mendax, non confidā in homine in æternū, sed in te solo, tu solus fidelis in omnibus uerbis tuis, omnis autē homo mendax. Quid retribuā tibi domine pro omnibus quæ retribuisti mihi? Calicem salutaris accipiā, quia amodo non mihi, sed tibi uiuam, pro tuo amore benefaciens, omnia mala tolerabo, non mea uirtute hoc faciam, sed nomen domini inuocabo. Vota mea reddā coram omni populo tuo, quia pretiosa est in conspectu dei mors sanctorū eius. Esto ergo mihi in deum protectorem, defende me ab inimicis meis. Inimici mei sunt peccata mea, quæ iustitiā tuam prouocant contra me. Non potero stare contra ea, nisi protegas me, misericordia tua sit scutum meum domine, & scuto bonæ uoluntatis tuæ corona me. Non habeo quid offerā ei, quo furorē eius temperare possim, omnia quæ mecum porto me accusant, offeram ergo te domine, ne in digneris domine deus meus, sed magis esto mihi in deum protectorem, sub alis tuis protege me. Scapulis tuis obumbra me, & sub pēnis tuis sperabo. Quid faciet mihi iustitia, si sub tua protectione me custodies? Obmutescet dñe & gladiū furoris sui reportabit in locū suū, mitis efficietur, uidens pietatē incarnationis tuæ, cōspiciens uulnera passionis tuæ, cernens sanguinem charitatis tuæ, recedet à me & dicet. Lætare fili, inuenisti me, comede, in pace in idipsum dormi & requiesce.

Esto itaq; mihi dñe in deum protectorem, & in domum refugij, ut tēpore pluuiarum & procellarum, tempore tentationū confugiam ad te, quia in te solo salus mea, sis mihi tu domus refugij, aperi mihi latus tuum lancea perforatū, ut ingrediar pectus tantæ pietatis, in quo saluus sim à pusillanimitate spiritus & tempestate, absconde me in tabernaculo tuo, in die malorū protege me in abscondito tabernaculi tui, sit domus refugij mei ineffabilis pietas tua, ut saluū me facias, non enim potero non saluus esse in domo refugij tui, altissimū enim posuisti refugij tuum, munitus est locus iste, nullus ibi timetur hostis, utinā semper in eo manere liceret, qui habitat in eo, uulnerari non potest. Ad omnē igitur tēptationem, ad omnē tribulationē, ad omnem deniq; cuiuscunq; necessitatē aperi mihi dñe domum refugij tui, expande sinū pietatis tuæ, pateant uiscera misericordie tuæ, ut saluū me facias, non accedet illuc tentator, non calumniator ascēdet, non pessimus fratrum accusator attinget, securus ero, nam pene mihi uideor securus. Gratias tibi bone Iesu, qua spem tuam ad me misisti, quæ me de puluere suscitauit & de stercore erexit, statuitq; me corā te, ut sis mihi in deū protectorem & in domum refugij, ut saluum me facias.

Anima mea turbata est. En adest tristitia, cum uexillo iustitiæ uenit, ab hester no conflictu non recedit, alijs tamē armis munita est, nam arma mihi hac nocte subripuit, gladijsq; meis milites suos accinxit. Inermis ergo & infirmus quid faciam? En quā procaciter clamat, quāto impetu me aggreditur, quantū confidit de uictoria, ubi, inquit, est protector tuus? ubi domus refugij? ubi salus? Adhuc permanes in fidutiā tua uana, consolationes illæ tuæ de imaginatione procedūt. Fingis tibi deum propitium & protectorem tuum & domum refugij tui, & putas te in cælum conscendisse. Illuderis profecto à phantasia tua, & uana spe cōsolaris. An putas te usq; ad tertium cælum fuisse raptum? Somnia sunt hæc. Recordare obsecro, quam graue peccatum sit ingratitudo, Nonne hæc fontē misere-

ricordix exiccat. Memor esto dominum fleuisse super ciuitatem Hierusalem, & ei mala uentura prænuntiasse dicens. Quia uenient dies in te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te, & ad terram prosterrent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem. Causamq; tantorum malorum non tacuit, sed eam subiunxit, dicens. Eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Ecce quia ingratitude non modo priuari beneficio, sed etiam grauiter puniri meretur, nūquid hoc ad animam non spectat?

Nōne anima in scripturis per Hierusalē sapius significatur? quæ dum non uult cognoscere uisitationem domini, circumdatur à dæmonibus, & uarijs tentationibus, quibus angustata cadit ad terrena, prosternitur, nec in ea uirtus, nec bonum opus relinquitur, quod nō destruat, omni enim gratia priuatur, nec de cætero restauretur, quia non cognouit tēpus uisitationis suæ. Tu pfecto, in quā, es hæc ciuitas pluribus & magnis beneficijs à deo decorata, & non cognouisti, sed ingratus fuisti. Ipse te ad imaginē suam creauit. In medio ecclesie, non inter infideles, te genuit. In florida ciuitate te posuit, aqua Baptismi te sanctificauit, in domo religiosa te enutriuit. Tu autē post cogitationes tuas cucurristi, in uanitate sensus tui ambulasti, in profundū peccatorū deuenisti dominus te uocabat & non respondebas ei. Sepe te monuit, & consiliū eius neglexisti.

Quoties te illuminauit, quoties te ad cor conuertit, quoties te de somno excitauit. Inuitabat te & tu excusabas, trahebat & tu resistebas ei. Tandē uicte pietas ineffabilis & immensa. Tu peccasti & ipse te uisitauit, tu cecidisti & ipse te erexit, tu ignorasti, & ipse te docuit, tu cæcus fuisti, & ipse te illuminauit, & ipse te mundi, & tempestare pelagi, te ad quietem & portum religionis perduxit, habitum sancte conuersationis dedit, sacerdotem suum te esse uoluit, ad gymnasia suæ sapientiæ adduxit. Ingratus tamen semper fuisti, & negligenter opus neglexisti. Cum tamen scires scriptum esse. Maledictus qui fecerit opus dei negligenter. Nec sic pietas diuina te reliquit, sed semper ad meliora benigne perduxit, & quod maximum est, te scientia scripturarum ornauit, sermonem prædicationis in ore tuo posuit, & quasi unum de magnis uiris in medio populi te constituit. Tu autem alios docuisti, & te ipsum neglexisti, alios curasti, te ipsum non saluasti, eleuasti cor tuum in decore tuo, & ideo perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Nihil factus es, & nihil eris imperpetuum. An ignoras, quia seruus sciens uoluntatem domini, & non faciens, uapulabit flagellis multis? An nescis, quia deus superbis resistit? Quomodo cecidisti Lucifer? qui mane oriebaris, qui uulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in cælum conscendam. Veruntamen in infernum detraheris in profundum lacu. Subter te sternetur tineæ, & operimentum tuum erunt uermes. An putas nunc inuenire misericordiam, qui scandalifasti plurimos, qui toties à deo uocatus & monitus, respondere non lausti? ubi esset iustitia dei: ubi æquitas iudicij?

Non semper prosequitur misericordia peccatorē terminos sibi statuit. Nōne scriptum est? Vocauit & renuistis, expandi manus meas, & non fuit qui alpi ceret, despexit omne consiliū meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu uestro ridebo & subsannabo, cum uobis, id quod timebatis, aduenerit. Ecce, quia non semper misericordia peccatori dat ueniā. An non consideras, gradus misericordix in te finem habere, quæ tot beneficijs à deo honoratus, in profundum pelagi cecidisti, qui tot gratijs ornatus ob tuam superbiam & inanem gloriam scandalum fuisti orbi terrarum. Non te itaq; decipiat spes uana quam sequeris, uite amodo ut liber, noli in hac & in alia uita pœnis infernalibus cruciari. Elige habitare cū his, qui ducunt in bonis dies suos, & in peccato ad

gato ad inferna descendunt, nec pudor te detineat. Fac frontē meritricis, comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Desperata est plaga tua, insanibilis facta est. Hæc cum dixisset, totus exercitus uocibus tremendis ululabat, & uerba eius repetebat, dicens. Desperata est plaga tua, & insanibilis facta est. Ego uero memor admonitionum matris meæ, quamuis aliquantulum animo delectus, pro uiribus erexi me, & steti super pedes meos eleuans oculos ad cælum, unde auxilium expectabam. Et ecce spes hilari uultu splendoribus diuinis ornata de alto descendens, ait. Quæ est ista, quæ inuoluit sententias sermonibus imperitis, quæ posuit terminos misericordiz, quæ infinitum uult finire, quæ aquas maris in manibus portare se credit?

An non audisti dominum dicentem? In quacunque die ingemuerit peccator, omniū iniquitatū eius non recordabor. Quis est homo, qui non peccat? Quis potest dicere mundū est cor meum? ad omnes enim oratio dominica spectat, in qua omnes homines dicere compelluntur. Dimitte nobis debita nostra. portulos hoc modo: Dñs orare docuit, nunquid ergo ad ceteros homines hæc oratio non pertinebit? nonne Apostoli primitias spiritus acceperunt. Cur autē docuit eos dominus sic orare, si peccatum non habebant? & si habebant, quis poterit gloriari se peccatorem non esse? Audi dilectum discipulum domini. Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Iacobus Apostolus. In multis, ait, offendimus omnes, Omnes ergo peccauerunt & iugiter egent misericordia dei sancti dei homines. Scriptū est enim. Septies in die cadit iustus, et resurget, non ergo misericordia terminos habet, sed quotiescunque peccator ingemuerit, misericordia præsto erit. Nec interest utrum de magnis aut de paruis peccatis loquamur. Cecidisti, surge & misericordia te suscipiet. Corruisti, clama & misericordia ad te ueniet. Iterum cecidisti, iterum corruisti, conuertere ad dominum & uiscera eius pietatis tibi patebunt. Cecidisti, corruisti, tertio & quarto plange, misericordia te non derelinquet, quoties peccas, toties resurge, & misericordia finem non habebit, ut quid improperas beneficia accepta, o foeminarum pessima tristitia.

An non Dauid Propheta maximus, magna & multa beneficia accepit, de quo dixit dominus. Inueni uirum secundum cor meum, & tamen peccauit & quidem grauius, tam in adulterio quam in homicidio iusti uiri & innocentis, nec tamen dominus suam misericordiam in eo terminauit. Quid superbiæ peccatum adducis? Non ipse Dauid eleuauit cor suum, & numerare fecit populū Israël, gloriabatur enim quasi rex magnus & potens in uirtute sua, nec tamen ob hoc reprobatus est. Quare? quia peccatum suum non abscondit, non illud prædicauit, sicut Sodoma, sed dixit. Confitebor aduersum me iniustitiam meam domino. Misericordia itaque non sibi terminos posuit, sed reprobis statuunt sibi fines, ut ad eos non transeat, nam usque ad terminos eorum uadit, sed ipsi repellunt eam. Hinc scriptum est. Perditio tua ex te Israël, ex me tantummodo auxilium tuum. Aperi os tuum, inquit, misericordia, & implebo illud, expande sinum tuum, & dabo tibi mensuram bonam & coagitatam & superuentem.

Persiste in orationibus & fletu, quia qui cœpit te diligere, & beneficijs gratissimè ad suum amorem prouocare, non deficiet, sed magis perficiet opus suum, quæ nam causa naturalis incipit opus, ut in medio itineris desistat. Virtus feminis non cessat, donec fructus ad perfectionem producat. Quæ auis reliquit pullos suos antequam seipsum regere ualeant? Cur hoc faciunt? quæ utilitas ex hoc prouenit illis? nulla profecto, sed tantum labor. Amor igitur cogit causas naturales suos effectus ad perfectū perducere, bonitas cōpellit eas, quæ cupiunt



diffundere, bonum est enim sui ipsius diffusiuum. Si hoc faciunt creatura, quid faciet creator? Ipse enim amor est, ipse bonitas infinita. An non perficiet opus suum? Audi dominum Iesum. Mea, inquit, uoluntas est, ut faciam uoluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Qui igitur cepit te amare, suis beneficiis & gratiis attrahere, te a peccatis mūdare, proculdubio perficiet opus suum, hæc enim sunt præparationes æternæ uitæ. Cur igitur nunc cadens non es collisus? Nōne, quia dominus supposuit manum suam? & quare supposuit manū suam? quare conuertit ad se cor tuum? Cur te ad pœnitentiā prouocauit? Cur consolatus est te? Nōne, ut te mundet & gratia sua dignum faciat, & ad æternam uitam perducatur? Non sunt hæc illusiones aut imaginationes tuæ, sed diuinæ inspiratiōes. Sed esto, imaginationes sunt, nōne bonæ sunt? nōne de fide uirtute proueniunt? Cum itaq; omne bonum à deo sit, utiq; sunt hæc imaginationes, diuinæ illuminationes, Exulta ergo in uerbis istis.

Ad hæc uerba a deo confortatum est cor meum, quod præ gaudio psallere incœpi, dicēs. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebor? Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabor? ad pedes domini cum lachrymis prouolutus, dixi: Domine, si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Quoniā fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me & enutries me.

**F I N I S.**

**BASILEAE PER HENRICVM PETrum, Mense Augusto, Anno M. D. XL.**



1270614

